TRACTATUS

DE

ECCLESIA CHRISTI.

AUCTORE

PATRICIO MURRAY,

IN COLLEGIO S. PATRICII APUD MAYNOOTH, IN HIBERNIA,
SAC. THEOL. PROFESSORE.

"Tu es Petrus:
Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam Meam:
Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam."

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

EDITIO COMPENDIOSA.

DUBLINII:
McGLASHAN ET GILL, 50, UPPER SACKVILLE-ST.
1874.

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. E 3
Pl. 4

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

TRACTATUS

DE

ECCLESIA CHRISTI.

AUCTORE

PATRICIO MURRAY,

IN COLLEGIO S. PATRICII APUD MAYNOOTH, IN HIBERNIA,
SAC. THEOL. PROFESSORE.

"Tu es Petrus:
Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam Meam:
Et Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam."

EDITIO COMPENDIOSA.

DUBLINII:
McGLASHAN ET GILL, 50, UPPER SACKVILLE-ST.
1874.

RT. REV. EUGENE O'CONNELL,
LOS ANGELES,
CAL.

PRÆFATIO.

In hoc compendio conficiendo id tantum egi ut ea ab opere majori* exciderentur quæ tironibus minus necessaria vel minus accommodata esse videbantur. Est igitur ipsum idem opus truncatum sed aliter immutatum. Hic illic, quidem, pauca aliqua textui interposui ad partes disjectas componendas vel ad omissa notanda. Si vero quid novi, quoad sententias, ipsi textui addendum habui, id in notulis significavi, subjuncto hujus editionis anno, 1874. Ut ita rem disponerem in Cap. 19, insequens me præcipue adduxit ratio.

Ante Concilium Vaticanum inceptum, et eo etiam sedente, a quibusdam in Germania, *novis Protestantibus*, duce Doellinger, in variis libellis famosis constanter affirmabatur Jesuitas et theologos Romanos nervos omnes contendisse ut, inter alia Romani Primatus munera, defineretur infallibilitas, quasi dogma id esset horum quid proprium et ab iis quodammodo confictum. Omnibus in theologicis

* "Tractatus de Ecclesia Christi," &c., Dublinii, 1860–1866: 3 vols. pp. 2,500.

Acc. 4672

disciplinis versatis illustre notumque est factum, D. 20, n. 116, memoratum:—Fere omnium gravium theologorum, extra Galliam, et haud paucorum ex ipsis Gallicis, unanimis est (quod sciam) sententia quæ affirmat R. Pontificem alloquentem universam Ecclesiam et dogma aliquod definientem, sive negative sive positive, esse omnino infallibilem. De meipso, uno, minimo theologo, sequentia coram Deo testificor:—In hac insula Hibernia, ab orbe divisa, procul a Roma, totam vitam meam egi, nullum unquam aut Romanum aut Jesuitam magistrum habens, ex privato meo studio, proprio utens judicio, nemine docente, nemine suadente aut quocumque appulsu movente, ex *solis*, diu et diligenter et absque ulla opinione præjudicata, inspectis testimoniis S. Scripturæ* et Traditionis, necnon et argumentis gravissimorum theologorum ex *utraque parte*, in illam, ut mihi claram, certam, invictam, coactus sum sententiam concedere, quæ affirmat infallibi-

* Solutioni objectionum contra argumenta ex S. Scriptura hæc præmisi, D. 20, n. 142:—Cum, plures abhinc annos [an. 1834], discipulus in schola theologica, occasionem nactus quorundam dierum feriatorum, pro tenuitate mea et pro copia librorum quos tunc præ manibus habui (Bellarmini ex altera parte, ex altera Tournelii et Baillii), argumenta ex utraque parte diligenter legi et perpendi. Inspectis objectionibus Gallicanis contra argumenta ex Scriptura educta, vix oculis fidere potui, cum viderem eas fere omnes et singulas illas ipsas esse objectiones et captiones, quas Protestantes ad primatum R. Pontificis evertendum proferunt, vel saltem iisdem principiis plane nixas! Exitum, post hoc, juvenilis istius commentationis non est opus ut hic declarem.

litatem S. Pontificis, quo modo nunc de fide Catholica definita est. Tantum autem abest ut, ex quo primò istam sententiam amplexus sum, aliquid in libris volvendis ad eam labefactandam offenderim, ut, e contrario, omnia, ipsæ etiam objectiones graviores penitius inspectæ, ad eam indies magis magisque firmandam concurrerent. Textus igitur, in quibus ista et aliæ sententiæ de muneribus et dotibus Romani Primatus affirmantur, intactos ut scripti sunt servavi, ut pateat quam perfecta sit concordia inter definitiones Concilii et ea quæ a me theologo privato edita sunt quo tempore de ejusmodi Concilio celebrando nemo mortalium cogitabat. Sed de his satis.

Haud raro ad opus majus remittitur de iis quæ in hoc compendio omittuntur: remittitur autem ad disputationes et paragraphos ut in margine numeratos, hoc modo, D. , n. .

Vix edito opere majori completo, in lucem prodiit commentariolum inscriptum, "When does the Church speak Infallibly? Or the Nature and Scope of the Church's teaching Office. By Thomas Francis Knox of the Oratory. London: 1867." In hoc opusculo ordinatio materiarum ad objectum auctoritatis Ecclesiæ pertinentium mirifice cum iis concinit quæ traduntur, D. 17 (in hoc compendio, c. 16). Hoc ut notarem non semel enixe me suasit amicus quidam, doctus theologus, ne quis forsan, temporibus istarum editionum non attentis, putaret me ab illo auctore, tacito ejus nomine, ordinationem illam surripuisse.

Præter ea quæ omnibus theologis communia sunt, si quid alicujus scriptoris proprium inter mea transtulerim (quod compluries feci), id semper religiose notavi.

In præfatione operis majoris hæc memoravi :—Ut adversariorum systemata et opiniones et argumenta quam fidelissime proferrentur, nullo labori, impensis nullis peperci. Omnia eorum scripta ad rem pertinentia, præsertim quæ apud suos prætio sunt maximo, diligentissime exquisivi et, quantum potui, comparavi et studiose perlegi. Non solum nullum eorum argumentum extenuavi, sed e contrario haud semel ea ex meis adjeci quibus vires acquireret majores.

Omnium optatis respondere plane impossibile esset; aliis tractationem ampliorem aliis pressiorem, aliis hoc aliis illud volentibus. Si quis vero putet me, sive in opere illo sive in hoc compendio, nimium esse in auctoribus Protestanticis Anglicis refutandis, perpendat quantum passim de istis auctoribus nunquam debellatis gloriantur scriptores Anglici.*

* Sit in exemplum quod sequitur ex *Revisione Edinburghensi* ("Edinburgh Review,") n. 270, p. 386–7 (October, 1870) :—"The fearless manliness of a writer like Chillingworth has been always hateful to him [Dr. Newman] and his friends . . . . . They are full of allusions to him, and profess no measure of scorn for his famous dictum about the 'Religion of Protestants;' but it is the scorn that is kin to fear. *None of them has ever ventured to grapple with his great argument.*" Utrum impavido CHILLINGWORTHIO impavide occursum sit an non, vid. D. 11, n. 126–136, 146–151, 157–181, 184–186, 201–2, 211–216, 375–378; D. 12, n. 147–156; D. 14, n. 98–100, 110–11; &c.

Quod vero attinet ad dictum in *Recensione Trimestri* ("Quarterly Review,") n. 255, p. 168 (January, 1870), de forma syllogistica a me adhibita et meis continuis "distinguo majorem" vel "nego minorem;"* huic scriptori notum esse debuit istam methodum argumentandi a pluribus doctioribus Protestantibus valde laudari; et aliam non esse excogitatam, qua clarius et expeditius et invictius nudentur et ad nihihilum redigantur sophismata, ea præsertim quæ frequentius occurrunt, nempe, aut in ambiguis aut in verborum turba et colluvie latitantia. Si vero censeant adversarii istas meas *distinctiones majorum* et *negationes minorum* et ipsas esse sophisticas, quæro, quomodo factum est ut, per hos octo annos ex quo edita est ultima pars Tractatûs de Ecclesia, nullus doctor Protestanticus se ad eas convellendas accinxerit? Et id maxime cum inter auctores, quorum argumentorum distinxi majores et negavi minores, non pauci adhuc inter vivos sunt, DD. Pusey, Browne, Palmer, Rogers, Robertson, Stanley, Robins, Litton, &c.

PATRICIUS MURRAY.

Ex ædibus Coll. S. Patricii.
20 *Septemb.* 1874.

* "Dr. Murray, who prides himself on having adhered to the method of the schools—in which every argument is mercilessly squeezed into syllogistic form, and met with an eternal *distinguo majorem* or *nego minorem*, &c."

ERRATUM.

Pag. 605, Lin. 3, *pro* 1874, *lege* 1870.

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

PARS PRIMA:

DE ECCLESIA IN SUA UNIVERSITATE, SEU UT QUO TOTO, SPECTATA.

TRACTATUS DE ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM.

NOTIONES PRÆVIÆ DE ECCLESIA.

I.— 1. *De Nomine Ecclesiæ.*—Vocabulum *Ecclesia* et profanum et sacrum sensum in Scriptura habet. Aliquando significat congregationem hominum quorumcunque, etiam improborum, Psalm. xxv. 5; aliquando significat locum in quo convenere fideles ad Deum colendum, Judith, vi. 21; plerumque, saltem in N. Testamento, ipsum cœtum fidelium, magis aut minus extensum, significat. Cœtus fidelium V. Testamenti magis proprie *Synagoga* seu congregatio vocatur: cœtus vero fidelium N. Testamenti magis proprie *Ecclesia*, seu evocatio (i. e. per tropum vulgarem, evocati seu cœtus evocatorum), nuncupatur.

2. In hac tertia significatione vocabulum *Ecclesia*, et in S. Scriptura et apud auctores ecclesiasticos, varia sonat. 1°. Significat omnes fideles et in cælo et in terra et in purgatorio; et sub hoc respectu dividitur in Ecclesiam *Triumphantem*, *Militantem* et *Patientem*. 2°. Significat collectionem omnium fidelium quotquot ab initio mundi fuerunt; et sub hoc respectu dividitur in Ecclesiam *ante*

Christum et Ecclesiam *post Christum*, seu in Ecclesiam *ante V. Testamentum*, Ecclesiam *V. Testamenti*, et Ecclesiam *N. Testamenti*. 3°. Significat Ecclesiam Militantem N. Testamenti; et sub hoc respectu aliquando significat præpositos solos, maxime Episcopos cum Summo Pontifice, qui vocantur Ecclesia *Docens;* ut v. g. cum dicitur Ecclesiam hæc et illa docere. Aliquando significat omnes fideles præter Episcopos, et illi vocantur Ecclesia *Audiens;* ut v. g. cum dicitur Ecclesiam Christi regimine Episcopali gubernari, Act. xx. 28. Aliquando significat omnia membra infra S. Pontificem ; ut v. g. cum dicitur Ecclesiam non posse a suo Capite separari, aut S. Pontificem esse totius Ecclesiæ Pastorem. Aliquando significat universum corpus, Capite incluso; ut v. g. cum dicitur Ecclesiam esse indefectibilem, unam, &c. Vox *Ecclesia* in sequentibus generatim significat universam Ecclesiam Christi militantem. Quando autem significationem minus latam habeat, vel ex subjecta materia vel ex contextu facile apparebit.

II.—3. *De aliis Nominibus et Titulis quibus Ecclesia in S. Scriptura insignitur.*—Quoniam appellationes et tituli quibus Ecclesia, Spiritu Sancto dictante, in S. Scriptura designatur, non sint vana sine re nomina, sed e contra eam, qualis a Deo auctore suo condita et stabilita fuit, indicent, et quidem, suo modo, plane significent, hinc est quod ad declarandam et evincendam Ecclesiæ structuram et proprietates utilissime investigentur. Sicut enim ex appellationibus Leonis, Columinis reipublicæ, Civitatis Munitæ, Muri Ærei (Jerem. i. 18), &c. &c., qualis sit hic vel ille homo, saltem in mentibus eorum qui nomina hæc ei indiderunt vel indita probant, optime notum fit ; ita similiter ex nominibus Ecclesiæ datis qualis sit apertum erit.

4. 1°. Ecclesia vocatur *Unum Corpus:* Rom. xii. 4;

1 Cor. xii. 13, 20 ; Col. iii. 15. 2°. *Corpus Christi :* 1 Cor. xii. 27 ; Ephes. i. 22 ; &c. 3°. *Domus Dei* seu *Christi ;* 1 Tim. iii. 15 ; &c. 4°. *Templum Dei* et *Templum Sanctum :* 1 Cor. iii. 16 ; &c. 5°. *Regnum, Regnum Cælorum, Regnum Dei, Regnum Christi :* Matth. xxi. 43 ; xxv. i. ; &c. 6°. *Sponsa Christi :* 2 Cor. xi. 2 ; Ephes. v. 23, 25, 32. 7°. *Civitas :* Matth. v. 14. In Isai. i. 26 et lx. et aliis locis Vet. Testamenti Ecclesia Novæ Legis sub typo civitatis indicatur.

III.—5. *De Definitione Ecclesiæ.*—Etsi nullum aut minimum utilitatis esse putamus multum laborare in ista generali et inadæquata Ecclesiæ definitione cudenda, quam admitterent simul et Catholici et Protestantes ; vere utile esse censemus definitionem præponere Catholicam et adæquatam, et cum ea definitionem seu definitiones Protestanticas saltem præcipuas et magis receptas conferre, ut sic ab initio pateat in quo, si in aliquo, conveniamus, in quo dissentiamus. Hæc duo, etsi breviter, præstabimus, quibus definitionem aliquam communem et imperfectam addemus.

6. Bellarmini definitio ab omnibus Theologis probatur: —" Cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, et eorundem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis " (De Eccl. l. 3, c. 2). Hæc est definitio corporis Ecclesiæ seu Ecclesiæ qua Visibilis. Eam a cavillationibus quorundam futilibus defendunt Tournely et alii.

7. Doctor recens Protestanticus Anglus, Browne (vol. ii. pag. 125, *not.*), dicit hanc definitionem, uno excepto gravi capite, sciz., de subjectione Romano Pontifici, non multum differre ab iis quas primi Reformatores ediderunt.

Sed hoc, maxime si sensus genuinus et scopus definitionum inspiciatur, a vero longe abest. LITTON (pag. 4–11) dicit conceptum Ecclesiæ Protestanticum per se fluere et sequi ex doctrina Protestantica *justificationis per fidem*. In libris symbolicis Protestantium varii conceptus et definitiones Ecclesiæ inveniuntur. Secundum Artic. 19, ex 39 Articulis, "Ecclesia Christi visibilis est cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, et sacramenta quoad ea quæ necessario exiguntur juxta Christi institutum recte administrantur." Hæc definitio originem ducit a Confessione Augustana, Art. 7 (BROWNE, vol. ii. pag. 132). Confessio Scotica dicit Ecclesiam esse societatem omnium electorum, et proinde esse invisibilem (LITTON, pag. 44). Has et alias definitiones Protestanticas conciliare conatur idem LITTON, pag. 51 et seqq.

8. Definitio adæquata Ecclesiæ eam a quavis alia societate distinguit, non tantum a societatibus quæ ex professo non-Christiani sunt, v. g. Paganis, Turcis, &c. sed etiam a societatibus nomen Ecclesiæ veræ Christi sibi haud jure vindicantibus. Definitio inadæquata, qualem adversarii admitterent, unam tantum aut alteram proprietatem exhiberet quæ et Ecclesiæ veræ et sectis communis esset. Prout proprietas ista pluribus aut paucioribus sectis simul cum Ecclesia vera communis esset, plures aut pauciores sectæ eam admitterent, et simul cum Ecclesia vera in ea complecterentur. Sic, si Ecclesiæ definiatur, "Societas hominum fidem Christi totam et incorruptam profitentium," hæc definitio includit omnem societatem pure schismaticam, et excludit omnem hæreticalem. Si definiatur, "Societas hominum profitentium Christum esse divinitus missum," tunc sectæ et hæreticales et schismaticæ includerentur. Et ita porro de aliis hujusmodi definitionibus.

9. Si ergo quæratur definitio quæ non rejiceretur a Protestantibus (saltem propter aliquid in ea *in*clusum: nam forsan a quibusdam rejiceretur tanquam minus completa—sed nunc non est quæstio de definitione completa), patet prius inquirendum esse quæ sint classes Protestantium quibus accommodanda est definitio. Sic, Oxonienses admitterent definitionem quæ affimaret necessitatem Episcopalis regiminis, quam alii Protestantes, non solum Presbyteriani sed Protestantes Ecclesiæ Constitutæ* omnino rejicerent. Si vero quæratur definitio quæ ab omnibus Protestantibus admitteretur, nescio annon sufficeret ista BOSSUETII :—"Societas quæ profitetur credere doctrinam Jesu Christi et ejus verbo dirigi."† Si quis aliam definitionem cudere velit quæ sibi aptior appareat, per me licebit. Quæstio hæc de definitione Ecclesiæ inadæquata nullius fere momenti est.

IV.–10. *De Institutione Ecclesiæ.*–Apud omnes qui se Chris-

* Quoniam sæpius occurret mentio Ecclesiæ Protestanticæ Anglicæ quæ a lege constituta est tanquam Ecclesia Nationalis, eam, brevitatis causa et ad perpetuas circumlocutiones evitandas, *Ecclesiam Constitutam* voco. Anglice vocatur "The Established Church." RIDDLE hæc habet:—"*The Established Church*, ea ecclesiæ forma quæ est a republica sanctissime constituta." (Dictionarium Angl. Lat., sub voce *Establish*). Quarenam interpolat, dicendo *sanctissime ?*

† "Une societe qui fait profession de croire la doctrine de Jesus-Christ, et de se gouverner par sa parole."—*Conference avec M. Claude*, pag. 5. Male redditur hæc definitio apud DELAHOGUE, pag. 2 (et post ipsum a BOUVIER, pag. 234, et ante ipsum a BAILLY, vol. i., pag. 14, qui pro vocabulo *fidem* reponit *religionem*), "Societas hominum viatorum veram Christi doctrinam profitentium." Aliud est enim *profiteri* veram doctrinam, aliud vero *profiteri credere.* Sana est fides illius qui profitetur veram doctrinam : aliquis autem potest profiteri credere veram doctrinam, qui tamen non veram sed falsam credit.

tianos vocant convenit Christum novam et distinctam religionem instituisse, quam qui profiterentur, sive in unam societatem universalem colligarentur, sive in plures societates independentes dividerentur, sive, si fieri posset, singuli individui a se invicem independentes ad nullam societatem sacram etiam minimam conficiendam adigerentur, attamen omnino distincti essent ab omnibus aliis sectis, v. g. Paganis, Judæis, &c. Pariter convenit finem hujus institutionis fuisse sanctificationem et æternam salutem hominum.

11. Ne quæstiones graves postea excutiendæ præmature aperiantur, satius esse putamus intra prædictas generales propositiones, ab omnibus admissas,* impræsentiarum sistere. Statim atque ad evolvendum et determinandum sensum generalis propositionis de Institutione Ecclesiæ deveniunt adversarii, in diversas sententias hæreticales dilabuntur. Quidam dicunt Christum non unam universalem Ecclesiam fundasse aut fundare voluisse, sed tantum normam tradidisse juxta quam formandæ essent particulares ecclesiæ. Alii dicunt non esse de jure divino necessarium quodvis vinculum *doctrinale* quo Christiani inter se conjungerentur, sed tantum vinculum quod vocant charitatis. Omnes dicunt etsi adhuc existat Ecclesia vera ab Apostolis usque continuata, attamen eam non esse Ecclesiam

* Hic semel pro semper notare velim me, dicentem aliquam opinionem, &c., esse ab omnibus Protestantibus admissam aut ab omnibus Protestantibus rejectam, sæpius significare ab omnibus moraliter, seu fere omnibus, aut saltem ab omnibus cum quibus specialiter in hoc opere disputamus, aut qui rationi non sunt penitus impervii. Quidam sunt se Christianos vocantes qui revera infideles sunt. Alii sunt fanatici adeo insani, quibus nullum opinionis monstrum, modo satis sit anticatholicum, displicet. Vel nunquam vel rarissime aut hos aut illos in sequentibus contemplamur.

Catholicam, vel hanc solam non esse Ecclesiam veram et Apostolicam, et possibile esse Ecclesiam Apostolicam in deterius mutatam esse. Imo multi, ut puto, fere omnes dicunt omnes Ecclesias nunc existentes, tum quoad fidem tum quoad alia, magis vel minus a puritate Ecclesiæ Apostolicæ descivisse.

V.—12. *De Constitutione Ecclesiæ.*—Non investigatione mere philosophica, aut juxta id quod nobis rem a priori, solo lumine rationis et secundum nostras ideas perfectionis et convenientiæ, considerantibus, aptius et pulchrius esse videretur, quæstio hæc de Constitutione Ecclesiæ solvenda et enucleanda est. Ecclesia enim institutio est divina, modo supernaturali, libere a Deo formata. Ex sola ergo Dei revelatione, ministrante quidem et opitulante ratione, eam qualis sit rite dijudicare possumus. Hujus observationis, etsi satis obviæ et ad singula capita sequentia pertinentis, non semper rationem habere videntur auctores quidam, in theorias et incertas et inutiles excurrentes. Catholicam ideam constitutionis Ecclesiæ, postea plenius describendam et defendendam, hic generaliori tantum modo delineare intendimus. Quæ sint adversariorum sententiæ ex sequentibus capitibus colligendum erit.

13. Ex multis Scripturæ et Traditionis locis, in quibus variis modis exhibentur proprietates et dotes Ecclesiæ, constat 1°, multa charismata supernaturalia et in se omnino spiritualia et invisibilia ei impertita fuisse. Talia sunt imprimis Fides, Spes, Charitas; deinde ceteræ virtutes, cum donis Spiritus Sancti, et omnibus gratiis internis, sive per sacramenta sive aliter collatis, et gratum facientibus et gratis datis. Constat 2°, omnibus hisce donis respondere varia externa signa, quibus ipsa manifestentur, et etiam forsan impertiantur et diffundantur. Sic prædictæ virtutes

theologicæ innumeris modis, et per actus individuorum et in publico Ecclesiæ cultu manifestantur. Sic etiam potestas spiritualis, sive ordinis sive jurisdictionis, apparet in variis modis in quibus et confertur et exercetur. Sic denique vigor ille Apostolici ministerii, qui, juxta verba Christi (Matth. xxviii. 19, 20), perpetuo in Ecclesia manebit, se quotidie prodit in confirmatione justorum, in conversione peccatorum et acatholicorum. Constat 3°, et illa interna charismata et hæc externa signa, non in abstracto, sed in concreto et in subjecto existere, sciz., in membris Ecclesiæ. Imo generatim loquendo, in ipsis individuis ut sic spectatis (seclusis hypocritis omnino larvatis, qui numero pauci necessario sunt), sicut interna dona non resident absque aliqua, et plerumque satis clara sui manifestatione, sic nec externæ manifestationes sunt sine internis donis. Ecclesia vero ipsa, ut societas et unum corpus morale spectata, omnia prædicta charismata perpetuo et plenissime possidet, perpetuo et clarissime manifestat. "Christus in præsenti vita completur omnibus suis membris: singuli enim fideles conferunt ad Christi complementum: completur, inquam, quoad omnia, id est, quoad omnes gratias, virtutes; non quod singuli habeant omnes, sed quod singuli singulas; ita ut simul collecti habeant omnes: nam in hoc excellit charitas, in illo patientia, in isto castitas, et sic singuli singularum virtutum excellentiam et plenitudinem ipsi Ecclesiæ, quæ corpus Christi est, ac consequenter ipsi Christo, conferunt:" A Lapide in verba "Qui omnia in omnibus adimpletur:" Ephes. i. 23.

14. Dona interna duplicis sunt generis. Quædam enim ex illis sunt omnibus membris Ecclesiæ communia; et, si ab omnibus non habeantur, saltem pro omnibus dantur et ab omnibus haberi possunt. Hæc ordinantur directe ad

sanctificationem eorum, a quibus possidentur: talia sunt gratia actualis, præcipue vero habitualis, virtutes fidei, spei, charitatis, &c. Alia vero non sunt omnibus communia, sed tantum a quibusdam haberi possunt, et ab his in diversis gradibus; et hæc ad sanctificationem aliorum directe ordinantur. Hoc genus donorum comprehendit potestatem ordinis et jurisdictionis. Hæc omnia unum finem communem habent, sciz., conservationem et amplificationem Ecclesiæ, et sanctificationem et perfectionem ejusdem membrorum; in quem finem quædam ex illis magis alia minus proxime concurrunt.

15. Omnia prædicta dona interna et supernaturalia perfecte et perpetuo, ut dixi, in Ecclesia manent. Per hæc in Domino lætatur et in Domino contristatur. Per hæc sponsatur Christo in sempiternum in justitia et judicio et in misericordia et in miserationibus. Per hæc in æternum Una, Sancta, Catholica et Apostolica est; et, quæ alioquin sterilis esset, parit filios multos, et quæ infirma est secundum carnem confundit fortia, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam (Osee, ii. 19; Isai. liv. 1; 1 Cor. i. 27; Matth. xvi. 18). Hisce minutis, eadem ratione ipsa in interitum vergeret: hisce demptis, illico interiret.

16. Non ergo sine ratione quidam Theologi hæc omnia dona simul sumpta, et gratias gratum facientes et gratias datas,* esse *Animam* Ecclesiæ docent. Ita Cercia, qui, post recensita quatuor dona Fidei, Spei, Charitatis et Gratiæ sanctificantis, pergit:—"Quinto loco revocantur ad

* Per gratias gratis datas non solum hic significamus istas novem quas ex 1 Cor. xii., colligit D. Thomas, sed etiam omnes alias (v. g. potestatem ordinis, jurisdictionis, &c.), quæ ad sanctificationem aliorum dantur, sive hæ sub illis novem, seu aliqua ex illis, ordinari possint, sive non.

animam Ecclesiæ reliqua omnia interna dona Spiritus Sancti, quibus Ecclesiæ sanctitas et actuositas amplificatur, et efficacior redditur. Item omnis facultas atque potestas, qua Ecclesia interius instructa in actus suæ missionis consentaneos externe prosilit. Hæc omnia sunt pars interna, spiritualis, activa, et principium omnis motus in Ecclesia. Unde eadem jure anima vel forma Ecclesiæ nuncupata sunt, cum formæ seu animæ officio amussim fungantur :" Sect. 2, Lect. 4, vol. i. p. 94. In hanc sententiam, ante visum aut editum illud opus Cerciæ, ego multum inclinavi; et eam etiam hodie satis probabilem puto. Sane inter Theologos Catholicos nec est nec esse potest hic quæstio de re, sed tantum de rei nomine aut divisione aptiori, et de modo loquendi. Attamen, materia iterum perpensa, puto non esse a communiori modo loquendi recedendum; secundum quem Fides, Spes et Charitas (cum aliis quæcunque in illis includuntur) constituunt animam Ecclesiæ. Etenim hæc tria sunt quæ in se immediate et proxime dant vitam Ecclesiæ; cetera autem sunt qua si instrumenta et media ad hanc vitam perpetuo pariendam, conservandam, augendam.* Talis est Anima Ecclesiæ. Et quoniam in membris et per membra ejus, prout in unum coagmentantur et hanc unam societatem ordinatam efficiunt, hæc charismata visibilia fiunt, jure membra Ecclesiæ sic sumpta, i. e. sub conceptu societatis unius hæc interna visibilia reddentis, appellantur *Corpus* Ecclesiæ. Hisce duobus in unum et

* Sed quoniam vita Ecclesiæ adæquate sumpta non in sola sanctitate, ut ita dicam, passiva, sed etiam in ista supernaturali, activa energeia, qua agit erga suos et erga extraneos; priores docendo, regendo, sanctificando, &c., posteriores convertendo, debellando, &c., nonne adhuc dici debet dona gratis data, quæ istam ei energeiam perennem et infallibilem impertiuntur, eatenus ei vitam impertiri, et ergo de anima ejus esse?

quasi hypostatice conjunctis, constituitur unice una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia Dei. Jam satis significatum est quod, sicut anima Ecclesiæ non existit nisi in corpore, ita nec corpus esse potest sine anima: est corpus essentialiter *vivum*.

17. Ex dictis sequitur esse in corpore Ecclesiæ partem superiorem quæ cetera membra regat, doceat, et erga illa varia munia spiritualia exerceat. In quot et quos gradus hæc pars dividatur, et quæ sint singulorum officia, &c., partim in Tractatibus de Eucharistia, de Ordine, &c., declaratur.

18. Hactenus de ipsa anima et corpore in quo consistant disputatum est: nunc declarandum est quid sit *pertinere ad* animam aut ad corpus Ecclesiæ. Qui donis fidei, spei et charitatis informatur ad animam Ecclesiæ pertinet, et quidem perfecte—in qua tamen perfectione innumeri sunt gradus. Participat enim de ea vita qua ipsa Ecclesia vivit. Qui corpori Ecclesiæ vere et sincere conjungitur per ea signa externa coadunantia quibus illa se ut Ecclesiam veram oculis omnium prodit, hic pertinet ad corpus Ecclesiæ. Vincula autem conjunctionis cum Ecclesia sunt in Fide, Cultu et Regimine; prout infra, late ostendetur. Hæc certa sunt apud omnes Catholicos.

CAPUT SECUNDUM.

DE MEMBRIS ECCLESIÆ.

1. Plures de materia hac apud hæreticos antiquos et mediævos et primos Novatores extiterunt errores, de quibus vid. Bellarmin. L. 3, C. 4, et seqq.; Sardagna. n. 1573, &c. Vix unus est, si etiam unus, ex istis erroribus qui inter sectas hodiernas, etsi alius plures alius pauciores, suos non habeat defensores. Sufficiat nobis ipsos errores perstringere, quin tempus teramus satagendo singulos patronos recensere, et singulis suos proprios errores adscribere.

Sectio Prima.—*An soli Perfecti aut Justi sint membra Ecclesiæ.*

2. Qui inter Protestantes harum regionum tenent doctrinam justitiæ imputativæ seu imputatæ, non distinguunt, ut puto, inter justos et perfectos, sed omnem justum pro perfecto habent. Solos justos esse membra Ecclesiæ non omnes tenent Protestantes; multi tamen præsertim inter sectas Dissidentium. Eundem errorem tenuerunt Jansenistæ, aut saltem quidam ex illis, ut jam videbitur.

Propositio I.—*Ecclesia non constat ex solis Justis aut Perfectis, sed etiam ex Imperfectis et Injustis.*

3. Hæc Propositio est dogma Catholicum, imo de fide Catholica, prout constat ex manifesto sensu Scripturæ, in quo omnes conveniunt Doctores Catholici, et ex iteratis definitionibus Ecclesiæ. Implicite definita fuit contra Wickleffum et

Huss (infra n. 27), explicite contra Quesnellum et synodum Pistoriensem. Propositiones Quesnellii præcipuæ sunt:—"72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens et omnes Angelos cœli, et omnes electos et justos terræ, et omnium seculorum. 73. Quid est Ecclesia nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et expectantium gratiam futuri seculi?" Propositio synodi Pistoriensis cum ejusdem censura hæc est:—"Doctrina quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;* intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate; *Hæretica.*"—Proposit. 15.

4. *Probatur Propositio ex S. Scriptura.*—1°. Ex Matth. xviii. 15, &c., graviter peccantes, si post correctionem fraternam ad meliorem frugem se non recipiant, Ecclesiæ denunciandi sunt; et, nonnisi postquam Ecclesiæ obedire contumaces recusaverint, ab ea sunt præcidendi. Ergo usque ad illam excommunicationem sunt membra Ecclesiæ. Quæstionem ibi esse de graviter peccantibus constat tum ex præscripta gravi ratione agendi erga illos, tum ex eo quod nonnisi graviter peccans Ecclesiæ denunciandus est et ab ea præcidendus:—"Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus."

5. 2°. Ipso tempore Apostolorum in Ecclesia fuerunt peccatores, imo peccatores gravissimi, nec numero pauci.

Ergo non ex solis justis constat Ecclesia. Probatur antecedens. Fornicarius Corinthius (1 Cor. v.) graviter peccavit: et eodem capite haud obscure insinuat Apostolus et alios fuisse fornicarios apud Corinthios. Illi *multi* qui Eucharistiam indigne sumpserunt, judicium sibi manducantes et bibentes (ibid. xi. 25, 30), graviter peccaverunt. Sed hi omnes erant membra Ecclesiæ. Etenim I. loquitur Apostolus de illis ac de ceteris, tanquam in una et eadem Ecclesia inter se et cum seipso coadunatis:—"Omnino auditur *inter vos* (εν ὑμιν, *in vobis*, in vestra congregatione) fornicatio—Convenientibus *vobis* in unum . . . alius quidem esurit, alius autem ebrius est . . . . . ideo *inter vos* multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi . . . itaque *fratres mei*, cum convenitis." I. S. Paulus voluit fornicarium tolli *de medio* Corinthiorum—"ut tollatur de medio vestrum"—et ipse illum excommunicavit, seu potius excommunicari jussit (infra, n. 18, 19); quæ ambo supponunt illum adhuc fuisse membrum Ecclesiæ.

6. 3°. "In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam:" 2 Tim. ii. 20. Isti magnæ domui Ecclesiam comparari, et proinde per vasa significari membra Ecclesiæ, ex ipso nomine constat. Vel enim per domum significatur Ecclesia vel mundus. Sed Ecclesia sæpius in N. Testamento vocatur nomine domus, mundus autem nunquam. Accedit consensus plurium criticorum Protestanticorum, Litton, p. 331, Bloomfield, Bengel, Rosenmuller, Whitby in locum. Jamvero si vasa sint membra Ecclesiæ, patet vasa pretiosa et vasa vilia, vasa in honorem et vasa in contumeliam, significare justos et injustos.

7. *Probatur Propositio ex SS. Patribus.*—"Arca Noe Ecclesiæ typus fuit, dicente Petro Apostolo: 'In Arca Noe pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, quod et nos nunc similis formæ baptisma salvos facit' [1 Petr. iii. 20]. Ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum et gentium et morum homines sunt: ut ibi pardus et hædi, lupus et agni, ita et hic justi et peccatores."—S. HIERON. contra Luciferian., n. 22.

8. "Dominus noster Jesus Christus, cum sit Caput Ecclesiæ, habet membra eos omnes qui in Ecclesia congregantur, tam sanctos videlicet quam peccatores."—*Idem*, in Epist. ad Ephes. c. 2.

9. "Ecclesia hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum palcis, habens permixtos bonis malos; habitura post judicium sine ullis malis omnes bonos."—S. AUGUST. Serm. 223, n. 2.

10. "Misit pater-familias servos suos parata cœna, et adduxerunt quos invenire potuerunt, bonos et malos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Talis est modo Ecclesia, plena bonis et malis."—*Idem*, Serm. 250, n. 2.

11. "Eadem pascua sub uno pastore et oves et hirci pascuntur, donec ut debita recipiant, segregentur."—*Idem*, contra litteras Petiliani, L. 2, n. 110.

SECTIO SECUNDA.—*Solvuntur Objectiones Principales adversus Propositionem præcedentem et Argumenta ad eam firmandam allata.*

12. *Object.* 1. Contra argumentum, n. 5, ex 1 Cor. v. et xi. allatum. Corinthii in his et aliis locis hujus Epistolæ increpantur ut imperfecti et inconstantes. Apostolus enim eos alloquitur non "ut vitali gratiæ principio penitus destitutos, sed ut illud possidentes. Corinthii, non obstanti-

bus suis defectibus, ut sancti et fideles in Christo fratres habiti sunt."—LITTON, p. 302-3.

13. *Resp.* Ex Corinthiis multos vere justos, perfectos aut imperfectos, fuisse a nobis non negatur ; etsi, saltem de proportione numerica justorum et injustorum, opus non est ut aliquid affirmemus. Præter istos autem justos et alii fuerunt qui a gratia sanctificante omnino exciderunt, et tamen vere membra Ecclesiæ manserunt. Si hoc, uno tantum exemplo, evincatur, tota absolvitur controversia : plura autem exempla adduximus.

14. *Urgetur* 1°. Sanctos fuisse Corinthios patet ex verbis Apostoli, iii. 1, ubi loquitur illis ut "parvulis [νηπιοις, infantibus] in Christo." Igitur 1°. Corinthii, sicut infantes, habebant principium vitæ, etsi imperfecte evolutum. 2°. Infans sane homo non est, sed nec corpus mortuum est, qualis peccator est.—LITTON, *ibid.*

15. *Resp.* 1°. Apostolus alloquitur Corinthios ut societatem, ut Ecclesiam Corinthiacam :—"Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi" (i. 2). Etsi plura membra illius Ecclesiæ parvula erant in Christo, adeo ut Ecclesia ut sic vocari potuit Ecclesia parvulorum, propter longe majorem numerum hujusmodi membrorum ; non sequitur nullos fuisse qui *nec etiam* parvuli fuerunt, nullos fuisse qui *plusquam* parvuli fuerunt.

16. 2°. Corinthii infantibus hac sola ratione comparantur, quod sicut horum intellectus infirmus est ad altiora et difficiliora scientiæ naturalis capienda, ita mens illorum ad sublimiora et magis spiritualia religionis Christianæ. Hoc constat ex ii. 14 :—"Animalis autem homo non *percipit* ea quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest *intelligere ;* quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem *judicat* omnia, et ipse a nemine judicatur."

Loquitur hic, ut ex ipsis verbis patet, de carentia illuminationis plenioris supernaturalis ad *percipiendum, intelligendum, judicandum.* Similiter in contextu ipsius loci in objectione allati, de homine carnali, qui, quoad rem, idem est ac homo animalis:—"Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi *carnalibus.* Tanquam *parvulis* in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis; *adhuc enim carnales estis.*" Deinde, ut ipsam radicem contentionum et schismatum evellat, resumit institutionem et monita elementaria de natura religionis Christianæ, &c., prout distinguitur a sapientia humana et elementis hujus mundi. Infantes quidem erant Corinthii, non tantum quoad perfectiorem scientiam et intelligentiam divinorum, sed etiam quoad vitam et mores perfectiores: sed eos ut infantes sub priori tantum ratione contemplatur Apostolus in textu iii. 1. Sive ergo vivi erant sive mortui relate ad gratiam sanctificantem, pariter infantes erant relate ad scientiam.

Hæc expositio per se solvit objectionem : attamen prima responsio non est deserenda, sciz., quod Apostolus alloquatur Corinthios ut corpus.

17. *Urgetur* 2°. Quoad Corinthium incestuosum, illum S. Paulus, inter scribendum, ut e visibili communione Ecclesiæ jam excisum habuit:—"Ego . . . jam judicavi . . . . qui sic operatus est . . . . tradere hujusmodi satanæ:" *vers.* 3–5. Sententia excommunicationis ab Ecclesia Corinthiaca postea lata tantum ratam fecit sententiam prius a S. Paulo latam.—LITTON, *ibid.*

18. *Resp.* 1°. Ergo Corinthius iste præcisus erat ab Ecclesia per sententiam S. Pauli. Ergo non erat ante illam sententiam, aut ipso facto præcisus. Ergo etiam vivens in incestu omnibus noto, mansit membrum Ecclesiæ, usque dum actu positivo expulsus est.

19. *Resp.* 2°. S. Paulus non excommunicavit Corinthium, sed statuit, decrevit, jussit eum a Corinthiis excommunicari; aut ad summum statuit, Corinthiis congregatis, se simul cum illis in spiritu præsentem excommunicationis sententiam laturum. 1°. Hæc sententia lata est in tradendo satanæ: Apostolus vero non dicit *jam tradidi* aut *trado*, sed "jam *judicavi* tradere." 2°. Loquitur de unica tantum traditione; neque existit ullum fundamentum dicendi duplicem fuisse. Quandonam vero et quomodo facta est illa traditio? In congregatione Corinthiorum postea habenda. En totum textum:—"Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, *congregatis vobis* et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere satanæ in interitum," &c. 3°. Accedit consensus criticorum Protestanticorum in interpretanda voce *judicavi* (κεκρικα) "Ego statui, ego hic statuo et præcipio" ["I have determined, I do hereby determine and direct"].—BLOOMFIELD, in loc. "Ego judicavi seu statui" ["I have decided or determined"].—PARKHURST in voc. Id. ROBINSON, in voc. 1, WHITBY, in loc. "Non continuo Apostolus animadvertit in reum, sed *propositum sibi esse* dicit, si officio deesse pergerent Corinthii, apostolica sua uti potestate, tanquam si præsens esset, hominemque scelestum, quem Ecclesia ipsa ejicere recusaret, exturbare Domini auctoritate."—ROSENM. in loc. Juxta hos, vocabulum *Judicavi* non est hic intelligendum in sensu *ferendi sententiam* (quam significationem κρινω aliquando habet) sed in sensu *apud se statuendi*, sciz., postea ferre sententiam, *tradere satanæ*.

20. *Object.* 2°. Non pertinent ad Ecclesiam simpliciter qui non pertinent ad animam; non enim pertinent

nisi ad partem et apparenter. Atqui peccatores non pertinent ad animam.

21. *Resp.* Distinguo Major. Si nullomodo nec etiam imperfecte animæ socientur: Transeat: Si animæ aliquo modo socientur: Nego. Dist. Min. Peccatores non pertinent ad animam Ecclesiæ omni modo et perfecte: Conc.: aliquo modo et imperfecte, sensu jam exponendo: Nego.

22. In vocibus sensu analogico usurpandis magna opus est cautione tum ne voces illæ objectis impropriis et alienis applicentur, tum ne analogia ultra justos limites extendatur. Anima Ecclesiæ (c. i, n. 14, &c.) etsi tota semper et plena in ea esse debeat, ut Ecclesia Christi sit vere talis; non tamen tota esse debet in singulis membris Ecclesiæ ut hæc vere membra sint. Nec obstat quod peccatores non pertineant ad animam Ecclesiæ. Etenim, quicquid de hoc dicitur, jam probatum est eos adhuc esse membra. Non pertinent ad animam Ecclesiæ perfecte et adæquate, sed de ea aliquatenus participant. Retinent virtutes fidei et spei. Non excluduntur a fructibus suffragiorum Ecclesiæ: ex quibus et, si cœtus religiosos identidem frequentent, ex occasione exemplorum bonorum, concionum sacrarum, &c., plures gratias actuales percipiunt, quibus acti multi quotidie convertuntur, alii ad conversionem disponuntur. Sicut non idem est gradus iniquitatis in omnibus peccatoribus, ita non in eadem mensura omnes participant de anima Ecclesiæ, sed alii plus alii minus. Omnia membra Ecclesiæ in tramite sunt quo ad sanctitatis metam pertingitur. Multi eam attingunt, et ex his multi firmi stant, alii recedunt; multi ad eam aut alacriter aut languide tendunt; multi retrogradiuntur—sed omnes in via recta sunt.

23. Peccatores communiter a Theologis vocantur membra *mortua:* sed hoc expositione indiget. Mortua sunt

absolute, in quantum gratia sanctificante, quâ solâ anima Deo vivit, omnino carent. Mortua sunt in quantum, quamdiu in illo statu existunt, non possunt fieri membra Ecclesiæ triumphantis, quæ est tantum Ecclesia militans expurgata, et in termino beatitudinis perennis et immobilis posita. Quoad Ecclesiam vero militantem, peccator non est absolute mortuus, aut saltem non eo sensu quo corpus hominis exstincti mortuum esse dicitur. In cadavere enim non tantum non est vita, sed nec ullum principium vitæ, nec, nisi per miraculum, ulla spes aut possibilitas reviviscendi. In peccatore autem fideli, ut jam dictum est, existit inter alia principium vitæ et quidem forte. Mihi ergo, etsi quoad rem omnes Theologi in eadem sunt sententia, arridet modus loquendi CORNELII A LAPIDE, in 2 Tim. ii. 20 :—"Mali sunt membra Ecclesiæ sed *semi*mortua ; quia carent anima et vita primaria Ecclesiæ, quæ est charitas. Ecclesia est enim quasi una persona politica, cujus corpus est exterior fidei professio et communio cum aliis fidelibus in sacramentis et sacrificiis sub uno capite Romano Pontifice ; anima vero Ecclesiæ *generalis et imperfecta* est fides ; *specialis vero et perfecta* est charitas." In alio loco (ad Ephes. iv. 15) hæc habet.—"Sicut embryo prius vivit anima sensitiva, diciturque vivus et sentiens, quam vivat anima rationali : ita fidelis per fidem prius vivit, vereque est vivens pars Ecclesiæ, etiamsi necdum habeat charitatem ; ea tamen habita, longe nobiliori anima et vita vivit." His similia habent alii auctores.

Dixi ad primum membrum distinctionis Majoris (n. 21), *Transeat :* disputatur enim an hæreticus occultus sit membrum Ecclesiæ : vid. infra, n. 30, &c.

24. *Object.* 3. Si peccatores sint membra Ecclesiæ, corpori mystico Christi, quod est Ecclesia, incorporantur ; et per hoc Christum habentes caput, ei arcte nectuntur.

Sed hæc affirmari non possunt. Repugnat enim Christum tanquam Caput sibi membra habere conjuncta quæ simul membra sunt diaboli.

25. *Resp.* Dist. Repugnat, &c., quatenus illa membra sunt membra diaboli: Conc.: Quatenus sunt fideles: Nego: —"Sicut lilium, inquit, in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Numquid dixit, in medio alienarum? Non sed in medio filiarum. Sunt ergo filiæ malæ, et inter illas est lilium in medio spinarum. Itaque illi qui sacramenta habent, et bonos mores non habent, et Dei dicuntur et non Dei; et ejus dicuntur et alieni: ejus propter sacramentum, alieni propter proprium vitium. Ita et filiæ alienæ; filiæ propter formam pietatis, alienæ propter amissionem virtutis." S. Augusr. in Psalm. xlvii. n. 8. Similia habet in Psalm. xcix. n. 8.

Alia quibus hæc urgetur objectio et aliæ objectiones vid. D. 3, n. 32.

Sectio Tertia.—*An omnes et soli prædestinati sint membra Ecclesiæ.*

26. Qui tenentes Ecclesiam ex solis justis constare, tenent simul inamissibilem esse justitiam, necessario tenere debent Ecclesiam ex solis prædestinatis constare. Non omnes vero prædestinati sunt adhuc justi. S. Paulus ante suam conversionem peccator erat, ut ipse testatur, et tamen prædestinatus. Tales sunt omnes peccatores prædestinati. Non solum fideles prædestinatos, sed omnes prædestinatos, sive jam fideles sive non, v. g. S. Paulum adhuc persecutorem, Ecclesiæ membra esse docuerunt Wickleff et Huss, ut testatur Bellarminus, L. 3, c. 2, et quoad Huss,* constat ex Articulis ejus in Conc. Constant. damnatis.

* Propter ejus perpetuos flexus, simulationes et dissimulationes, difficile est (ait Lingard, Hist. Angliæ, ad Ann. 1382), quid vere de

27. Propositiones Hussii in Conc. Constant. hæ sunt: —"1. Unica est sancta universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas. 2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles. 3. Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finaliter excidat ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet. 5. Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars Sanctæ Ecclesiæ; et prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis. 21. Gratia prædestinationis est vinculum quo corpus Ecclesiæ et quodlibet ejus membrum jungitur Christo Capiti insolubiliter." De novatoribus Protestanticis hæc habet STAPLETON:—"Wicklephi et post eum Joannis Hus hæresis erat, electos semper esse membra Ecclesiæ, etiam ante vocationem temporalem .... Lutherani hodie in repetitione Confess. Augustanæ, Melancthon et Musculus in locis communibus, disertis verbis ab hac sententia recedunt, eamque Melancthon multis verbis refutat. Calvinistæ vero Wicklephi vomitum resumunt. Nam Helveticæ Ecclesiæ in sua Confessione, cap. 17, diserte docent etiam non renatos per baptismum esse aliquando membra Ecclesiæ, quatenus electi sunt. Calvinus, Instit. L. 4, c. 1, sec. 7, in eadem sententia est."—STAPLETON, Relect. c. 1, Q. 2, A. 2. Latius BELLARMIN. l. c.

28. In Anglia hodie satis late diffunditur subdivisio quædam Ecclesiæ Constitutæ cujus membra *Recorditæ* vocantur. Secundum hos, "Ecclesia ex solis prædesti-

pluribus capitibus doctrinæ senserit Wickleff (al. Wycliffe) pro certo statuere. Quod et de aliis novatoribus verum est, ut ibidem notat idem Lingard.

natis constat, etsi multi eorum in statu peccati versentur; omnes enim illi, serius ocius, *vocationem efficacem* habebunt, quæ eos ad intrandum insuperabiliter adiget. Idea visibilis Ecclesiæ, secundum eorum doctores, figmentum est: quicunque ad eorum *invisibilem ecclesiam* non pertinent extra viam salutis sunt."—CONYBEARE, p. 80. Quoniam vero hi sunt ex iis fanaticis quos in hoc opere prætermittimus (c. 1, n. 11, *not.*), insaniam istam quam brevissime perstringemus. Qui plura velit, adeat BELLARMIN. STAPLETON, REGNIER, TOURNELY, &c.

PROPOSITIO II.—*Ecclesia non constat ex omnibus aut solis prædestinati.*

28. Probatur *Prima* Pars. Si omnes prædestinati sint membra Ecclesiæ, ergo omnes qui ultimo salvabuntur, etsi nunc Judæi sint, Turcæ, Pagani, Athei, nec baptismum nec fidem sive internam sive externam habentes; cum iis qui Christiani audiunt, qua Christianis, nihil commune sive exterius sive interius habentes; attamen vera membra Corporis Christi, veri Christiani sunt. Quod quantum abhorret ab universa Scriptura, ab universo sensu et traditione Ecclesiæ omni ævo, nimis manifestum est. "Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti:" 1 Pet. ii. 9, 10.

29. Probatur *Secunda* Pars. Ex jam probatis omnes fideles particularium ecclesiarum Romæ, Ephesi, Corinthi, &c., quibus suas epistolas dedit S. Paulus, et boni et mali, certissimo et verissime fuerunt membra Ecclesiæ Christi. Ergo, si Ecclesia constet ex solis prædestinatis, omnes illi fuerunt prædestinati. Quod quam vehementer opponatur

universo tenori illarum Epistolarum, in quibus, super omnia, infinitis modis, suam anxietatem manifestat Apostolus et timorem de eorum perseverantia finali, etiam nimis manifestum est.

SECTIO QUARTA.—*An Hæretici aut Schismatici sint membra Ecclesiæ.*

30. Hæretici alii sunt publici, alii privati, alii pure interni. De hæreticis publicis necnon et de schismaticis alio loco disseremus. In præsenti Disputatione de solis hæreticis occultis et internis sermonem habemus. Controversia autem quæ de his movetur pure domestica est, ut statim videbitur, et inter Theologos omnino libere agitatur.

31. Longe communior esse videtur sententia affirmans hæreticos occultos, non solum internos sed externos, esse vere membra Ecclesiæ etsi mortua. Qui argumenta pro utraque sententia plene exposita habere velit, adeat, ex una parte, Bellarminum, et, ex altera, Liberium a Jesu et Billuart. Nos unum aut alterum illorum argumentorum quæ ex Rationibus Theologicis derivantur (quæ enim ex Scriptura et Patribus afferuntur nimis obscura et incerta sunt), hic breviter excutiemus. Deinde quid nobis verosimilius esse videtur declarabimus.

Argumenta pro sententia affirmante occultos Hæreticos esse membra Ecclesiæ.—32. *Primum Argumentum.* I. Hæretici occulti non amittunt Jurisdictionem quam ante hæresim habebant. Atqui amitterent, si per hæresim cessarent esse membra Ecclesiæ. Absurdum enim esset dicere eos jurisdictionem in Ecclesia habere qui penitus extra eam sunt. II. Hæc absurditas maxima esset in casu Papæ qui adhuc haberet supremam et universalem jurisdictionem, etiam super ipsam universalem Ecclesiam, etsi, factus hæreticus occultus, cessaret esse ejusdem membrum.

33. Huic argumento respondetur, quoad *primam* partem: Concedo primam propositionem: Nego secundam et tertiam. Potestatem ordinis in quovis hæretico permanere omnes tenent. Ecclesiam *posse*, pro bono fidelium, etiam iis qui certo et notorie non sunt membra Ecclesiæ jurisdictionem concedere, modo jurisdictionis capaces sint, nemo negat. Imo hodie communissima et, ut credo, moraliter certa est sententia quæ docet quosvis sacerdotes, etiam hæreticos excommunicatos vitandos, si alius desit, in articulo mortis absolvere posse. Si ergo tales, etsi in illo casu necessitatis habeant jurisdictionem in foro hoc interno, "ne hac ipsa occasione aliquis pereat," attamen maneant omnino extra Ecclesiam; quomodo concludi potest hæreticos occultos manere membra Ecclesiæ, ex eo quod Ecclesia non auferat illis jurisdictionem quam antea habuerint—quiete et salute animarum hoc exigente?

34. Quoad *secundam* partem argumenti. Etsi Papam ut privatam personam et privatum doctorem fallibilem esse, et ideo in errorem materialem contra fidem incidere posse, omnes hodie concedunt; non desunt tamen graves auctores qui docent eum non posse fieri hæreticum formalem, saltem obstinatum; quod et mihi valde probabile est. Concesso tamen quod fieri potest hæreticus, dico non magis repugnare Christum ei hanc jurisdictionem continuare, quamvis per hæresim occultam cessaverit esse membrum Ecclesiæ, quam quod Ecclesia continuet jurisdictionem cuivis occulto hæretico Episcopo aut parocho, aut publico hæretico in casu dicto necessitatis restituat: bono Ecclesiæ in utroque casu pariter, imo in casu Papæ multo magis, hoc exigente.

35. *Secundum Argumentum.* Ecclesiæ membra ei uniuntur quibusdam vinculis externis inter quæ externa

professio unius et ejusdem fidei. Atqui hæreticus occultus hoc vinculum retinet—quæstio enim hic est de hoc solo vinculo. Insuper, Ecclesia est societas visibilis constans ex membris quæ in unam hanc societatem solis vinculis externis et visibilibus colligantur. Denique non magis solvitur communio cum Ecclesia per hæresim quam per rebellionem schismaticam. Atqui qui rebellis est tantum in corde, aut etiam exterius sed clanculum, per hoc non cessat esse membrum Ecclesiæ. A pari ergo neque cessare debet hæreticus internus aut externus occultus.

36. Hoc argumentum, quod intrinsecum est et directum, mihi non temnendum videtur. Attamen contra dici potest. 1°. Non sufficit externa professio fidei non existentis: neque potest aliquis Ecclesiæ uniri puro mendacio et simulatione, qualis est ista professio. Hæreticus occultus non magis jure vocari potest fidelis quam hæreticus publicus. Se quidem fidelem vocat, et talis esse apparet; sed aliud est vocari aut apparere, aliud *esse* talem aut talem. 2°. Vincula communionis externa sane et visibilia esse debent, sed vera non ficta. 3°. Supposito quod rebellio schismatica, ut ponat rebellem extra Ecclesiam, debeat esse publica, attamen contra ultimam partem argumenti dici potest quod rebellio in suo conceptu involvat necessario ideam facti cujusdam publici: neque diceretur aliquis adhuc rebellare, nisi cum ad tale factum perventum esset; sicut non diceretur rex adversus alium regem bellum gerere, nisi exercitus moveretur, &c. Sed hæreticus æque hæreticus est, sive hæresim suam publice manifestet sive non: evulgando illam magis quidem peccat propter scandalum, &c., sed non est magis hæreticus. Insuper, qui pure schismaticus est retinet vinculum fidei; hæreticus vero nullum retinet vinculum nisi externum et fictum.

Argumenta pro sententia negante occultos hæreticos esse membra Ecclesiæ.—37. *Primum Argumentum.* Ille non est membrum Ecclesiæ qui vinculum principale communionis, sciz., unitatis fidei, penitus disrupit.

38. Huic argumento respondetur fidem veram requiri ut aliquis ad animam Ecclesiæ etiam imperfecte pertineat; sed ut ad corpus pertineat tantum requiri externam professionem fidei. Hæreticus occultus est membrum Ecclesiæ, sed omnino mortuum, et ei junctum modo imperfectissimo.

39. *Secundum Argumentum*, quod est quædam instantia prioris. Etsi, abstractione mentis, corpus et anima Ecclesiæ separatim considerari possunt, re tamen inseparabilia sunt. Ubi corpus ibi et anima (c. 1, n. 15, 16). Qui ergo nullo modo ad animam pertinet, ad corpus pertinere nequit.

40. Huic responderi potest quod, etsi ipsum corpus Ecclesiæ, propter promissiones divinas, nunquam potest anima privari, longe aliter se res habeat quoad particularia membra, quibus nulla talis promissio facta est. Aliud est quod, juxta decretum Dei, tale aut tale requiratur ad ipsum corpus Ecclesiæ, tanquam proprietas essentialis; aliud vero quod tale aut tale requiratur ut aliquis pertineat ad corpus. Potest aliquis pertinere ad corpus Ecclesiæ, etsi nullomodo pertineat ad animam, sicut aliquis, ut in casu catechumeni perfecta charitate informati, ad animam pertinere potest quin ad corpus pertineat.

41. Neque contra hoc urgeatur, quod, si ad solum corpus pertineant hæretici, non possunt vocari simpliciter membra Ecclesiæ; Ecclesia enim non est solum corpus sed corpus cum anima. Respondetur. Si per *simpliciter* intelligatur eodem modo quo cetera membra, patroni sententiæ affirmantis concedunt hæreticos non esse eo modo membra: si vero aliquod aliud intelligatur, controversia desinit in meram logomachiam.

42. *Tertium Argumentum.* Illi non sunt membra Ecclesiæ qui, ut talia, nullum recipiunt influxum a Christo capite. Tales vero sunt hæretici.

43. Ad majorem respondet BELLARMINUS (sed aliam quæstionem, sciz., de membris peccatoribus, tractans):—"Non esse necesse ut Christus in omnibus suis membris aliquid operetur: sunt enim quædam membra mortua et arida, quæ solum adhærent reliquis externa conjunctione."

SECTIO QUINTA.—*An filii hæreticorum infantes, valide baptizati, sint membra Ecclesiæ?*

44. Quæstio est de iis qui in secta aliqua hæreticali nascuntur, et ibidem valide baptizantur. Eos animæ Ecclesiæ uniri dogma certum est. Quod etiam corpori Ecclesiæ consocientur mihi planum est. Baptismus enim quo tincti fuerunt validus esse supponitur, et idem est ac si in Ecclesia collatus fuisset. Jamvero Baptismus est janua per quam in Ecclesiam ingreditur. Fiunt ergo membra Ecclesiæ et ut talia manent saltem usque dum rationis usum adepti fuerint. Hinc in recensendo multitudinem fidelium ad evincendam amplitudinem Ecclesiæ et Catholicitatem in membris, omnes nati in sectis hæreticis et schismaticis, valide baptizati, usque ad usum rationis, tanquam nostri computandi sunt.

45. Postquam vero ad eam pervenerint ætatem in qua capaces sunt peccati hæreseos et schismatis, si forsan ignorantia invincibili adhuc laborent et in ea permaneant, et ideo nonnisi materialiter sint hæretici et schismatici, dubitari potest an jam inter membra Ecclesiæ numerandi sint. Pro parte negante dici potest eos inter et Ecclesiam nullum intercedere vinculum communionis; non fidei, fidem enim falsam tenent et profitentur; non subjectionis legitimis pastoribus, contra hos enim aperte rebelles, pas-

toribus illegitimis aut nullis se subjectos exhibent; non ejusdem cultus, cultu enim Ecclesiæ publice deserto et rejecto, cultum schismaticum solum frequentant. Pro parte affirmante dici potest eos, cum per baptismum vera membra Ecclesiæ facti fuerint, non posse ab ea nisi per formalem solutionem communionis separari. Sane si de talibus certi essemus eos non esse nisi materiales hæreticos et schismaticos, non video quomodo non posset affirmari eos esse membra Ecclesiæ. Ita sentit BOUVIER, pag. 291.

SECTIO SEXTA.—*An non baptizati possint esse membra Ecclesiæ?*

46. Qui nec baptismum nec fidem habent nullomodo ad Ecclesiam pertinent; quod "apud omnes indubitatum est," ait SUAREZ, D. 2, s. 1, n. 20. De Catechumenis vero qui fidem habent et profitentur, sed adhuc non sunt baptizati, disputatur. Eos esse membra Ecclesiæ affirmat SUAREZ, ibid. n. 18. Negat vero sententia longe communior et probabilior, quam tenent BELLARM., LIBERIUS, VALENTIA, &c., &c.

47. Hæc breviter dicenda videntur. I. Catechumeni sunt membra Ecclesiæ potentialiter, ut ait BELLARM.; seu secundum meritum, ut ait VALENTIA; seu in voto, ut ait BILLUART; seu voto ac merito, ut ait TANNER, seu aliis modis impropriis et figurativis. II. Pertinent ad animam Ecclesiæ, et, si habeant charitatem, perfecte.

48.—III. Catechumeni non pertinent ad corpus Ecclesiæ. Hoc certum nobis videtur. Probatur, *Primo* ex S. Scriptura. "In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi sive Gentiles, sive servi sive liberi:" 1 Cor. xii. 13. Baptismus ibi exhibetur tanquam medium quo omnia membra Ecclesiæ in unum corpus coad-

unantur. *Secundo.* In decreto Florentino pro Armenis dicitur :—"Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi, *ac de corpore efficimur Ecclesiæ.*" Item Conc. Trident. Sess. 14, de Pœnit. c. 2 :—"Constat certe baptismi ministrum judicem esse non oportere, quum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius *in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.*" Baptismus ergo est id per quod efficimur de corpore Ecclesiæ, per quod in Ecclesiam primum ingredimur. Sed tale non esset si sine eo possit aliquis ad corpus Ecclesiæ pertinere.

49.—IV. Catechumeni non possunt vocari simpliciter membra Ecclesiæ. Fateor non improbabiliter dici posse hanc assertionem esse tantum de modo loquendi. Sed etiam in modo loquendi ille præferendus est qui accuratior est et usui magis conformis. Talis videtur assertio nostra. Tum quia Tridentinum dicit nos per baptismum, tanquam per januam, in *ipsam*, i.e. Ecclesiam, ingredi. Tum quia Ecclesia est societas arctissime una, et ideo vocatur corpus; qui ergo ad corpus non pertinet dici non potest simpliciter ad Ecclesiam pertinere.

Sectio Septima.—*An excommunicati sint membra Ecclesiæ?*

50. Hic iterum scinduntur Theologi. Excommunicatos, excommunicatione majori (per minorem enim excommunicationem poni aliquem extra Ecclesiam nemo dicit), esse membra Ecclesiæ alii affirmant simpliciter. Alii varie distinguunt, quidam dicentes notorios excommunicatos esse extra Ecclesiam, non autem occultos: alii dicentes solos excommunicatos non toleratos, seu nominatim denunciatos esse extra Ecclesiam.

51. Sequentia breviter notamus. I. Ecclesiam habere potestatem præcidendi et extra se penitus ejiciendi non tantum hæreticos et schismaticos, sed etiam alios peccatores grandes, contra LIBERIUM, n. 165, omnino certum mihi videtur. Quæstio igitur sola est de mente Ecclesiæ, an de facto intendat per excommunicationem sic præcidere. II. Excommunicatos toleratos puto probabilius manere membra Ecclesiæ. III. Quoad vitandos, perpensis argumentis ex utraque parte, res mihi incerta est. IV. Forsan dici potest controversiam esse multum de nomine. Omnes enim Theologi inter se consentiunt excommunicatos, præsertim vitandos, privari communicatione in his et illis bonis spiritualibus, v. g. usu sacramentorum, suffragiis Ecclesiæ, &c. Quæstio ergo est an qui talis sit dici debeat extra Ecclesiam esse: et de hac quæstione nihil adhuc definitum est. V. Etsi incertum sit an Ecclesia intendat omnem vitandum, eo ipso et vi excommunicationis denunciatæ, expellere ab Ecclesia, particularis aliqua excommunicatio tali concipi potest verborum forma quæ clare significat mentem Ecclesiæ. Hinc si excommunicationis sententia sequenti forma, quam ex Concilio Arausicano citat LIBERIUS, l. c., aut alia simili, exprimatur et declaretur, saltem si a Papa aut Ecclesia (in qua semper necessario includitur Papa) hoc fiat, censeo, contra eundem Liberium, sic excommunicatum omnino extra Ecclesiam poni. Forma autem est :—"Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei et judicio Sancti Spiritus a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, et consortio totius Christianitatis eliminamus, quoadusque resipiscant, et Ecclesiæ satisfaciant." Ratio patet. In hujusmodi enim forma diserte affirmatur excommunicatum præcidi ab Ecclesia. Ecclesiam vero habere potestatem sic agendi, ut diximus, certum est.

CAPUT TERTIUM.

DE INDEFECTIBILITATE ECCLESIÆ.

SECTIO PRIMA.—*Status quæstionis explicatur.*

1. Inter omnes præsentes adversarios convenit Ecclesiam eo sensu non posse deficere, quod tota penitus e terra deleatur et pereat, prout e. g. periit imperium Babylonicum, ita ut non amplius usque in finem mundi existat societas aliqua quæ jure vocari possit Ecclesia Christi. Sunt quidem Protestantes multi qui dicunt Ecclesiam ita de facto defecisse, ut, si non a primo seculo, saltem a plurimis seculis, non amplius existat aliqua societas, seu societatum collectio, quæ perfectam Ecclesiæ ideam in se repræsentat. Tenent tamen Ecclesiam non omnino periisse aut perire posse, sed, etsi aliquoties infirmatam, imminutam, imo forsan pro brevi tempore omnino obscuratam vel extinctam, attamen eam iterum in lucem erupturam, et pristinum suum statum vel in toto vel in parte recuperaturam.

2. Caput altius extollere et latius spargi recenter inceperunt errores quidam, haud ita tamen recenter nati, de progressu, ut aiunt, cultus civilis, &c., et ipsius Christianæ Religionis. Horum commentorum fautores quidam dicunt hanc Religionem, præteritis seculis et hominum tunc viventium necessitatibus satis apte convenientem, hodie tamen, utpote novo rerum statui omnino ineptam, jam effetam, mortuam, imo mortiferam esse. Alii vero dicunt Religio-

nem Christianam esse "religionem progressus," et ex natura sua et mente Christi, capacem esse explicationum et accommodationum in indefinitum, quibus rerum progressui congruere efficiatur. Sed cum istis adversariis et aliis ejusdem generis, qui puri infideles et deistæ sunt et Christum e medio omnino tollunt, controversiam hic non habemus, sed cum hæreticis.

3. Hæretici in duobus errant, sciz., de *possibilitate* defectionis Ecclesiæ, et de *facto* defectionis. Eorum sententiæ de possibilitate defectionis ad tres reduci possunt. *Prima* est quæ affirmat Ecclesiam ad tempus omnino deficere posse. *Secunda* dicit Ecclesiam invisibilem deficere non posse, non ita vero Ecclesiam visibilem. Ita Evangelicales multi, forsan communiter. Sunt qui dicunt quasi duas dari Ecclesias, unam visibilem, alteram invisibilem: et hi affirmant Ecclesiam visibilem interdum deficere posse, non vero invisibilem. Alii dicunt non dari Ecclesiam visibilem, sed unam veram Ecclesiam Christi esse invisibilem. *Tertia* sententia affirmat quod, etsi, Ecclesia, neque quoad corpus neque quoad animam, omnino, etiam ad tempus, deficere potest, attamen ex parte magis aut minus deficere potest, ad tempus aut etiam in perpetuum, sciz., amittendo hoc vel illud attributum, vel id minutum et vitiatum retinendo. Sic quidam dicunt Ecclesiam posse universaliter pravis moribus aut quibusdam hæresibus, aut etiam idololatria, corrumpi. Alii dicunt tales corruptiones non posse quidem totam Ecclesiam occupare et penetrare, sed tantum in ea late grassari. Alii dicunt Unitatem Ecclesiæ posse solvi, aut graviter vulnerari; aut Sanctitatem posse amitti aut multum depravari; ita et alias proprietates sigillatim, sed non omnes nec forsan plerasque simul sumptas. Hæ sententiæ omnes apud varios auctores

et sectas Protestantium modernorum varie tenentur. Triplex hæc classis ad quam recentium sententias revocavimus substantialiter congruit cum triplici classe sententiarum veterum Protestantium, quam tradit STAPLETON, Relect. Cont. 1, Q. 3, A. 2. Hoc omnibus sententiis acatholicorum commune est, quod nulla earum statuat aut admittat indefectibilitatem Ecclesiæ, eo sensu plenario et absoluto, quo nos eam jam exponemus et defendemus.

4. Quoad *factum* defectionis, omnes Protestantes cujusvis sectæ, necessario tenent Ecclesiam aliquo modo defecisse: alioquin enim sine ulla causa factum fuisset schisma magnum Protestantium seculi decimi sexti. Veterum Protestantium septem opiniones de epocha defectionis recenset STAPLETON, Relect. C. 1, Q. 5, A. 3. Harum opinionum duæ extremæ sunt, quarum una affirmat defectionem incepisse a Concilio Constantiensi, quod paucis ultra centum annos ante schisma Lutheranum celebratum est; altera vero extrema dicit defectionem ab ipso tempore Apostolorum incepisse, in eo enim tempore, et ex eo, Ecclesia cœno errorum maculata est. Utramque sententiam, more suo, pro occasionum diversitate, tenuit Lutherus. Sine dubio ex istis veteribus, prout quisque somnium suum somniavit, et alias plures opiniones excerpere potuit præfatus Theologus. Saltem, nostra hac ætate in hisce regionibus, non difficilius numerares arenas in litore, quam opiniones de tempore et aliis adjunctis defectionis Ecclesiæ, quas in scriptis et concionibus quotidie effutiunt fanatici ministelli, præsertim inter Dissentientes, "fluctus feri maris despumantes suas confusiones" (Jud. 13).

5. Doctrina Catholica affirmat Christum, instituendo Ecclesiam, eam quibusdam proprietatibus ditasse, prout in sequentibus capitibus late de singulis ostendemus. Hisce

proprietatibus Ecclesia constituta est. Nos vero tenemus omnes et singulas illas proprietates, ex decreto et promissione Dei absoluta, continenter et perpetuo, "omnibus diebus usque ad consummationem seculi," integras et constantes esse in Ecclesia permansuras; ita ut ne unam quidem ex illis aut diabolus aut mundus aut caro, aut quicquid contrarium, possit, etiam per breve tempus, aut perdere aut infirmare aut ei tenebras offundere.

6. Patet tamen Ecclesiæ indefectibilitatem non comprehendere singulas partes. Quævis enim pars Ecclesiæ, v. g. ecclesia particularis hujus vel illius diœcesis aut nationis, deficere potest. Quantæcumque autem sint defectiones illæ, semper manebit Ecclesia ipsa indeficiens et indefectibilis. In uno loco deficiunt multi, in alio multi aggregantur. Sic olim erant regna florentissima Ecclesiæ, quæ hodie deserta sunt, et vice versa. Una est tantum pars Ecclesiæ quæ est in se indefectibilis, sciz., Sedes Apostolica. Sicut enim toti Ecclesiæ facta est promissio indefectibilitatis, ita et Petro et successoribus ejus specialiter facta est promissio eadem. Imo Ecclesia super Petrum et successores ejus, tanquam super petram firmissimam, ædificata, exinde suam indefectibilitatem derivat: et omnis ecclesia particularis immota stat quia in ea stat, deficit quia ab ea recessit.

7. Præsens nostra propositio est omnino generalis. Suas habet Ecclesia proprietates sicut et omnis res creata, sed quæ sint illæ proprietates in specie hic nec affirmamus nec supponimus. Dicimus tantum illas proprietates, quæcumque sint, esse perpetuas, seusu exposito. Ponatur sequens syllogismus:—Ecclesia quoad omnes et singulas suas proprietates indefectibilis est: Atqui Unitas, Sanctitas, &c., sunt proprietates Ecclesiæ: Ergo illæ in Ecclesia

nunquam deficient. In præsenti capite solam majorem propositionem defendimus. Minor quoad omness uas partes in sequentibus capitibus defendetur. Si quis hic quærat, Nonne et ipsa indefectibilitas sit proprietas Ecclesiæ? Resp. Concedo, imo et proprietas proprietatum.

8. Nullomodo ex his inferendum est indefectibilitatem diversarum proprietatum hoc solo argumento generali niti. Sufficeret quidem; singulas tamen proprietates indefectibiles esse suis specialibus et propriis argumentis ostendi potest, prout infra videbitur. Quædam alia de hac quæstione vid. in D. 4, n. 10, &c.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO.—*Ecclesia Christi est quoad omnia et singula sua attributa Indefectibilis.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

9. "Parvulus datus est nobis . . . . Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum:" Isai. ix. 6, &c.

"Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum:" Dan. ii. 44.

"Tu et Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:" Matth. xvi. 18.

"Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego

vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:" Matth. xxviii. 19, &c.

Juxta hos textus, ex decreto et promissione divina, Ecclesia *confirmanda* erat et *corroboranda* in judicio et justitia (i. e. justo judicio) usque *in sempiternum: in æternum non dissipanda, stat in æternum, comminuens et consumens omnia alia regna.* Deinde, crepidine ædificatur *omnium firmissima,* ipsa inexpugnabili et *inexpugnabilitatem omnimodam superædificato ædificio communicanti ;* adeo ut *quicumque incursus hostiles nunquam adversus illud prævalebunt.* Ultimo, Christus dirigens, confortans, conservans, *perpetuo in finem mundi,* Ecclesiæ *efficaci et infallibili auxilio* adest in exequendo præcepto *servandi omnia* quæcumque illi mandavit. Quæ omnia in his textibus significari postea invicte ostendemus.

10. Sed hæc omnia nullo modo de Ecclesia affirmari possunt, si, etiam ad tempus, maxime vero si ad tempus longum, aliquod ex suis attributis amitteret, vel notabiliter læsum servaret. Si supponatur, v. g., unitatem in fide, cultu et regimine esse attributum Ecclesiæ ; et si supponatur Ecclesiam in duas aut plures scindi partes, non amplius eandem fidem, cultum aut regimen inter se tenentes ; planum est de Ecclesia sic disrupta non amplius affirmari posse eam non dissipari, eam in æternum stare, eam comminuere et consumere omnia alia regna, sed potius e contrario eam dilacerari, nutare, comminui et saltem aliquatenus consumi : Planum est inimicum prævaluisse et eam expugnasse : Planum est eam esse a Christo eatenus derelictam.

11. Homo corpore integro, ex beneficio divino, duos habet oculos, pedes et manus duas. Si duorum armis inter se contendentium unus alterius manum aut pedem ab-

scideret, aut oculum effoderet, nonne mutilans adversus mutilatum prævalere et illum vincere diceretur? Deus Ecclesiam suam cum his et illis attributis formavit, quibus illa in suo esse constituitur et integra efficitur. Si in certamine perpetuo illam inter et potestates tenebrarum, aliquo illorum orbaretur, nonne in tantum, pariter, potestates illæ adversus eam prævalerent?

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

12. Ex innumeris textibus quibus firmatur propositio duos tantum ex S. CHRYSOSTOMO proferemus. "Nihil Ecclesiæ par est. Ne mihi commemores muros et arma: muri enim tempore deteruntur, Ecclesia vero numquam senescit. Muros barbari demoliuntur, Ecclesiam ne dæmones quidem vincunt. Quod hæc non sint jactantiæ verba, res ipsæ testantur. Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero cælos transcendit. Talis est Ecclesiæ magnitudo: vincit impugnata; insidiis appetita superat; contumeliis affecta splendidior evadit; vulnera excipit, nec ulceribus cadit; agitata fluctibus non demergitur; procellis impetita naufragium non patitur; luctatur, nec prosternitur; pugilatu certat, nec vincitur. Cur ergo bellum permisit? Ut illa splendidius tropæum erigeret. *Εκκλησιας ουδεν ισον. Μη μοι λεγε τειχη και ὁπλα· τειχη μεν γαρ τῷ χρονῳ παλαιουνται, ἡ Εκκλησια δε ουδεποτε γηρᾳ . . . . . Πολεμουμενη νικᾳ· επιβουλευομενη περιγινεται· ὑβριζομενη, λαμπροτερα καθισταται· δεχεται τραυματα, και ου καταπιπτει ὑπο των ἑλκων· κλυδωνιζεται, αλλ' οὐ καταποντιζεται· χειμαζεται, αλλα ναναγιον ουχ ὑπομενει· παλαιει, αλλ' ουχ' ἡττηται· πυκτευει, αλλ' ου νικαται. Δια τι ουν συνεχωρησε τον πολεμον; Ἱνα δειξη λαμπροτερον το τροπαιον.*"—Homil. de Capto Eutropio, n. 1.

13. "Nihil Ecclesia potentius [ουδεν Εκκλησιας δυνατωτερον] o homo. . . . . Ecclesia est ipso cælo fortior: 'Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt' [Matth. xxiv. 35]. Quæ verba? 'Tu es Petrus, et super hanc meam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam' [Matth. xvi. 18]. Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt? quot sartagines? quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti? Nihilque profecerunt. Ubinam sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? Plus quam sol splendescit. Quæ illorum erant exstincta sunt, quæ ad illam spectant sunt immortalia. Ποῦ οι πολεμησαντες; Σεσιγηνται και ληθῃ παραδεδονται. Ποῦ δη ἡ Εκκλησια; Ὑπερ τον ἡλιον λαμπει. Τα εκεινων εσβεσται, τα ταυτης αθανατα." Homilia ante Exilium, n. 1.

SECTIO TERTIA.—*Solvuntur Objectiones quædam.*

14. *Object.* I. Etsi Ecclesia a diabolo læderetur, etiam usque ad amissionem unius aut alterius attributi, attamen ipsa multo magis læderet. Atqui, in ista hypothesi, dici non posset victa.

15. *Resp.* Dist. minor: In ista hypothesi dici non posset victa, in sensu divinarum promissionum, et illis attentis: Nego: Illis promissionibus sepositis: Transeat. In ista hypothesi, sciz., amissionis unius ex ejus attributis divinis, sive vocares Ecclesiam victam, sive non victam sed tantum læsam, parum refert. Tales sunt promissiones divinæ ut nec lædi potest, eo sensu, nec vinci. Si Ecclesia in aliquo suo attributo deficeret, istæ promissiones deficerent. Addendum est Ecclesiam non præliari cum diabolo ut parem

cum pari, sed ut Dominatricem Regiam cum proscripto maledicto, a quo si aliqua parte suæ majestatis regalis privetur, vere vincitur.

16.—*Object.* II. Non magis certæ, claræ et absolutæ sunt promissiones factæ Ecclesiæ Christianæ, quam factæ fuerant Ecclesiæ Judaicæ. Atqui Ecclesia Judaica non fuit indefectibilis. Ita multi Protestantici auctores, tam novi quam veteres.

17. *Resp. Primo.* Nego major., ad cujus solutionem perfectam absolutamque tria sequentia notanda. I. Quantumvis clari sint textus in quibus prædicitur sive promittitur indefectibilitas Ecclesiæ Judaicæ absoluta, interpretandi sunt et limitandi per alios textus in quibus non minus clare affirmatur eam esse aliquando defecturam. Hujusmodi autem textus plures sunt. Nonne apud omnes qui Christiani vocantur convenit Legem et Ecclesiam Vet. Testamenti, ex ordinatione divina clarissime in S. Scripturis manifestata, umbram et præparationem fuisse Legis et Ecclesiæ Novi Testamenti, et, ut tales, adveniente Messia, abrogandas? Quæcumque ergo fuerit firmitas Ecclesiæ Judaicæ promissa, non in perpetuum sed at tempus promissa est. Contra, indefectibilitas perpetua perspicue et significanter Ecclesiæ Christi promissa est, et nullibi hæc promissio ne minimum limitatur, aut quovis modo temperatur.

18.—II. Non dabitur nova revelatio superaddita revelationi Christianæ, eamque implens, explicans, augens, prout revelatio Christiana implevit, explicavit, auxit revelationem Mosaicam. Non formabitur nova Ecclesia Dei, cui Ecclesia præsens est præparatoria, "umbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum" (Hebr. x. 1), qualis fuit Ecclesia Judaica relative ad

Ecclesiam Christi. Si ergo deficeret Ecclesia Christi, non eo modo deficeret quo deficit imperfectum mutatum in perfectum, quo deficit pueritia aucta in virilitatem, quo deficit diluculum clarescens in lucem: sed penitus deficeret, sicut dies deficit in nocte, sicut vita in morte. E contrario, Ecclesia Judaica non erat desitura per simplicem interitum, sed per transmutationem in statum diversum sed meliorem.

19.—III. Ex dictis, n. 18, concludimus non omnes promissiones Ecclesiæ Judaicæ factas, ei *ut tali* factas esse, et in ea, ut tali, implendas. Quædam ei propriæ sunt, ut v. g. promissio temporalis felicitatis, prout populus servaret legem necne. Quædam ei facta sunt, non in ea implendæ, nisi postquam ad statum perfectionis perveniret; i.e. in Ecclesia Christi implendæ. Tales sunt promissiones catholicitatis et aggregationis gentium in eam, &c. &c. Ut enim dicit S. Augustinus, de Civitate Dei, L. 17. c. 6, n. 1:—"Quando ei [sacerdotio Aaronico] æternitas promissa est, non ipsi umbræ ac figuræ, sed ei quod per ipsam adumbrabatur figurabaturque, promissum est."

20. *Resp. Secundo* (ad n. 16). Nego minor. Nunquam defecit Ecclesia Judaica, usque ad adventum Messiæ, quo tempore, sensu jam exposito, desitura erat. Etsi enim aliquando, maxime ante captivitatem Babylonicam, tota fere gens visa est in idololatriam dilapsa esse, attamen nullum fuit tempus in quo non fuerint veri Israelitæ, qui fidem et cultum rectum firme et constanter tenuerunt.

21. Si contra jam dicta (n. 20) *objiciatur*:—Ecclesia Christi certo deficeret, si numerus fidelium ad paucos in angulo terræ contraheretur. Ergo, a pari, jure dicitur Ecclesiam Judaicam defecisse iis temporibus, in quibus tantum prævaluit idololatria.

22. *Resp.* Concedo antecedens: Nego consequentiam. Catholicitas enim loci est unum ex attributis Ecclesiæ Christi, quo amisso, deficeret. Non erat autem attributum Ecclesiæ Judaicæ; uti evidens est ex ipsius institutione, constitutione et tota forma; et ut ab omnibus conceditur.

23. *Object.* III. Ex locis S. Scripturæ in quibus defectio Ecclesiæ futura affirmatur. Horum unum aut alterum hic proferemus, in quibus prædici videretur totalis a fide defectio:—"Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos . . . . . Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest), etiam electi:" Matth. xxiv. 11, 24; "Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra:" Luc. xviii. 8; "Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.:" 2 Thessal. ii. 3. Ex his patet quod tanta aliquando erit discessio (*αποστασια*), ut fides omnino aut fere omnino dispereat.

24. *Resp. Primo.* Illorum textuum, in multis (ut ex levissimo commentariorum sive Catholicorum sive Protestanticorum conspectu patebit), adeo difficilis et incerta est interpretatio, ut contra propositionem tam claris et solidis argumentis firmatam, nihil ex iis erui potest.

25. *Resp. Secundo.* I. Quoad textum ex S. Matth. In sermone hoc duo prophetice describit Christus, sciz., eversionem urbis Jerusalem, et dissolutionem mundi finalem. Quatenus prophetia intelligatur de eventu priori, nulla est objectio: nemo enim dicit Ecclesiam *Christi* (quicquid dicitur de Ecclesia Judaica), desiisse eversione urbis et templi Jerusalem. Quatenus intelligatur de eventu posteriori, mala quidem et tentationes gravissimas, necnon

et apostasiam magnam, et omnibus antecedentibus majorem, significat, nullomodo autem universalem et totalem. Imo apostasiam non esse futuram totalem aperte affirmat, dicendo aliquos non esse seducendos, sciz., electos.

26.—II. Quoad textum ex S. Luca. Et hic quoque, juxta quosdam, de duplici adventu Christi, sciz., ad evertendam Jerusalem et ad destruendum mundum, intelligi potest. Quatenus de priori intelligatur, vocabulum *terra* significat non orbem terrarum, sed terram Judeæ; qui usus in Scriptura frequens est, ut omnes norunt. Quatenus de posteriori intelligatur, vel Christus loquitur de defectu fidei formatæ et vivæ, ut quidam putant, vel de defectu fidei simpliciter. De quocumque defectu loquatur, magnum illum fore plane insinuat: quod vero futurus sit totalis, nec affirmat nec insinuat.

27.—III. Quoad textum ex 2 Thessal. discessionem ibi prædictam de defectione a Romano Imperio intelligunt Ambrosius, Sedulius et Primasius, ut testatur Bellarminus, qui hanc sententiam "valde probabilem" vocat. Ut puto, longe communior, imo, saltem inter recentiores, communissima, et mihi multo probabilior est sententia quæ hunc locum de defectione ab Ecclesia tempore Antichristi interpretatur. Posita hac interpretatione, ad objectionem respondeo: Concedo, sub fine mundi, futuram esse apostasiam magnam, insignem, tremendam, qualis non fuit ab initio. Sed nullomodo sequitur ex textu illam esse futuram totalem: e contrario, ut jam vidimus ex Matthæo, quidam stabunt firmi: vid. c. 4, n. 51.

28. Si contra hæc *urgeatur*:—Saltem, ex dictis, ita, sub persecutione Antichristi, coarctabitur et minuetur Ecclesia, quoad catholicitatem loci et multitudinis membrorum, quod

hoc certe attributo orbata erit; et ideo, secundum dicta n. 5, deficiet.

29. Seposita quæstione an catholicitas loci et multitudinis membrorum *simultanea* sit attributum Ecclesiæ essentiale, seu potius an hoc sit definitum; et posito talem catholicitatem esse attributum Ecclesiæ essentiale, et præfatos textus (n. 23) esse interpretandos ad sensum objectionis (n. 28); *Resp.* I. Hoc solum sequitur, Deum, qui promisit Ecclesiam in nullo ex suis attributis, usque ad finem mundi, defecturam esse, eundem hanc apposuisse exceptionem, sciz., eam in hoc uno attributo catholicitatis esse partialiter, tempore quodam determinato et præsignato, defecturam. Nullomodo autem sequitur eam esse in hoc attributo, ante illud tempus, aut in aliis attributis, ullo tempore, defecturam. Exceptio admittitur quæ explicite apponitur: sed non ideo debemus admittere exceptionem, quæ nec explicite nec implicite apponitur.

30.—II. Etsi admitteremus (quod tamen nullomodo admittimus), Ecclesiam esse tempore Antichristi, aut cito post, penitus desituram, nihil inde nostræ propositioni repugnans sequeretur. Cum enim dicimus Ecclesiam esse indefectibilem usque ad finem mundi, necesse non est ut finis ille intelligatur rigorose seu, ut ita dicam, physice, pro ipso instanti aut die aut mense aut etiam anno, sed moraliter et cum aliqua latitudine. Forsan ab aliquo concipi potest congruitas quædam in eo quod Ecclesia ad paucos, et hos vere fideles et sanctos, sub fine mundi, redigeretur. Sicut enim in sua infantia, a die Pentecostes usque dum per gentes aliquantum propagata fuit, omnia sua attributa plena et perfecta habuit, Unitatis, Sanctitatis, Infallibilitatis, &c., nisi quod adhuc haud ita multos, sed

hos eminenter fideles et sanctos, in sinu suo comprehendebat; ita in extrema sua senectute, et cursu consummato, jam jam extinguenda, ad suum statum primævum rediret.

31.—III. Posito quod textus objecti interpretandi sunt de deminutione Ecclesiæ (de totali enim ejus defectione eos non posse intelligi jam vidimus); quoniam tempus hujus deminutionis definitum est, sciz., sub persecutione Antichristi; et quoniam ad tempus hoc luctuosum, cum venerit, dignoscendum iis qui tunc vivent tot tantaque dabuntur signa Matth. xxiv.; Luc. xxi.; et quoniam nullibi in verbo Dei ne minimum existit indicium deminutionis ante illud tempus eventuræ, sed in contrarium multa: ergo ante illam deminutionem in fine mundi, alia non erit. Seu, aliis verbis, ex ipsis illis textibus unde objectio contra nostram propositionem derivatur, argumentum derivatur quo hæc propositio confirmatur. Hæc est enim regula, usu loquelæ claro et universali firmata :— Quotiescumque futurum aliquod, præsertim si singulare sit et maximi momenti, affirmatur esse hoc vel illo tempore determinato (etsi adhuc ignoto, quale est tempus Antichristi aut finis mundi), eventurum; tunc, nisi aliquod in contrarium affirmetur, per hoc significatur illum eventum non esse ante tempus determinatum eventurum. Sic cum (Dan. ix. 24), prædicitur Messiam esse post 70 hebdomadas (sciz, annorum) venturum, per hoc significatur illum non esse antea venturum. Cum (ibid. 27), prædicitur hostiam et sacrificium esse in medio ultimæ hebdomadis defectura, per hoc significatur ea non esse antea desitura. Cum (Act. i. 11) Apostolis, post Ascensionem Domini, dixerunt Angeli :—"Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet [sciz. ad ultimum Judicium]

quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum," per hoc significatur eum sic non esse antea venturum. Alia hujusmodi exempla innumera proferri possent : in quibus omnibus duo affirmantur, unum explicite, alterum implicite, sciz., 1°, factum prædictum tempore prædicto eventurum esse, 2°, et non esse antea eventurum.

Hactenus polemice et ad solvendam objectionem. De quæstione, quatenus vel dogmatica vel scholastica est, vid. pauca breviter enarrata, D. 4, n. 38.

CAPUT QUARTUM.

DE VISIBILITATE ECCLESIÆ.

SECTIO PRIMA.—*Status Quæstionis explicatur.*

1. Visibilitas duplex est, *Materialis* et *Formalis;* quæ vocabula duas sibi propinquas significationes habere possunt. I. Dicitur aliquid esse materialiter visibile, cum in eo tantum attenditur id quod *in se* visibile est. Hoc sensu homo, corpore solo aspecto, materialiter visibilis est. Dicitur aliquid esse formaliter visibile, cum in eo attenduntur ea quæ in se invisibilia aut saltem occulta sunt, prout signis externis se produnt; seu, aliis verbis, cum attenduntur signa externa *prout* quæ invisibilia sunt manifestant. Sic, homo formaliter visibilis est, seu visibilis ut homo, cum videtur ut animal rationale; anima enim rationalis sese manifestat per loquelam, &c. II. Societas aliqua hominum est materialiter visibilis, cum consideratur tantum ut cœtus hominum, quin attendatur eos hoc vel illo vinculo in hanc vel illam societatem esse coadunatos. Si vero sit mihi visibilis, non tantum ut societas hominum, sed ut societas v. g. militum, mercatorum, clericorum, Catholicorum, Protestantium, &c., tunc mihi formaliter visibilis est.

Satis patet quæstionem non esse de visibilitate Ecclesiæ materiali, sed tantum formali, seu *ut Ecclesiæ.*

2. Quæcunque societas distincta aliquid necessario habet per quod fit distincta: et ut sit visibilis (ex hoc semper

intelligo visibilitatem *formalem*), eas debet manifestare proprietates aut signa quibus discernatur ut talis individua societas et non alia. Sic, si adsint, sive in eodem loco intermixti sive in vicinis locis separati, cœtus militum et cœtus medicorum et cœtus jurisperitorum, &c., et si nulla sint signa externa, quorum unusquisque conventus sua propria habeat, quibus a seinvicem discernantur, sunt singuli cœtus pariter invisibiles. Item, si conventus sint in eodem genere, v. g. militum Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, &c. Si vero, ut in exemplo exercituum variarum nationum simul convenientium, unus exercitus, v. g. Angliæ, ea signa exhibeat, quibus internoscatur non tantum ut conventus militum sed etiam militum Anglicorum, tunc visibilis est non tantum ut exercitus sed ut exercitus militum Anglicorum. Ceteri vero exercitus nullum exhibentes signum quod sint milites, vel quod sint milites hujus vel illius nationis, non sunt visibiles ut milites, aut ut milites hujus vel illius nationis. Item in exemplo Ecclesiarum, si una Ecclesia ea exhibeat signa quibus discernatur non tantum ut aliqua Ecclesia Christiana [Anglice "*a* Christian Church"], sed ut individua et singularis Ecclesia ab omni alia absolute distincta; tunc est visibilis non tantum ut Ecclesia aliqua Christiana, sed ut Ecclesia hæc individua et distincta v. g. Romano-Catholica. Si vero alia Ecclesia sese exhibeat tanquam Ecclesiam Christianam, sed dijudicari nequit an sit Lutherana, Calvanistica, &c., tunc non est visibilis ut Ecclesia aliqua individua distincta. Insuper, si existant aliqua signa (talia autem existere postea ostendetur), quæ probant ecclesiam cui insunt esse non tantum ecclesiam aliquam Christianam, sed ipsam unicam et unice veram Ecclesiam Christi; tunc talis ecclesia est visibilis non tantum ut ecclesia aliqua Christiana, sed ut una vera

Ecclesia Christi; et omnes aliæ ecclesiæ eo ipso falsæ esse demonstrantur.

3. Propositio nostra Ecclesiæ visibilitatem affirmans est omnino generalis, qualis fuit Propositio de indefectibilitate, c. 3, n. 7. Non supponitur Ecclesiam habere hoc vel illud attributum, v. g. unitatis; sed tantum dicitur, quæcumque sint ejus attributa, illorum manifestatione perpetua, ipsam perpetuo visibilem esse. Sic, ex mundo materiali ostendi potest existentia Supremi Numinis in illo mundo se clarissime manifestantis, quin prius supponatur aut inquiratur quæ sint ejus attributa in specie:—"Cæli enarrant gloriam Dei:" Psal. xviii. 1; "Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur:" Rom. i. 20. Quod etiam dictum est eodem c. 3, n. 7, de indefectibilitate, eam posse vocari proprietatem proprietum, et de visibilitate pariter dici potest.

4. Triplici sub aspectu visibilitas Ecclesiæ contemplari potest; quatenus ea per quæ visibilis fit considerantur ut factum pure humanum seu naturale, vel ut factum divinum, vel ut factum simpliciter. I. Si quis admitteret unitatem et firmitatem mirabilem Ecclesiæ Catholicæ, ea tamen non divino concursui et præsidio, sed causis naturalibus, sapientiæ et consilio mundano referens, is hanc visibilitatem tanquam factum mere humanum haberet, et prædicta attributa nihilo altioris aut divinioris ordinis quam v. g. unitatem atque firmitatem Imperii Britannici. II. Illi vero qui hæc non causis mere humanis, sed digito Dei providentis et dirigentis ascriberet, factum est plane divinum. III. Visibilitas Ecclesiæ spectatur ut factum simpliciter, cum manifestatio attributorum ejus consideratur ut merum factum, et abstrahendo ab eo quod sint vel divina vel humana.

5. Nos visibilitatem Ecclesiæ tanquam factum divinum hic intelligimus, et dicimus Ecclesiam se, in attributorum suorum externa manifestatione et in operationibus suis *ut veram Ecclesiam* exhibere et declarare. Ideoque affirmamus veram Ecclesiam Christi esse non tantum visibilem, sed etiam visibilem *quatenus veram*. Dicimus insuper Ecclesiam esse non tantum visibilem, sed etiam eminenter et permanenter et perpetuo visibilem.

6. Heterodoxorum sententiæ sub quadruplici capite ordinari possunt. *Prima* est eorum qui Ecclesiam omnino et essentialiter invisibilem esse affirmant. Hanc sententiam necessario tenere debent, qui tenent Ecclesiam ex solis prædestinatis aut ex solis justis constare. *Secunda* sententia eorum est qui duplicem fingunt Ecclesiam, aliam visibilem aliam invisibilem. In hac sententia membra ecclesiæ invisibilis sunt vel soli prædestinati, vel soli justi, vel soli prædestinati et justi, &c. Ceteri sunt membra ecclesiæ visibilis. *Tertia* sententia eorum est qui nomine tenus admittentes Ecclesiam esse visibilem, attamen hanc Ecclesiam, non qua visibilem sed qua invisibilem—seu, aliis verbis, eam illius Ecclesiæ partem quæ invisibilis est —variis privilegiis et dotibus a Christo Ecclesiæ suæ promissis et collatis solam gaudere tenent. *Quarta* demum sententia eorum est qui admittunt Ecclesiam esse ex ordinatione divina visibilem, sed non talem ita essentialiter et indefectibiliter, quod ullo temporis spatio quantumvis exiguo non possit aut multum aut etiam omnino obscurari. Hi ergo dicunt corruptiones in fide, &c., adeo, pro tempore saltem, diffundi posse, ut nitorem Ecclesiæ multum obscurent, vel etiam prorsus denigrent.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO.—*Ecclesia Christi est eminenter et perpetuo Visibilis.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

7. PRIMO. *Probatur ex Vet. Testamento.* In hoc argumento conficiendo, prius ostendemus singula loca jam proferenda de Ecclesia Christi esse intelligenda: deinde ex iis simul sumptis nostram Propositionem astruemus.

Primus textus. "Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eam omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus, &c.:" Isaias ii. 2, 3. Eandem prophetiam iisdem fere verbis habet Michæas:—"In novissimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, et sublimis inter colles: et fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob: et docebit nos de viis suis, et ibimus in semitis ejus," &c.: Mich. iv. 1, 2.

8. Hos textus de Ecclesia Christi interpretandos esse probatur. I. Ex consensu Patrum. Sepositis quibusdam symbolicis et mysticis interpretationibus, quæ ad rem non attinent, unanimiter per *Montem* et *Domum Domini* Ecclesiam N. Testamenti intelligunt. Etsi enim quidam dicant Christum ipsum esse *Montem*, intelligunt tamen Christum ut Caput Ecclesiæ, et per illam se manifestantem, &c., quod eodem recidit.

9. II. Ex ipsis textibus quorum verba non aliam pati

possunt interpretationem. Vel enim sermo est in illis textibus de Ecclesia Christi, vel 1°. de Ecclesia aut gente Judaica, in aliquo suo futuro statu temporario ante Christum (Dixi "temporario ante Christum," quia talem statum permansisse post Christum tam aperte factis contradicitur, ut nemo hoc dicere ausus est). Secundum hanc interpretationem prophetia impleta est ante Christum. Vel 2°. sermo est de statu adhuc futuro Judæorum qui nunc a tot seculis dispersi, posthac in unam nationem congregabuntur, cui omnes nationes terræ, perfecta pace et concordia tunc fruentes, subjicientur. Vel 3°. sermo est de ipso monte Sion, seu monte Moria, in quo templum ædificatum est, quæ tantam postea gloriam adeptura erat, utpote ex quo Evangelium Christi ortum duceret, et undequaque diffunderetur.

10. Sed prorsus commentitiæ sunt illæ interpretationes. Talis est *Prima.* 1°. Falsum est gentes, i. e. ethnicos confluxisse aut ascendisse ad Ecclesiam Judaicam, ad "montem Domini," ad "domum Domini," ad "domum Dei Jacob." 2°. Falsum est gentes, ante Christum, edoctos fuisse vias Domini, aut in iis ambulasse, aut alterutrum desiderasse, aut eo tendisse.

11. *Secunda* interpretatio nihil aliud est quam somnium istud de Millennio futuro in fine mundi, quod penitus dissipatum habes, D. 5, n. 85, &c.

12. Quoad interpretationem *Tertiam*, sciz., per montem intelligi ipsum montem Sion. In ista interpretatione vel mons Sion accipitur ad literam de monte materiali, vel tropice et ut typus Ecclesiæ. Primum dici non potest. 1°. Quia mons simpliciter dicitur "mons Dei;" nec mentio fit Sionis aut Moriæ in contextu. 2°. Quia falsum est gentes confluxisse ad montem Sion ut montem materialem.

Si igitur per montem Dei hic significetur mons Sion, mons iste non ut mons materialis seu ad literam, sed ut typus Ecclesiæ Christi significatur. Et hæc interpretatio, hoc sensu intellecta, facile cum nostra conciliari potest, seu potius, quoad rem, nostra est.

13. Manet ergo nostra interpretatio quæ ad amussim cum verbis textuum concinit. In novissimis enim diebus existit Ecclesia Christi—novissimis quidem, quia Christiana dispensatio ultima est, quæ ceteras perficiens et perficiendo tollens, iis succedit, ipsa non aliam sibi subrogandam habitura. Deinde, ad ipsam fluxerunt gentes, fluunt, fluentque. In illa docentur vias Domini; et, ambulando in semitis ejus, pacem habent et lumen Domini et sanctitatem.

14. *Secundus* textus ex eodem Propheta, cap. lx., desumitur. "Surge, illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, et caligo populos; super te autem orietur Dominus, et gloria ejus in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, et affluues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi," &c. &c.

15. Hæc de Ecclesia Christi intelligenda sunt. 1°. Ex Patribus: quorum instar sit S. Hieronymus, qui recensitis et rejectis interpretationibus Judaicis et semijudaicis, sic pergit:—"Nos autem juxta priorem sensum ad Ecclesiam dici universa credamus, quæ primum de Judaico populo congregata est, et lumen quod super eam ortum fuerat, per

Apostolos transmisit ad Gentes, cui dicitur: Surge, illuminare, ut quæ cecidit in incredulis surgat in fidelibus; quæ cecidit in Synagogis, surgat in Ecclesiis; et postquam surrexerit, illuminetur, ut nequaquam habeat erroris tenebras."

16. 2°. Ex comparatione initii hujus Cap. cum initio Cap. ix., in quo manifesto et certo sermo est de Ecclesia Christi, ut jam videbitur:—"Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe," &c. Item, ex comparatione cum variis locis N. Testamenti. Verba allata Cap. ix. ea sine dubio sunt quæ designantur, Matth. iv. 14, &c.:—"Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Jesus prædicare, &c.;" in prophetia Zachariæ, Luc. i. 78;—"Visitavit nos oriens ex alto, illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis;" S. Paulus, Rom. xiii. 12:—"Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus;" et Ephes. v. 8, 14:—"Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate . . . . Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus." In hisce locis nimis clara videtur esse allusio ad loca Isaiæ ix. et lx. Eadem vera metaphora *tenebrarum*, *lucis*, *illuminationis*, &c., sæpius et significanter in N. Testamento occurrit:—Joann. i. 4, 9; iii. 19; viii. 12; Act. xxvi. 17; Coloss. i. 12; 1 Pet. ii. 9.

Istorum locorum ex vet. Test. et aliorum enarrationem pleniorem vid. D. 5, n. 45, &c.

17. SECUNDO. *Probatur Propositio ex Novo Testamento.* Ex ipsa Constitutione, Officiis et Fine Ecclesiæ. Est enim Ecclesia non turba confusa et colluvies rerum, sed quid ordinatum. Constat ex rectoribus et subditis, quorum priorum est, secundum suos in ista hierarchia diversos gradus, præesse, regere, leges ferre et temperare et tollere, præcepta edere, invigilare, judicare, variis muneribus aptiores præficere, delinquentes pœnis plectere, domesticos fidei docere, extraneos prædicando et aliis mediis convertere, sacramenta ministrare, &c. Omnium vero est externos actus fidei, spei et charitatis, ceterarumque virtutum, pro temporis et aliarum circumstantiarum ratione, ponere; Deum et publico et privato cultu prosequi; omnia ea denique officia præstare quæ virum Christianum, erga se et proximum et Deum, decent. Hæc ex innumeris locis Scripturæ clarissime constant; ex quibus quorundam verba initialia indicare hic sufficiat:—"Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos," &c.: Ephes. iv. 11; "Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores, &c.:" 1 Cor. iv. 1; "Attendite vobis et universo gregi," &c.: Act. xx. 28; "Ego . . . . judicavi . . . . tradere hujusmodi satanæ," &c. 1 Cor. v. 3; "Si non audierit eos, dic Ecclesiæ," &c.: Matth. xviii. 17; "Tu es Petrus et super hanc," &c.: xvi. 18; "Euntes ergo docete," &c.: xxviii. 19; "Et eritis mihi testes in Jerusalem," &c.: Act, i. 8; "Vos estis lux mundi, &c.; Sic luceat lux vestra," &c.: Matth. v. 14, 16; "Qui confitetur me coram hominibus," &c.: x. 32; &c., &c. Hi textus prædictam Ecclesiæ constitutionem, officia et operationes in ea quotidianas et perpetuas, planissime indicant. Jamvero

cum tali constitutione non magis consistere potest invisibilitas, quam cum luce tenebræ, cum motu quies, cum bello pax. Hoc argumentum, quod in immensum ampliari posset, quodque hic summatim tantum, et quidem vix etiam summatim, delibavimus, ulterius evolvere supervacaneum esse videtur. Formalem esse et Perpetuam hanc visibilitatem ex jam dictis facile ostendi potest. Ad minus sequitur Ecclesiam Christi esse essentialiter visibilem, ut Ecclesiam, et ergo Ecclesiam quæ non fuit semper visibilis, eo ipso non esse Ecclesiam Christi veram argui.

18. Etsi ab evolvendis sigillatim quæ in jam dato argumento continentur capitibus abstinemus. quædam tamen, speciminis gratia, breviter notabimus. I. Voluit Christus omnia Ecclesiæ suæ membra in recta via, quoad fidem et mores, semper incedere, fidem veram tenere et vitam sanctam agere. Ad hunc finem assequendum constituit pastores, prædicatores, rectores. Horum officium est attendere gregi illis commisso, contra falsos fratres et seductores monere, prædicare, instare, arguere, obsecrare, increpare, vigilare, &c. &c.: Act. xx.; 2 Tim. iv., &c, &c. Hæc officia ex parte præpositorum supponunt, quod et alias diserte præcipitur et inculcatur, officium audiendi et obediendi ex parte fidelium. Utriusque generis officia implenda sunt perpetuo in vera Ecclesia. Sed horum officiorum executio ita visibilis est quod invisibiliter fieri non potest. Ecclesia Christi vera in his proinde visibilis est. II. Ecclesia vera debet esse clare et certo distinguibilis ab omni Ecclesia falsa—*Primo*, ut fideles, in ea securi maneant, neque extra eam in sectas evagentur. Si enim vera Ecclesia a falsis non sit distinguibilis, ut vera Ecclesia, fidelibus constare non potest se esse in via recta ; constare non potest an hæc vel illa alia Ecclesia non sit Ecclesia vera, et

idcirco an non sit licitum aut obligatorium ad aliquam aliam Ecclesiam transire. Præterea monentur fideles cavere et fugere a falsis doctoribus qui sese ut veros exhibent: Matth. vii. 15; Act. xx. 29-31; Rom. xvi. 17. Ergo præsto sunt media quibus distingui possunt veri a falsis pastoribus, et vera a falsa Ecclesia. Jamvero, si Ecclesia vera sit certo et clare distinguibilis, ut Ecclesia vera, ab omnibus sectis falsis, est ergo visibilis ut Ecclesia vera. III. Ecclesia vera debet esse clare et certo distinguibilis ab omni ecclesia falsa—*Secundo*, ut infideles ad eam pervenire possint. Deus enim "omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire:" 1 Tim. ii. 4. Vult ergo omnes ad Ecclesiam veram pertinere. Dat ergo, quantum in ipso est, omnibus media sufficientia ad eam perveniendi. Sed ad eam pervenire non possunt, si eam ut veram ab omni falsa Ecclesia secernere nequeant. Ergo Ecclesia vera est, ut talis, distinguibilis.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

19. "Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur."—S. Irenæus, l. 5, c. 20, n. 1.

20. "Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur."—S. Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ.

21. "Thronum Christi intellige Ecclesiam: in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi fulgens et illuminans orbem, manensque in æternum sicut sol et luna."—S. Athanasius, Expositio in Psalm. lxxxviii, 38.

22. "Sicut lilium inter spinas eminet, ita super omnes conventus Ecclesia Dei refulget."—S. Ambrosius, Exposit. in Psalm. 118, n. 7.

23. "Hanc [Ecclesiam Catholicam] ignorare nulli licet; ideo, secundum verbum Domini nostri Jesu Christi, abscondi non potest."—S. AUGUSTINUS, Epist. 52, n. 1.

24. "'In sole posuit tabernaculum suum.' Ipsa est Ecclesia in sole posita, hoc est in manifestatione omnibus nota, usque ad terminos terræ."—*Idem*, ad Donatistas, Epist. 105, n. 14.

25. "Jam [sub Novo Testamento] in sole, hoc est in manifestatione, posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius."—*Idem*, de Consensu Evangelistarum, L. 1, n. 46.

SECTIO TERTIA.—*Solvuntur Objectiones contra Propositionem.*

26. *Object.* 1. "Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum:" Matth. xviii. 44.

27. *Resp.* Trita est regula, omnibus tironibus nota, rerum secum comparatarum non esse exquirendas aut urgendas similitudines, præterquam in iis qualitatibus in quibus comparantur. Sic, si vir fortis leoni comparetur, aut leo vocetur, in fortitudine sola comparatio fit: neque concludendum est illum virum debere, ut justa sit comparatio, habere jubam sicut leo, aut rugire sicut leo, &c. Sicut leo, ut terminus comparationis, est signum fortitudinis, vulpes astutiæ, asinus stoliditatis, &c., ita et thesaurus est signum pretii: prout constat ex usu communi, et in textu etiam clare declaratur per verba, "quem qui invenit homo," &c.

28. *Object.* 2. "Interrogatus autem a Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non

venit regnum Dei eum observatione: neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est;" Luc. xvii. 20, &c. Per regnum Dei hic significatur Ecclesia Messiæ in terris: tum quia de hoc solo cogitabant Pharasæi; tum quia, ex responso Christi, illud regnum jam actu extitit. Atqui regnum hoc est invisibile, utpote quod venit sine observatione, et intra illos, i. e. internum erat.

29. *Resp.* Variæ sunt interpretationes, magis aut minus probabiles, illius regni Dei, quas videas apud commentarios. Si significetur regnum Messiæ in terris, seu Ecclesia, quæ mihi interpretatio multo probabilior est—Ecclesiam autem intelligo in suo initio et radice, non ut jam conditam et stabilitam, ut talis enim tunc temporis non extitit—dico Pharisæos expectasse Messiam esse venturum cum observatione, μετα παρατηρησεως, i. e. cum "splendore, pompa:" Schleusner, in voc. Forsan ergo subdole interrogabant Christum de hoc regno, insinuantes ipsum, cum non ita venerit, non esse Messiam. Sed, sive hoc animo interrogaverint sive non, Christus eorum notiones erroneas, tum de *modo* tum de *tempore* adventus Messiæ correxit, dicendo illum non venire cum isto apparatu, imo non esse venturum sed jam venisse, et regnum ejus in medio illorum esse—εντος ὑμων, *inter vos, in medio vestri.* Quod autem dicitur esse in medio hominum, hoc ipso non tantum non declaratur esse invisibile, sed e contrario declaratur esse omnino visibile.

30. *Object.* 3. "Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare:" Joann. iv. 23, &c. Ecclesia cujus cultus est

omnino invisibilis, ipsa invisibilis est. Atqui talis esse debet cultus in Ecclesia Christi.

31. *Resp.* Nego Min. 1°. Ipsi Protestantes suum cultum externum habent, templa, vestes ministeriales, conciones et orationes et cantus publicos, ritus et cærimonias, imo et, saltem in Ecclesia Constituta, etiam rubriculas suas.

32. 2°. Illa adoratio in spiritu et veritate, quodcunque significet, certissimo non significat cultum invisibilem et pure internum. Deum enim esse culto externo et visibili colendum clamat ipsa ratio (ut ostendunt Ethici Philosophi), clamat millies Scriptura, in qua externi actus fidei, spei et charitatis; zelus pastorum in prædicando, invigilando, gubernando, &c.; et alia innumera, et verbis Christi et Apostolorum, et exemplis fidelium, commemorantur, suadentur, urgentur. In re adeo clara non est opus textus congerere: vid. supra, n. 17. Sed hæc omnia ea sunt quæ variis modis cultum externum efficiunt.

33. "Prædicta Christi verba referri possunt, vel ad locum, vel ad ritum et modum adorandi: atqui quocunque modo intelligantur, non favent adversariis.

"Non primo modo: Nam interroganti Samaritanæ ubinam adorare oporteret, an in monte Garisim, ut Samaritani; an in templo Hierosolymitano, ut Judæi, respondit Christus venisse horam quando neque in monte, neque in Jerosolymis adorabunt Patrem: quasi diceret, nullo in loco certo astringendos fore ad adorandum; sed ubicunque voluerint, liberum ipsis fore adorare et publico ritu sacrificare . . . . Non secundo modo: Nam si prædicta verba intelligantur de ritu adorandi, nihil aliud significant, quam in lege Evangelica Deum non esse adorandum, vel ritu Judæorum, vel ritu Samaritanorum, sed ritu Christi-

anorum proprio, qui est adorare in spiritu et veritate. Quid sit autem eo loci adorare in spiritu et veritate, varie exponunt Interpretes :" TOURNELY, Q. 2, Art. 7.

34. Verborum "in spiritu et veritate" interpretatio illa nobis verisimilior videtur, secundum quam *Spiritus* opponitur cultui mere externo et absque debitis dispositionibus internis, de quo Malach. i. 10, &c. :—"Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra," &c., et Psalm. xlix. 13, &c. : — "Numquid manducabo carnes taurorum ? aut sanguinem hircorum potabo ? Immola Deo sacrificium laudis," &c. *Veritas* opponitur vel cultui falsorum deorum, vel typico cultui et ritibus Vet. Legis, secundum verba S. Pauli :—"Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum :" Heb. x. 1.

35. *Object.* 4. "Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem, et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis," &c. : Hebr. xii. 22. Ecclesia hic significata est Ecclesia Christi militans Ecclesiæ Judaicæ opposita, ut patet ex vers. 18 :—"Non enim accessistis ad tractabilem montem," &c. Sed Ecclesia hic significata est invisibilis; ut patet ex ipsis verbis, et ex eo quod opponatur Ecclesiæ Judaicæ visibili, monti tractabili.

36. *Resp.* Etsi quidam dicant sermonem hic esse de sola Ecclesia triumphante, et ideo negant Majorem, germanior tamen videtur alia interpretatio, secundum quam Dist. Maj. Ecclesia hic significata est sola militans: Nego: Est partim militans et partim triumphans, et Apostolus a priori incipens ad posteriorem ascendit: Conc. Per "Sion montem et civitatem Dei viventis" significatur Ecclesia militans, quæ e probatis visibilis est. Quæ sequuntur

autem "et multorum millium," &c., significant Ecclesiam triumphantem. Quoad "tractabilem montem," Ecclesia Christi huic opponitur, non ut invisibilis visibili, sed ut spiritualis terrenæ, ut realitas et perfectior typo et imperfectiori. vid. PERRONE, p. 1, n. 83.

37. *Object.* 5. "Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum:" 1 Pet. ii. 5. Ecclesia est domus spiritualis, et cultus ejus spiritualis est. Est ergo invisibilis.

39. *Resp.* 1°. Quoad domum spiritualem; Spiritualis non opponitur visibili, sed vel significat *spiritualem* seu metaphoricam ut oppositam *literali* seu naturali, eo modo quo Ecclesia vocatur Corpus Christi, propter similitudinem inter unionem ejus cum Christo et unionem corporis humani cum capite, &c. Ita intelligitur 1 Corinth. x. 4:—"Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra." Vel significat *supernaturalibus donis cumulatum*, quo sensu opponitur *mundano, carnali*, &c.; vel utrumque significat. Quoad hostias spirituales, hæ vel hostiis carnalibus et in se infructuosis Veteris Legis opponuntur, vel cuivis cultui externo, ut sic, et sine debitis dispositionibus internis præstito, vel utrique. 2°. Tantum abest ut Apostolus Ecclesiam invisibilem significet, ut statim, vers. 9, visibilitatem eximiam adstruat:—"Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: *ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*"

40. *Object.* 6. Catholici adeo extollunt magnique faciunt visibilitatem Ecclesiæ, ut vitam ejus internam, si non e medio tollere, saltem valde deprimere et minoris facere videantur. Veram essentiam Ecclesiæ non, ut

Protestantes, in invisibili, sed in notis externis ponunt. Non vitam internam fundamentum et fontem illius quod visibile est faciunt, prout faciunt Protestantes; sed, e contrario, quod visibile est faciunt fundamentum et fontem vitæ internæ. LITTON, ELLIOT et alii Evangelicales communiter.

41. *Resp.* Hic, sicut et alibi plerumque, errant adversarii, doctrinam Catholicam nec vere nec integre apprehendentes. 1°. Tanti facimus internam Ecclesiæ vitam, interna ista charismata seu animam qua vivit Ecclesia, ut credamus et confiteamur externa et visibilia suam firmitatem et gloriam ex iis charismatibus derivare, et tanti esse quia ea quæ tanti sunt manifestant, et iis demptis (per hypothesim impossibilem loquimur) nullius valoris fore, imo nullomodo amplius stare posse.

42. 2°. Non ponimus essentiam veram Ecclesiæ in quodam externo, sicut nec in quodam interno, sed in utroque simul inseparabiliter juncto; sicut non ponimus essentiam hominis in anima sola aut corpore solo, sed in anima et corpore hypostatice unitis.

43. 3°. Quod visibile est in Ecclesia non facimus fundamentum et fontem vitæ internæ, sed vitam internam facimus fundamentum et fontem omnis exterioris gloriæ ejus.

44. 4°. Non dicimus internam societatem Spiritus esse non essentialem Ecclesiæ veræ, sed illam præ omnibus essentialem esse tanquam dogma fidei et tenemus et declaramus.

45. 5°. Ecclesiæ gloriam externam et visibilitatem eminentem magnificamus et collaudamus, quia 1°. magnificatur hæc visibilitas toties tantumque in S. Scriptura, ut patet ex locis adductis in nostra Probatione. 2°. Per hanc visi-

bilitatem Ecclesia enarrat gloriam Dei. Per hanc, sicut cum Israelitis in mari per columnam igneam, se Deus manifestat cum Ecclesia, in manu forti. 3°. Visibili suo ministerio, in variorum munerum functionibus visibilibus, dispensat mysteria Dei.

46. Adversarii, præter alios errores, hæc duo confundunt, sciz., quod est essentiale Ecclesiæ ipsi, et quod est essentiale ut quis sit membrum Ecclesiæ. Virtutes fidei, spei, charitatis, &c., sunt essentiales Ecclesiæ, ita ut illis nunquam carere possit. Sed non sunt, saltem omnes, essentialis conditio in individuis ut sint vera membra Ecclesiæ. Non omnia quæ prædicari possunt aut debent de aliqua societate, ideo prædicari possunt aut debent de singulis membris illius societatis. Natio Anglica jure vocari potest natio fortis et opulens, etsi multi sint Angli ignavi, multi pauperes.

47. *Object.* 7. Ecclesia potest undique ita afflictationibus et persecutionibus circumdari et obrui, ut ad interitum vergere videatur: quod quidem haud semel tempore Imperatorum Romanorum, contigit. Atqui talibus certe temporibus non potest vocari eminenter visibilis. Hinc Ecclesia Christi vera et pura, sub longo Romani Pontificis dominatu, per media secula, "pusillus grex," delituit, secundum prophetiam:—"Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis:" Apoc. xii. 14. Ita multi Protestantes.

48. *Resp.* 1°. Dist. Maj. Ita potest Ecclesia afflictari, ut, re oculo carnis et humanitus considerata, et non attentis promissionibus Christi, ad interitum vergere videatur: Conc.; Re oculo fidei considerata, et attentis istis promissionibus: Nego.

49. *Resp.* 2°. Nego Min. E contrario, in afflictationibus

istis præcipue manifestus est digitus Dei in Ecclesia : præcipue elucent attributa ejus divina, fides firma, sanctitas heroica, robur invictum.

50. *Resp.* 3°. Quoad id quod additur de Ecclesia *pura* latitante, sciz., in Paulicianis, Albigensibus, &c., omissa quæstione de eorum vera indole et moribus,* dico breviter statum illarum sectarum non tantum non similem, sed prorsus dissimilem fuisse statui Ecclesiæ tempore persecutionum sub Imperatoribus. Hæc enim non tantum non se in loca remota et obscura recepit et ibi se abscondebat, sed quo magis oppressa est eo magis claruit, crevit, ampliata est, ad dexteram et ad lævam penetravit ; ita ut vere scripserit Tertullianus de Ecclesia suo tempore, "Sanguis martyrum semen est Christianorum." Quibus omnibus directe opposita de sectis istis affirmanda sunt.

51. *Resp.* 4°. Quoad textum ex Apocalypsi : sive hæc verba intelligantur de persecutione primorum seculorum, sive, quod multo probabilius est, de persecutione sub Antichristo, in fine mundi, sive de quacunque alia persecutione, non obstant visibilitati. Tum quia 1°, nihil est in textu quod insinuat defectionem gloriæ veræ et supernaturalis Ecclesiæ, sed tantum gravitatem et acerbitatem persecutionum, quibus, quo graviores et acerbiores sunt, magis magisque manifestatur Ecclesiæ victricis gloria. Tum quia 2° expresse dicitur :—"Et misit serpens ex ore

* Mirum est etiam hodie inveniri Protestantes specie saltem et nomine doctos, quos non pudet de sectis illis obscœnis, spurcis, nefariis humanius loqui. Fateor non multos tales scriptores dari, qui tamen ab auctore Protestantico vere docto, MAITLAND, in variis a se de hac materia editis commentariis, severe vapulant. De fanaticis istis, in quibus an crassa prævaleat ignorantia an vesania an spiritus mendacii statuere non posses, nil dicimus.

suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Et audivit terra mulierem, *et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo*," &c., vers. 15, 16.

52. *Object.* 8. Ecclesia est objectum fidei. Creditur enim, ut tenent Catholici, et patet ex symbolo Apostolorum:—"Credo sanctam Ecclesiam catholicam," et ex Symbolo Nicæno. Atqui objectum fidei non potest esse visibile: necessario enim obscurum et inevidens est, D. 1, n. 7, 85. Ita multi Protestantes hodierni sicut et antiqui.

53. Communis Auctorum responsio est, quoad rem, ea quam dat BELLARMINUS, l. 3, c. 14:—"Dico in Ecclesia aliquid videri, et aliquid credi. Videmus enim esse cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est quæ profitetur Christi fidem. Quis autem evidenter scit, nostram fidem esse Christi? id quidem firma ac certissima fide credimus: sed aliud est credere, aliud videre: immo ipsum credere definitur ab Apostolo, argumentum non apparentium."

54. Ignoscant mihi doctiores dicenti hanc mihi solutionem placere nunquam potuisse. Ecclesia enim est visibilis non tantum ut cœtus hominum, sed ut Ecclesia, imo (n. 5.) ut Ecclesia vera, et quidem unice vera. "Vera Ecclesia Christi visibilis est, non solum quia ubi, et in quibus personis visibilis sit, definite cognoscatur, sed etiam quia sensibus se exhibet, ut evidenter credibilem tanquam veram Christi Ecclesiam:" SUAREZ, Defens. l. 1, c. 8, n. 13. Similia habet ibid. n. 1, et de Fide, d. 9, s. 8, n. 1.

55. Ne ex his ansam arripiant adversarii nostros præclaros Theologos calumniandi quasi in doctrina dissentirent, in limine notandum est hos Auctores ne minimum in doc-

trina dissentire, sed dissidium esse totum in modo loquendi et in modo quo varia puncta doctrinæ, ad ea explananda et defendenda, ordinent. Omnes uno ore pro certissimo declarant Ecclesiam veram esse *ut talem* clarissime discernibilem et evidenter credibilem per signa quædam seu notas externas et sensibiles. Sed tractantes quæstionem de visibilitate Ecclesiæ, *ut polemicam et contra varias sententias Protestantium*, hanc visibilitatem quasi formis et gradibus diversis et minus aut magis perfectis proponunt. 1°. Quoniam erant Protestantici scriptores, imo et hodie sunt, qui affirmarent Ecclesiam posse, saltem aliquandiu, ad paucos contrahi qui in angulis latitarent, et idcirco non esse visibilem, aut saltem non conspicue visibilem, etiam materialiter et ut cœtum hominum ; hinc quidam Theologi aliquando visibilitatem Ecclesiæ tantum ista manca forma defendunt. 2°. Alii Protestantes dicunt Ecclesiam ita fieri posse invisibilem ut non sit distinguibilis ut cœtus religiosus et Christianus, aut saltem simpliciter distinguibilis tanquam cœtus distinctus a ceteris cœtibus se Christianos vocantibus. Hinc multi Theologi visibilitatem tantum ut huic doctrinæ hæreticali oppositam considerant. 3°. Alii vero Theologi quidam visibilitatem ista forma integra et perfecta defendunt, qua et nos eam in præsenti capite defendimus. Sed Theologi qui, *tractantes visibilitatem*, eam nonnisi prima aut secunda ex dictis formis spectant, *tractantes quæstionem de Notis Ecclesiæ*, visibilitatem, etsi forsan sub alio nomine, integram et perfectam, ut nos hic, *omnes* contemplantur et defendunt. Hæc omnia ex inspectis nostris Theologis clare constant.

56. Ecclesia ut visibilis primo et secundo modo jam dicto cognoscitur evidentia intrinseca, et quidem oculis corporeis conspicitur vel conspici potest, et non est objectum fidei.

Cum vero dicitur Ecclesiam esse visibilem tertio modo, longe alio sensu intelligitur vocabulum illud *visibilis*. Hoc modo Ecclesia dicitur esse visibilis ut Ecclesia vera, non quatenus ut talis videtur oculis corporeis aut quavis alia evidentia intrinseca, sed quatenus est evidenter credibilis et discernibilis (D. 1, n. 89) per eas dotes et attributa divina, quæ exterius manifestata eam esse divinam demonstrant. Tota ergo ratio difficultatis in eo latet quod vox *visibilis* duplicem habeat significationem, et in eo quod Ecclesia sit, in utroque sensu aliquo modo visibilis, sed nonnisi in secundo sensu visibilis *ut Ecclesia vera*. Igitur ad Objectionem, n. 53.

57. *Resp.* 1°. Dist. Maj. Ecclesia vera, reduplicative, seu ut Ecclesia vera spectata, est objectum fidei: Conc.: alio modo spectata: Nego. 2°. Dist. Min. Objectum fidei non potest esse visibile, si significetur visibile sensu primo jam dato: Conc.: Si, sensu secundo: Nego. Imo objectum fidei non potest fide divina credi nisi sit aliquo modo hoc sensu visibile: D. 1, n. 90. Responsio ex jam dictis patet.

58. Ut explicatior sit hæc materia haud abs re erit quædam addere de sensu et modo quo Ecclesia visibilis objectum fidei est. 1°. Quæstio non est de generali propositione, "Ecclesia Christi est visibilis ut vera." Hæc propositio, ut constat ex nostris argumentis, est revelata, et objectum fidei; nec habet evidentiam intrinsecam, nisi, forsan probabilem et conjecturalem. 2°. Nec quæstio est de altera propositione, "Ecclesia Christi est nunc visibilis" (semper intelligo "ut vera"). Hæc propositio est revelata et objectum fidei, et quovis tempore usque ad finem mundi fide divina credibilis. Cum enim revelatur Ecclesiam esse *perpetuo* visibilem, hoc ipso revelatur

eam esse hoc et illo et quovis alio tempore visibilem, D. 1, n. 35.

59. 3°. Sed, quæstio est de ipsa existenti singulari Ecclesia vera, v. g. Ecclesia Catholica nunc vivente sub Pio IX. Summo Pontifice (quam hic, exempli causa, supponimus esse veram Ecclesiam Christi), quomodo sit simul visibilis ut vera, et objectum fidei ?

60. *Resp.* Plura sunt quæ duplici modo signa sunt veritatis Ecclesiæ Catholicæ splendidissima, et motiva credibilitatis firmissima. 1°. Bene exploratum haberi potest, eodem modo quo quodvis aliud factum publicum et permanens, v. g. mirabilem et perfectam existere in illa Ecclesia unitatem in catholicitate. (Hoc attributum hic exempli causa affero, idem de alliis attributis et signis dicendum.) Posita autem humana natura qualis est, impossibile est talem unitatem aut casui fortuito, aut cuiv solertiæ aut sapientiæ humanæ, aut cuivis causæ naturali referri posse. Tota ejus ratio in speciali et extraordinaria providentia Dei, et in hac sola, collocanda est. Providentiam vero hanc non sane in gratiam Ecclesiæ falsæ manifestare potest Deus. Ergo hæc Ecclesia est vera Ecclesia Christi—digitus Dei est hic. 2° Alia via ad eundem finem pervenitur. Ex Scriptura et Traditione clara colligitur Ecclesiam Christi his et illis dotibus, v. g. unitatis, sanctitatis, &c., instrui ; et eas in ista non tantum perpetuas esse et conspicuas, sed in ista sola, saltem omnes simul et illo modo, inveniri posse. Ex observatione facile colligitur Ecclesiam Catholicam, et quidam solam, hasce dotes possidere. Ex quibus concluditur eam esse veram Ecclesiam Christi.

61. Sed his objici potest :—Ecclesiam Catholicam esse

visibilem satis quidem probatur : sed, cum argumenta ista non pariant nisi evidentiam intrinsecam, eo modo quo argumenta philosophica probant existentiam Dei, qui hoc modo ducitur ad Ecclesiam, eam esse veram credit, non propter auctoritatem Dei revelantis, sed propter ista argumenta ; ergo non credit fide divina.

62. *Resp.* 1°. Concesso illum qui isto modo ad Ecclesiam ducitur, primo assensus actu, nonnisi assensu scientiæ credere : attamen, isto actu jam subjectus Ecclesiæ, deinde ejusdem definitionem de sua veritate propositam, alio actu assensus veræ fidei credit, sciz. propter divinam auctoritatem sic per Ecclesiam sibi manifestatam. Sic credens Deum existere assensu scientiæ propter argumenta philosophica, deinde assensu fidei credit existere eundem Deum se postea revelantem.

63. *Resp.* 2°. Sed mihi videtur taliter adductum fide credere divina, etiam isto primo actu assensus. Evidentia enim illa non probat *proxime et immediate* Ecclesiam Catholicam esse veram, sed proxime et immediate probat testimonium existere divinum id testificans : deinde propter hanc testificationem, i. e. propter auctoritatem Dei, creditur res testata, sciz. illam Ecclesiam esse veram. Signa enim illa sese produnt ut manifestum opus manus Dei in Ecclesia, plane testificantis eam esse suam veram Ecclesiam. Seu, aliis verbis, sunt signa credibilitatis testimonii Dei : per ea demonstratur et discernitur adesse hoc testimonium ; et propter testantis auctoritatem creditur objectum testificatum.

65. Sed manet difficultas quædam adhuc solvenda. Dicimus de fide esse non solum generalem propositionem, quæ affirmat Ecclesiam Christi esse semper visibilem ut talem, sed etiam propositionem quæ affirmat hanc indivi-

duam Ecclesiam hodiernam sub Capite suo Pio IX. esse visibilem ut veram Ecclesiam Christi. Sed nullibi hoc revelatur de hac Ecclesia hodie existenti. Ergo propositio ista non potest esse de Fide: D. 1, n. 22.

66. Præ aliis responsionibus quæ dari possint placet ea SUAREZII (de Fide d. 9, s. 9, n. 14):—"Respondeo primo Apostolorum Ecclesiam et nostram unam et eandem esse, ac proinde qui illam esse veram Ecclesiam revelavit, idem de hac nostra voluit manifestum; omnia siquidem ea loca, in quibus Scriptura docet Ecclesiam perpetuam non de illa tantum loquuntur quæ tempore Apostolorum extitit, vel nunc existit, sed de illa prorsus quæ tota temporum successione eadem perseverat. Secundo, hanc esse veram Ecclesiam, quam nos dicimus, non ex vi alicujus syllogismi, sed per immediatam revelationem credimus, quæ sufficienter nobis proponitur per evidentia signa credibilitatis, ut ostendimus suo loco; itaque intelligendum est, Deum a principio revelasse, et per Apostolos docuisse, eam esse ejus Ecclesiam, quæ evidentibus signis, modo jam exposito, visibilis et credibilis pro diversitate temporum conspicitur. Tertio, hoc idem perpetua traditione et communi Patrum consensione habetur, quam traditionem esse infallibilem regulam fidei supra docuimus; quamvis enim Patres non loquantur de his hominibus in individuo, qui nunc sunt, loquuntur tamen formaliter de hac numero Ecclesia, et congregatione habente eas proprietates, quas ipsorum tempore Ecclesia habebat. Quarto, ipsa Ecclesia seipsam proponit ut veram, et quia sufficienter et evidenter proponitur, ideo obligat ad credendam talem veritatem, non minus quam cæteras ad veram fidem pertinentes: quemadmodum verus Propheta, qui sufficienter proponit, res sibi a Deo revelatis, consequenter proponit suffici-

enter se esse verum Prophetam. Denique, sicut Judæi, tenebantur credere futurum esse verum Messiam, eum hominem in quo implerentur omnia quæ de Messia erant prædicta a Prophetis, et postea aperte videntes impleta esse illa omnia in hoc homine Christo, tenebantur credere hunc ipsum hominem esse illum Messiam promissum, et jam hoc sufficienter illis revelatum, quamvis non essent alia miracula, nec alia signa; ita," &c.

CAPUT QUINTUM.

DE UNITATE ECCLESIÆ IN SE SPECTATÆ.

SECTIO PRIMA.—*Status Controversiæ explicatur.*

§ 1. *Definitiones et Divisiones quædam præmittuntur.*

1. DE Unitate *formali* Ecclesiæ sola, i. e. de unitate Ecclesiæ *ut Ecclesiæ*, gravissimæ quæ præsens occupabunt caput moventur controversiæ. Ad nos ergo non pertinent quæcunque aliæ unitatis species quæ inter fideles existere possunt, v. g. quod eadem lingua loquerentur, quod eidem potestati temporali subditi viverent, &c.

2. A nemine eorum qui tenent Christum Ecclesiam instituisse negari potest illum eam aliqua specie Unitatis formalis, quantumvis imperfectæ, insignitam condidisse, et eam ut talem permanere voluisse : ita ut, etsi multæ sint particulares ecclesiæ in mundo, illæ tamen aliquid commune habere debeant. Tota ergo hodie controversia est, non an Ecclesia sit aliquo sensu una, ed qualis sit illa unitas et ex quibus efficiatur.

3. Hæc sunt in quibus ab omnibus admittitur Ecclesiam esse unam. 1°. Unum habet principium, Deum vocantem; unum fundatorem, Christum. 2°. Unum habet finem proximum, nostram in terris sanctificationem ; unum ultimum, gloriam Dei in æterna beatitudine nostra. 3°. Unitatem habet mediorum ad hunc finem assequendum. Dari talia media nos inter et adversarios convenit ; quæ autem sint in specie, non convenit. 4°. Unum habet Caput in-

visibile, Christum. 5°. Unam habet revelationem Christianam. Nullo autem ex illis nec omnibus simul, fit Ecclesia una Societas, una Respublica, sed una esset tantum alio quodam sensu vago, prout v. g. genus humanum vocatur unum, utpote ab uno genitore ortum ducens.

4. Secundum doctrinam Catholicam Ecclesia Christi est, ex institutione divina, essentialiter et perpetuo una in ratione societatis; in quam unam societatem omnia ejus membra per orbem universum dispersa certis quibusdam vinculis communibus divinitus ordinatis coagmentantur. Vincula autem hæc tria sunt præcipua, universalia, certa: —1°. Professio unius et ejusdem fidei in omnibus membris. 2°. Subjectio uni et eidem Regimini Sacro, quod est in Episcopis, sub uno, omnium membrorum Ecclesiæ et ipsorum Episcoporum Episcopo unice supremo et œcumenico, Successore S. Petri, Romano Pontifice. 3°. Usus ejusdem cultus, in quo præcipue includuntur idem sacrificium et eadem sacramenta. Varii autem sunt modi quibus hæc unitas, unio seu communio (hæc enim tria hic idem significant), manifestari potest. Tales sunt literarum mutua et amica transmissio, officiorum piorum vicissitudo, salutationes et benedictiones recens electis Episcopis ab aliis Episcopis impertitæ, publica professio communionis diserte facta, frequentatio ecclesiarum ejusdem ritus, receptio sacramentorum mutua, concessus in eadem synodo particulari aut universali, liminum Apostolorum visitatio, &c.

5. Etsi unitas communionis tria comprehendat, quæ sunt omnia simul absolute necessaria ut illa communio sit una et individua, usu tamen venit ut apud auctores distinguantur *Unitas Fidei* et *Unitas Communionis*. Prior ex ipso nomine intelligitur, et ex professione unius fidei exurgit; posterior ex uno regimine et uno cultu simul junctis conficitur.

Nobis magis placet modus loquendi, secundum quem Unitas Communionis significat Unitatem in Fide, Regimine et Cultu simul sumptis et conjunctis: sed quæstio est de nomine.

6. Sequentia quoad unitatem fidei specialia noto. 1°. Unitas fidei radix est et fundamentum ceterarum unitatum, easque generat: 2°. Et ideo servata unitate fidei, moraliter impossibile est ut unitas in ceteris, saltem ad longum tempus, non servetur. 3°. Præter malitiam schismatis quæ in publica fidei negatione semper existit, et hereseos existit malitia specifica; et ideo est per se peccatum puro schismate gravius.

7. Ordine generationis unitas in fide primum tenet locum. Vim vero conservativam omnes species unitatis in seipsas mutuam exercent. Quo magis quis firmior est in fide, eo magis, ceteris paribus, inclinatur ad præstandam debitam obedientiam Ecclesiæ, et ad cultus unitatem fovendam. Quo magis quis præpositis Ecclesiæ, œcumenico præsertim Pastori, reverentem et obedientem se sincere gerit, eo magis fidei et cultus unitati adhærebit. Quo magis quis cultum unum devote frequentat, eo firmior ejusdem fides, obedientia simplicior.

8. Unitas est vel *simultanea*, i. e. inter simul viventes, vel *successiva*, i. e. unitas nunc viventium cum iis qui præcesserunt; et hæc vel per aliquod temporis spatium usque adhuc, vel omni tempore ab Apostolis, prout hæc unitas diceretur temporaria vel perpetua. De unitate simultanea in præsenti capite tractatur: unitas fidei successiva nihil aliud est quam apostolicitas doctrinæ, et includitur in infallibilitate.

9. Unitas est vel fortuita seu *facti*, vel constituta seu ex principio seu, ut quidam dicunt, unitas *juris*. Prior est quæ casu seu ex causa accidentali adest, et paulo post

casu abesse potest. Posterior est quæ non ex casu vel causa accidentali, sed ex principio seu medio aliquo apto et efficaci illam generante et conservante exurgit. Sic, ordo hominum casu ambulantium in via publica fortuitus est; ordo vero militum sub duce incedentium ex principio est.

§ 2.—*Doctrina Catholica de Unitate Ecclesiæ declaratur, et Status Controversiæ aperitur.*

10. Etsi ex antea dictis quæ sit doctrina Catholica facile colligi potest, attamen, ad majorem claritatem, eam hic enucleatius et pressius exponemus. Insuper quænam in capite præsenti excutienda sint quænam vero in locum opportuniorem differenda, indicabimus.

11. *De Unitate Fidei.*—1° Christus totum doctrinæ revelatæ corpus Ecclesiæ suæ tradens, decrevit ut in ea integrum et purum quoad omnia et singula, usque ad finem mundi conservaretur. 2°. Hoc corpus doctrinæ custodiendi officium et auctoritatem Ecclesiæ Docenti sic dedit ut quid in illo contineatur, quid extra illud sit, quid ei oppositum sit, jus summum haberet definiendi; et, juxta hanc triplicem doctrinæ cujusvis qualitatem, eam ut revelatam aut ex revelata eductam probandi; vel ut omnino extra corpus revelatorum aut ex iis eductorum, v. g. regulas artis mechanicæ, seponendi; vel ut contra revelatum, aut ei quovis modo læsivam, damnandi. 3°. Ad illam corporis doctrinæ integri et puri conservationem, et ad exercitium auctoritatis Ecclesiæ in præfato munere, assistentiam perpetuam, unde Ecclesia fit active et passive infallibilis, absolute promisit Christus.

12. Unitas fidei adæquate et in concreto sumpta, seu unitas illa prout re existit in Ecclesia—prout est in fide verâ unitas simultanea, successiva, totalis, ex principio et

proprietas essentialis Ecclesiæ—vix aut nullatenus, nisi forsan modo concipiendi, distinguitur ab infallibilitate. Ecclesia isto modo una in fide est eo ipso infallibilis, et Ecclesia infallibilis est eo ipso una in fide. Sed unitatem sic adæquate sumptam non consideramus in præsenti capite.

13. *De Unitate Cultus.*—Theologi generatim non habent controversiam de unitate cultus sub capite distincto. Hujus omissionis sine dubio rationes sunt, *tum* quia eisdem argumentis eodem fere modo quibus probatur unitas regiminis, probatur et unitas cultus; *tum* quia admittens necessitatem unitatis in fide et regimine vix potest eo ipso non admittere necessitatem unitatis in cultu; *tum* quia ad Supremam Auctoritatem in Ecclesia pertinet cultum determinare et præscribere, sive quæ in eo juris divini sunt definiendo, sive alia jure ecclesiastico sanciendo: schisma ergo in materia cultus esset eo ipso schisma in materia regiminis, et vinculum unius cultus solvens, ipso facto et necessario vinculum unius regiminis solvit. Attamen ad plenitudinem hujus tractationis etiam de unitate cultus, infra in doctrina Catholica demonstranda distinctam ponemus propositionem.

14. *De Unitate Regiminis.*—1°. "Super soliditate petræ fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere præ cæteris electum, qui vicaria potestate Apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi, ac solvendi summam curam, auctoritatemque in successores omni ævo prorogandam susciperet: Dogma Catholicum est. . . . . In hoc scilicet Apostolicæ Cathedræ principatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno Capite consociatione

in unam corporis compagem coalesceret, ficretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primæ Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret:" PIUS VI., Constit. *Super soliditate,* 28 Novemb. 1786. Præter hunc Episcopum universalem, 2°, sunt, pariter de jure divino, et alii Episcopi particulares qui suas greges particulares habeant, et in iis vere rectores et principes sint: qui tamen, 3°, pariter de jure divino, suam jurisdictionem habent et exercent omnino subjectam jurisdictioni Supremi Pastoris.

15. Hic quod dictum est de unitate fidei, n. 12, et de unitate regiminis dicendum est, sciz. non expedire ut eam adæquate sumptam et ut re in Ecclesia existit, hoc loco spectemus. Iis ergo impræsentiarum sepositis quæ convenientius alibi excutientur, sequentia in hoc capite et sequenti probare et defendere suscipimus.

16. 1°. Ecclesia est essentialiter una in regimine. Hic vero tantum dicimus unicum esse debere regimen supremum, cui universa Ecclesia cum singulis suis partibus subsit. Sed de forma hujus regiminis definitiori, v. g. quod sit simpliciter monarchica, hic nihil affirmamus. 2°. Ecclesia est essentialiter una in cultu objective et subjective. 3°. Ecclesia est essentialiter una in fide, unitate simultanea, totali, et juris. Meram ergo hic defendimus unitatem fidei totalem, abstrahentes omnino a fidei illius veritate. Unitatem porro dicimus simultaneam, abstrahentes omnino a quæstione, an unitas esse debeat in iisdam dogmatibus omni retro tempore a Christo et Apostolis: vid. supra, n. 8. Unitatem autem juris dicimus: n. 9.

17. Ex his clare et immediate sequuntur corollaria quædam gravia. 1°. Supponatur numerus ecclesiarum quarum singulæ suam propriam professionem fidei completam et a

ceteris diversam habent—unâ ecclesiâ dogma aliquod aut plura dogmata de fide tenente et docente, quæ dogmata ecclesia alia tanquam hæreticalia vel simpliciter falsa rejicit, aut etiam liberæ disputationi relinquit. Concludendum est omnes illas ecclesias collective sumptas non efficere unam ecclesiam veram, nec singulas seorsum sumptas tot ecclesias veras efficere ; sed vel unam solam ex illis esse veram Ecclesiam, vel omnes esse falsas. 2°. Supposito similiter numero ecclesiarum, quarum singulæ suum regimen independens habent, idem de illis et collective et sigillatim sumptis dicendum est. Idem de numero ecclesiarum diversum cultum habentium. 3°. Similiter, supposita ecclesia aliqua simulate una quæ tamen in rei veritate diversas professiones fidei, aut diversa regimina, aut utraque simul, in sinu suo habet, eo ipso constat ecclesiam istam vera unitate carere, et non esse veram Ecclesiam Christi.

18. Hæc de unitate Ecclesiæ in se. De unitate vero Ecclesiæ relate ad individuos, hæc dicimus. 1°. Omnes, quicunque aperte dividuntur ab Ecclesia vel in fide vel in cultu vel in regimine, i. e. omnes publici hæretici et schismatici sunt eo ipso extra Ecclesiam. Quod affirmatur de individuis et de quavis ecclesia particulari affirmandum. 2°. In omnibus perpetua est et absoluta obligatio manendi in communione cum Ecclesia : ita ut, in nullo casu, cuivis aut individuo aut ecclesiæ particulari, licitum sit communionem cum Ecclesia in quovis vinculorum præfatorum dissolvere. 3°. Necessitatem hujus unionis cum Ecclesia talem esse decrevit Deus, ut extra eam decedentibus nulla salus haberi potest.

§ 3. *Errores et Systemata Protestantica de Unitate Ecclesiæ exponuntur, et Status Controversiæ amplius aperitur.*

19. Systemata et opiniones Protestanticæ *positivæ* multæ sunt; et, prout *negativæ* sunt, plus minus, innumeris modis et gradibus, a doctrina Catholica recedunt. Hæc omnia sigillatim recensere opus esset vix possibile, et quidem inutile. Sufficit ea in principiis suis communibus indicare, et ad capita quædam communia revocare.

20. *Systemata Protestantica de Unitate Ecclesiæ in genere.*—1°. Primus error affirmat, salva unitate Ecclesiæ essentiali, aut saltem salva ipsa existentia Ecclesiæ veræ, in ea fieri posse divisiones in fide vel in regimine vel in cultu, vel in omnibus simul, quæ, secundum doctrinam Catholicam, unitatem Ecclesiæ et ideo ipsam Ecclesiam perimerent. Hic, etsi diversimodo, omium Protestantium communis est.

21. 2°. Præter fanaticos istos insanos (c. 1, n. 11, *not.*), quos, etsi numero multi sint, in hoc opere prætermittimus, moderni harum regionum Protestantes, ut puto, communiter tenent Ecclesiam Catholicam esse partem Ecclesiæ Universalis Christi, etsi corruptam. Qui ex illis negant existere Ecclesiam universalem, affirmantes omnes particulares ecclesias non unam Ecclesiam Universalem efficere, sed tot esse distinctas societates seu ecclesias independentes, et unas esse eo tantum sensu improprio jam exposito, n. 3, tenent tamen nostram Ecclesiam Catholicam esse unam ex illis (Anglice, "*a* true Church"). Hi omnes consequenter tenent in hac Ecclesia Universali existere præfatas divisiones, et a tempore Lutheri, imo a schismate Græcorum orto, extitisse.

22. 3°. Ut qui tenent Ecclesiam istam universalem, quæ comprehendit et Catholicam et Græcam et Protestanticas Ecclesias, adhuc unam esse, prædictum factum (sciz. divisionum inter Ecclesias illas), cum hac sua sententia et cum textibus infra adducendis concilient, dicunt 1°, illam unitatem perfectiorem quam omnino essentialem esse affirmant Catholici, esse quidem de præcepto; sed 2°, non esse essentialem ad ipsum *esse* Ecclesiæ, et imperfectiorem (quam nos nullam vocamus) sufficere ut Ecclesia sit adhuc vere etsi imperfecte una et vera Ecclesia Christi. Unitas ergo Ecclesiæ, secundum illos, non potest forsan penitus amitti, sed potest graviter, etiam ad longum tempus, vulnerari. Ideoque dicunt 3°, præceptum servandi communionem cum Ecclesia, sicut et alia quædam præcepta gravia positiva, aliquando, ob gravem circumstantiarum mutationem, cessare posse; et non tantum licitum sed etiam obligatorium esse posse huic vel illi particulari ecclesiæ vel ecclesiarum numero a communione Ecclesiæ (seu, ut dicunt, reliquæ Ecclesiæ, Anglice, "the rest of the Church,") se subducere. Et tunc, ut aiunt, separatio non est totalis et perfecta, nec ab Ecclesia quatenus vera, sed quatenus fide aut moribus aut utrisque corrupta.

23. *Systemata Protestantica de Unitate in Fide.*—4°. Omnes tenent aliquam unitatem fidei in Ecclesia necessariam esse, ut sit vera Ecclesia, et in membris, ut sint vere membra. Qui ita sentiunt videntur ad minus tenere necessarium esse ad unitatem fidei, et ut aliquis sit membrum Ecclesiæ, credere Christum esse divinitus missum, et nostrum esse magistrum et exemplum.

24. 5°. Ad unitatem Ecclesiæ igitur necessariam esse aliquam in fide unitatem omnes admittunt Protestantes. Sed cum dogmata quæ sint, in quibus unitas illa haberi debet, statuere suscipiant, in varias abeunt sententias.

Hæ tamen ad duas sententias, vel potius ad duas classes sententiarum generales revocari possunt. *Prima* est eorum qui auctoritate Ecclesiæ infallibili, aut quavis auctoritate coactiva internum assensum, in definiendis rebus fidei, absolute exigente,* penitus rejecta, distinguunt dogmata in fundamentalia et nonfundamentalia. Et hæc est sententia quam fere omnes Protestantes ut suam aperte declarant et profitentur. *Altera* est sententia eorum qui auctoritatem coactivam et etiam aliquo modo infallibilem res fidei definiendi Ecclesiæ suæ universali ementitæ vindicantes, rejiciunt (sed, ut videbimus, solum verbo tenus) distinctionem fundamentalium et nonfundamentalium.

25. 6°. *Primæ* sententiæ patroni dicunt Ecclesiam, ut sit una in fide, debere tenere et profiteri fundamentalia seu essentialia; unitatem vero non perdi, etsi nonfundamentalia seu nonessentialia ignorentur, vel rejiciantur, vel etsi de illis dissidia sint in ipso sinu Ecclesiæ. Sed de his plura ad finem hujus capitis.

26. 7°. *Secundæ* sententiæ patroni Ecclesiam quandam universalem tenentes, quæ ex Ecclesia Catholica, Græca et Angliæ Constituta constat, tenent 1°, hanc Ecclesiam universalem auctoritatem habere definiendi quid sit de fide tenendum. Tenent 2°, etsi in ista Ecclesia existere possint hæreses et idololatriæ, aliquando etiam fere universales, ipsam tamen Ecclesiam non posse definire et docere doctrinam hæreticalem. Tenent 3°, unitatem fidei in iis

* Hæc addo quia multi sunt Protestantes Anglici, qui etsi negent infallibilitatem Ecclesiæ, tenent tamen quamlibet ecclesiam edere posse professionem fidei, v. g. 39 Articulos, obligatoriam; non quasi aliquis eam, nisi in quantum verbo Dei judicet esse conformem, amplecti teneatur; sed cujus acceptatio conditio est communionis, ita ut qui eam non acceptet non agnoscitur ut illius ecclesiæ membrum.

stare quæ ab illis tribus Ecclesiis ut de fide definita sunt, v. g, Divinitas Christi. Hæc est sententia inter Puseyitas communis : qui tamen, nunquam in eodem statu permanentes, cum ad eam latius exponendam et evolvendam aggrediuntur, in variationes incidunt innumeras, ita ut impossibile sit unâ, clarâ, communi definitione rem concludere.

27. Hæc duo de omnibus et singulis sectis Protestanticis, tanquam illis omnino communia, affirmanda sunt. 1°. Nulla est ex illis quæ non re, quantumvis contrarium verbis declaret, distinctionem inter fundamentalia et non-fundamentalia teneat. 2°. Nulla est ex illis quæ unitatem fidei, ut attributum Ecclesiæ, sensu Catholico (etiam prout in hoc capite, seposita infallibilitate, &c., spectatur) teneat.

28. *Systemata Protestantica de Unitate Regiminis.*— 8°. Omnes in hoc conveniunt, nullum esse permanens, visibile regimen, sive in uno sive in pluribus simul constitutum, cui tota Ecclesia subjicitur, quodque in omnia et singula ejus membra auctoritatem tenet jure divino.

29. 9°. Tenere tamen videntur Puseyitæ Concilium Generale (secundum eorum conceptum talis conventûs) potestatem habere leges condendi generales Ecclesiam universam ligantes. 10°. Tenent insuper Episcopale regimen, per Apostolicam Successionem transmissum, esse Ecclesiæ essentiale: ita ut ecclesia quævis particularis formam regiminis Episcopalis rejiciens, aut eam absque Apostolica Successione retinens, hoc ipso non sit pars Ecclesiæ universalis veræ.

30. 11°. Hæc Puseyitæ. Alii vero de Ecclesia Constituta tenent Episcopale regimen esse optimam formam, et quidem Apostolicam, non tamen a Christo ipso constitutam, nec Ecclesiæ essentiale. Alii autem videntur tenere

nec Christum nec Apostolos ullam definitam formam regiminis constituisse, sed ecclesiis particularibus liberum reliquisse eam seligere quæ aptior ipsis videretur.

31. 12°. Inter Protestantes, extra Ecclesiam Constitutam, sicut sectæ sunt innumeræ, ita systemata de forma regiminis Ecclesiastici etiam innumera sunt. Sic Presbyteriani olim non tantum tenuerunt formam regiminis Episcopalem juri divino aut ordinationi Apostolicæ non inniti, sed utrique directe et absolute repugnare. Sed ut puto, haud pauci ex illis hodie, saltem extra Scotiam, mitius de Episcopali regimine sentiunt. Quakeri nullum ministerium sacrum et distinctum admittunt: in conventibus suis nulla est statuta distinctio, sed quispiam, sive vir sive femina, prout spiritus (quem credunt esse Spiritum Sanctum) movet, loquitur.

32. 13°. Sed non est opus ut hic quod cuique proprium est, in ista colluvie sectarum indicemus: vid. supra, n. 19. Variæ Protestantium sententiæ de Unitate Regiminis et Societatis ad tres revocari possunt. *Prima* est eorum qui tenent Christum non tantum non ordinasse, sed aperte noluisse, fideles vel in unam societatem generalem vel in societates particulares coadunari. *Secunda* est eorum qui tenent Christum voluisse fideles colligari, non quidem in societatem universalem, sed in societates particulares. Ex hujus sententiæ patronis quidam dicunt Apostolos actu societates hujusmodi instituisse; alii dicunt eos normam solummodo, secundum quam postea illæ societates constituendæ essent, tradidisse. *Tertia* sententia est Puseyitarum, ut supra, n. 22, 26.

33. 14°. Hodie "communis est Theologorum Protestanticorum doctrina, omnes ecclesias Protestanticas (paucis, ut Quakeris, Unitariis, &c., exceptis) ad veram Ecclesiam

pertinere, et, etsi quædam ex illis in minoribus quæstionibus fidei et disciplinæ errent, partem reipublicæ Christianæ integrantem constituere:" LEWIS, c. 4, § 9.*

34. 15°. Sed revera ex omnibus illis sententiis de forma regiminis ea generalis sententia, n. 28 relata, in qua ceteræ omnes conveniunt, ad materiam præsentis capitis sola proprie pertinet. Quæstio enim hic est, An Christus *aliquam* formam regiminis unius, visibilis, permanentis, quo tota regeretur Ecclesia, instituerit? Quæ vero sit illa forma; quali quantoque dominio quibusve privilegiis aucta, &c., excutere (præter ea quæ in Tractatu de Sacramento ordinis declarantur), ad capita de Apostolicitate, de Auctoritate Ecclesiæ, præsertim de Summo Pontifice, spectat.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur Doctrina Catholica de Unitate Regiminis.*

PROPOSITIO.—*Ecclesia Christi est essentialiter Una in Regimine.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

35. *Argumentum* I. Ecclesia est unum *Corpus*.—"Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius

* "It is the general doctrine of Protestant divines, that (with a few exceptions, as Quakers, Unitarians, &c.), all the Protestant Churches belong to the true Church, and form an integral part of Christendom, though some of them may err in minor questions both of faith and discipline." LEWIS, "Influence of Authority in matters of Opinion," page 80.

membra: Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes:" Rom. xii. 3, &c.

36. Ecclesia comparatur corpori humano ("Sicut . . . . Ita"), quatenus uno ("in uno corpore"); et diserte et capitibus comparationis indicatis, comparatur. Quæ capita, ex parte *corporis* sunt: 1°, In corpore humano multa sunt membra ("multa membra"). 2°. Illa membra suas singula diversas habent functiones ("non eundem actum habent"). 3°. Et conjunguntur ad unum corpus efficiendum ("in uno corpore multa membra"). Capita ex parte *Ecclesiæ* sunt: 1°. Multi fideles sunt ("multi—sumus"): 2°. Singuli suas partes et locum habent ("habentes autem donationes . . . differentes" et seqq. vers. 6, 7): 3°. Omnes in unum totum colligantur ("multi unum corpus sumus"): et ita colligantur, ut singuli singulis arcte conjungantur ("singuli autem alter alterius membra").

37. In hoc loco, non quasi in involucro et per insinuationem, sed diserte habentur sequentia—1°. Ecclesia comparatur corpori humano: et 2°. corpori definite *ut uno:* et 3°. capita comparationis enumerantur: et 4°, applicantur: et 5°, hæc ea sunt, quæ unitatem perfectam unius totius organizati, ex multis partibus constantis, aperte declarant. Et 6°, hæc comparatio sic elaborata, ab Apostolo instituitur, non ad ornamentum, sed ut fundamentum dogmaticum conclusionis, in re morali, ad bonum Ecclesiæ et salutem animarum pertinenti, gravis, quamque graviter hic inculcat, sciz., "non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem."

38. *Argumentum* II. Ecclesia est unum *Regnum. Primo.* Multis locis Ecclesia vocatur non simpliciter Regnum, sed Regnum cælorum, Regnum Christi, Regnum Dei. Illud ergo regnum cæleste, quod proprium Dei est et Christi, non

sicut regnum terrenum seu potius numerus regnorum terrenorum quæ divisa sunt, divisum esse debet, sed e contrario unitatem eam in se egregie manifestare, quæ in populo suo, prout ubique testatur Scriptura, Deo tam cordi est. Si regnum cæleste, si regnum Dei sit, ergo ante omnia regnum in quo unitas præclare fulgeat. "Non enim est dissensionis Deus, sed pacis : sicut in omnibus ecclesiis sanctorum doceo :" 1 Cor. xiv. 33. Imo diserte affirmatur (Ephes. ii. 14, 15) Deum nostram pacem esse, et pacem dare, in eo quod populos antea disjunctos in unam conjungat Ecclesiam.

39. *Secundo.* Eadem nomina Regni cælorum, Regni Dei, quibus Ecclesia toties appellatur, sæpe etiam ad illud regnum designandum adhibentur, in quo beati vivunt cum Deo, ut Matth. v. 3; Joann. iii. 5, et alibi. Secundum intentionem ergo et institutum Dei, adeo similis esse debet Ecclesia, *ut regnum*, illi beatorum regno quod eodem ipso nomine regni cælorum et regni Dei utrumque indiscriminatim vocetur. Sed si Ecclesia non una societas esset, sed societatum distinctarum et independentium colluvies, nullomodo, et præsertim non *ut regnum*, illi regno, in quo omnium circa thronum Dei unitas est perfectissima, comparari, imo ipso eodem nomine vocari, potuit.

40. *Tertio.* Omissis locis, in quibus regnum hoc grano sinapis et sagenæ missæ in mare comparatur, duo sunt loca Vet. Testamenti insignia, in quibus, secundum omnes, sermo est de regno Messiæ in terris, i. e. de Ecclesia. In Psalmo lxxi., qui est de Salomone rege ut figura Christi, multa habentur quæ ad literam non Salomoni sed Christo conveniunt. In Isai. ix. sermo est de Christo directe et immediate. Textus sunt :—"Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec auferatur luna. Et

dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent. Reges Tharsis et insulæ unera offerent: reges Arabum et Saba dona adducent: et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei:" Psalm. lxxi. 7–11. "Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit; ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum:" Isai. ix. 7. Sane hæc omnia exhibent regnum cujus partes, ex quibus conflatur, arcte inter se uniuntur ad illud unum regnum efficiendum. Est enim regnum in quo justitia et pax abundanter et perpetuo vigent: quod sanctis vinculis in sempiternum colligat et consolidat Rex ejus, Deus, Fortis, Princeps pacis; in quo sub uno jugo devinciuntur gentes. Quantumvis res stylo poetico et prophetico depictæ ampliari et ornari censeantur, ad minus ut hujus picturæ lineamentis ullatenus respondeant ipsæ res, necessarium est ut regnum non sit in plura regna distincta, independentia, inter se vel pugnantia vel pugnis semper obnoxia, scissum.

41. *Quarto.* "Omne regnum divisum contra se, desolabitur: et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus? . . . . Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei:" Matth. xii. 25, &c. Non eo modo Christus suam condidit Ecclesiam, ut ruinæ et desolationi perpetuo, et ex ipsa suæ structuræ natura, esset obnoxia. Sed ex ipsis verbis Christi, regnum ita formatum ut contra se dividatur, desolabitur, vel quatenus divisioni contra se obnoxia sit, eatenus desolationi ob-

noxia erit. Imo ipsum regnum satanæ, cujus finis totus est malum et destructio boni, ad quem assequendum non videretur unitas requiri, aut saltem non tantum requiri, tamen, si dividatur, stare non potest. Jamvero, si Ecclesia constaret ex pluribus societatibus distinctis et independentibus, sub tot regiminibus distinctis et independentibus, regnum esset perpetuo contra se divisum, aut saltem huic divisioni perpetuo obnoxium. Ergo non ita formata est Ecclesia.

42. *Argumentum* III. Ecclesia est unum *Ovile*. "Amen amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum . . . . . Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile [ποιμνη, grex], et unus pastor:" Joan. x. 1–5, 16.

43. *Primo*. Per oves hic significari membra Ecclesiæ seu fideles, probatur 1°, directe ex usu Scripturæ. Quotiescunque, sive in V. sive in N. Testamento, homines vocantur *oves*, vel *agni*, vel *grex Dei* seu *Christi* (sive vocabulum *Deus* vel *Christus* exprimatur vel subintelligatur), cum relatione aliqua sive explicita sive implicita ad munus pastorale, sive ipsius Dei sive aliorum sub eo pastorum (quæ addo non ad restringendam significationem hanc nominum istorum, sed ut omnis locus cavillandi præcludatur), semper per ista nomina intelliguntur fideles, seu membra Ecclesiæ Dei. "Ut quid Deus repulisti in finem:

iratus est furor tuus super *oves* pascuæ tuæ? Memor esto congregationis tuæ:" Psalm. lxxiii. 1. "Et abstulit sicut *oves populum suum:* et perduxit eos tanquam *gregem* in deserto:" Psalm. lxxvii. 52. Similiter Psalm. lxxviii. 13; xciv. 7; Jerem. xxiii. 1, 2; Ezech. xxxiv; Joann. xxi. 15-17; Act. xx. 28; &c.

44. Probatur 2°. Vel per *oves* significantur membra Ecclesiæ, vel prædestinati aut soli justi. Atqui hi non: 1°. Ex dictis, hæc interpretatio aliena est ab usu Scripturæ, et nihil est in textu quod restringat *oves* ad justos vel prædestinatos. 2°. Ovile et oves hic manifesto exhibentur ut visibiles: ergo, &c. 3°. Speciatim contra prædestinatos: ex vers. 16, sunt qui adhuc non pertinent ad ovile, sed pertinebunt. Atqui hoc dici non potest de prædestinatis.

45. *Secundo.* Per *ovile* et *oves* hic significantur universalis Ecclesia et omnia ejusdem membra. Ovile enim est ovile integrum, non pars ovilis; neque ovile quoddam particulare est ex multitudine ovilium. Est illud "unum ovile," cujus "unus pastor" supremus est Christus, quod aliud quidem non est quam Ecclesia universalis.

46. His positis, jam nulla argumentatione opus est ut unitas, quam hic Ecclesiæ vindicamus, ex textu invicte demonstretur. Ovile unum est—et vocatur "unum"—muro circumdatum—ostium habens et ostiarium—oves in eo congregantur—et unum ovile, unus grex sunt—et sub uno pastore, cujus vocem audiunt, et quem sequuntur, ab eo nominatim vocatæ—alienum pseudopastorem non sequuntur, sed ab eo fugiunt. Quæ omnia ad Ecclesiam translata eam exhibent arctissime unam et sub uno regimine. Huic ovilis sic descriptæ imagini multitudo ecclesiarum dis-

tinctarum, independentium, sibi invicem infensarum, non tantum dissimilis est, sed eâ repugnantiâ repugnans, qua major vix concipi potest. Alia argumenta ex S. Scriptura vid. D. 6, s. 2.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

47. "Acceptum inquam hanc prædicationem, ac fidem, uti ante diximus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio et cura, perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque fidem accommodat, et miro consensu, quasi uno ore prædita, &c."—S. IRENÆUS, l. 1, c. 10, n. 2.

48. "Ecclesia .... una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit. Unum tamen caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo servat, hæc filios regno quos generavit assignat. Quisquis ab Ecclesia

segregatus adulteræ jungitur, a promissis Ecclesiæ separatur. Nec perveniet ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem."—S. CYPRIANUS, de Unitate Ecclesiæ.

49. "Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs una in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi."—*Idem*, ibid.

50. "Regina plane cujus regnum est indivisum, de diversis et distantibus populis in unum corpus adsurgens."—S. AMBROSIUS, Expositio in Lucam, l. 7, n. 95.

51. "Est ergo et Ecclesiæ, sicut Mariæ, perpetua integritas, et incorrupta fecunditas. Quod enim illa meruit in carne, hæc servavit in mente: nisi quod illa peperit unum, hæc parit multos, in unum congregandos per unum."—S. AUGUSTINUS, Sermo 195, in Natali Dom. 12, n. 2.

52. "Quæstio certe inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos [Donatistas]. Quæ utique una est, quam majores nostri Catholicam nominarunt ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim, καθ' ὅλον Græce dicitur."—*Idem*, de unitate Ecclesiæ, n. 2.

53. "Una enim est Ecclesia, sicut et olim fuit unum templum, unumque tabernaculum quod Ecclesiæ dignitatem quasi in typis præmonstravit. Μια γαρ ἡ Εκκλησια, καθα και ὁ παλαι ναος, μια δε και ἡ σκηνη, της Εκκλησιας το καλλος ὡς εν τυποις ετι προαναφαινουσα."—S. CYRILLUS ALEXANDR., Glaphyr. in Levit. xvii. 3.

54. "Diligit namque Ecclesiam, quam ipse sibi repræsentavit, conditis duobus populis in unum hominem novum,

et utroque reconciliato in uno corpore, apud Patrem: κτισας τους δυο λαους εις ἑνα καινον ανθρωπον, και αποκαταλλαξας αμφοτερους εν ἑνι σωματι προς τον Πατερα."—*Idem*, in Isaiam (xlix. 14, 15), l. 4, Orat. 4.

SECTIO TERTIA.—*Solvuntur Objectiones quædam contra præfata Argumenta.*

55. *Object.* 1. contra Argum, n. 35.—"Sed quarenam non possit Ecclesia 'unum corpus *in Christo* esse,' ipsi ut capiti spiritualiter unitum, uno spiritu fidei et charitatis animatum, et unam viam salutis manens, etsi aliquandiu, propter res mutuo perverse interpretatas, inter aliquas partes Ecclesiæ dissidium existeret?" Ita PALMER, i. 57, et quoad substantiam Protestantes nostri valde communitur.

56. *Resp.* Distinguo: Si dissidium ejusmodi sit quod nullum ex vinculis communionis essentialibus solvat: Conc.: Si quodvis illorum solvat: Nego. Sic,—ut hic intra limites præsentis materiæ unitatis regiminis sistamus—si, dum omnes admittunt unicum supremum regimen, et ei definite imperanti se subjicere parati sunt, controversiæ de aliquo puncto disciplinæ, aut aliqua causa personali aut alia simili moverentur, etsi acriter et cum æstu inter partes adversantes dimicaretur, et charitas fraterna forsan graviter læderetur, concedo adhuc integram et intactam manere unitatem communionis. Si vero duæ partes, sive duæ aut plures Ecclesiæ particulares, quacunque ex causa, eo usque dissentiant et a seinvicem recedant, ut non amplius unum supremum regimen agnoscant, sed duo regimina distincta et independentia et ore et opere

et corde inter se opposita habent, non amplius unum sunt corpus, nec ejusdem communionis vinculo junguntur.

57. *Object.* 2, contra id. Argum.—Si, ex eo quod Ecclesia sit unum corpus, inferatur eam esse debere sub uno regimine visibili, ergo, quod nemo dicit, Ecclesia triumphans et militans conjuncta sub uno est regimine visibili: non enim Ecclesia militans sola, sed Ecclesia militans et triumphans conjuncta, est unum corpus Christi. SHERLOCK apud GIBSON, iii. 130.

58. *Resp.* Etsi Ecclesia triumphans et militans vocari potest aliquo modo una Ecclesia, attamen 1°, non sunt simul una, eo modo quo alterutra per se sumpta una est. Unaquæque, quæcunque sit communis earum unitas, unitatem sibi propriam habet. 2°. *De facto*, nullibi, nec semel etiam, in Scriptura vocatur Ecclesia triumphans et militans conjuncta, sed sola Ecclesia militans nomine corporis, aut corporis Christi, aut unius corporis Christi. 3°. Non solum diserte affirmatur Ecclesiam militantem esse corpus unum, sed clare, late et sæpius describitur ut, *per se et in se definite*, corpus, unum corpus, unum corpus Christi.

59. Contra Argum. n. 38. *Object.* 3. Satis salvatur idea unitatis regiminis per metaphoram *Regni* significata, in eo quod Ecclesia suum unicum Regem Christum perpetuo habeat.

60. *Resp.* Nego. Metaphora Regni ideam ingerit societatis et unius et eminenter visibilis. Si vero Ecclesia in plures dispesceretur partes, aut nulla, aut sua singulas propria et independentia regimina, habentes, non magis hæ partes, ex eo quod unum Regem Divinum invisibilem agnoscant, unam efficerent societatem visibilem, quam si nullum talem Regem agnoscerent; aut non magis quam quod omnes gentes quæ unum Deum, Regem regum,

agnoscunt, ideo unam rempublicam efficiant. Ecclesia non solum *unitur Christo*, ut corpus capiti et regnum regi, sed est *in se unum et indivisum;* et in hoc, præter alia, peccant, hujusmodi objectiones, primam unionis speciem solam commemorantes, secundam omnino prætermittentes.

61. *Object.* 4, contra Argum. n. 41. "Non evincitur ex Matth. xii. 25, &c. Ecclesiam nunquam scindi posse quoad externam communionem: Dominus enim hic designabat regna quibus facta non est promissio perpetuitatis, non vero Ecclesiam, cui facta est hæc promissio, quæque ideo etiam ex suis dissidiis nunquam cadere potest."—PALMER, i., pag. 55.

62. *Resp.* 1°. Designat Dominus quodcunque regnum:—"*Omne* regnum divisum contra se desolabitur." Generale hoc effatum particulari regno satanæ applicat; et de hoc ipso regno certum est id in perpetuum, simul cum Ecclesia, duraturum esse, eam, sine intermissione minima, usque ad finem mundi, impugnans.

63. 2°. *Supponit* adversarius regnum esse posse divisum simul et perpetuum; dicit enim regnum cui facta est promissio perpetuitatis, nempe, Ecclesiam, divisionibus destrui non posse; quasi regnum cui facta est talis promissio possit dividi; quasi promissio perpetuitatis regni non, vi terminorum, implicet promissionem ejusdem unitatis. Suppositum istud Palmeri repugnat in se. Si enim regnum dividatur, fit eo ipso non amplius unum regnum sed plura; desinit esse quod fuit, et fit aliud essentialiter et substantialiter diversum. Ipsis Christi verbis repugnat:—"Omne regnum *divisum* contra se *desolabitur:*" quo manifesto significat regnum desolari *quia* divisum, regni divisionem *esse* ejusdem desolationem.

64. *Object.* 5, contra id. Argum. Sed etsi Ecclesiæ dictum Christi accommodari debeat, adhuc non probatur doctrina Catholica: "Dominus enim noster tantum potuit significare divisionem *implacabilem*, intestinum et exitiosum *bellum*, ad regni cujusvis demolitionem inevitabilem ducere: sed non significat regnum non posse *aliquandiu* livoribus dividi, quin evertatur."—PALMER, ibid. et Protestantas, ut puto, communissime.

65. *Resp.* Hæc ex jam dictis satis superque disjecta sunt. Dico ergo breviter 1°, quæstionem non esse quid *potuerit* Dominus significare, sed quid significavit. 2°. Jam ostensum est regnum in plures partes, sua singulas regimina propria et independentia habentes, divisum, eo ipso destrui. Vel ergo per "livores" significat divisionem hujusmodi, vel non. Si significet, propositio, ex probatis, falsa est; si non, objectio est extra rem.

66. *Urgetur.* Divisio de qua loquitur Christus, est divisio partium inter se acerrime pugnantium, ut constat ex verbis:—"Et si satanas satanam *ejicit*." Atqui dividi potest Ecclesia in partes sua propria independentia regimina habentes, quin ita inter se conflictentur.

67. *Resp.* 1°. Nego primam propositionem. Christus veritatem universalem, forma universali, affirmat:—"*Omne* regnum divisum contra se desolabitur:" et ex hac veritate probat se non ejecisse demonium in nomine satanæ. *Resp.* 2°. Nego secundam propositionem. Re in abstracto spectata, sicut bovis volantis aut montis aurei conceptus haberi potest, ita et Ecclesiarum plurium sub diversis regiminibus permanenter concordium. Sed, attentâ naturâ humanâ et mundo ut est, prout et experientia testatur, longe aliter se res habeat necesse est.

68. *Object.* 6, contra Argum. n. 42, &c. "Statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris:" Matth. xxv. 33. Oves ibi sunt prædestinati; ergo et de prædestinatis forsan intelligi possunt, Joann. x.

69. *Resp.* I. Ostendimus, n. 43, 44, quotiescunque fideles in Scriptura sub metaphora ovium appellantur, cum relatione ad pastorem, semper intelligi fideles simpliciter, absque ulla distinctione inter justos et injustos, prædestinatos et reprobatos. Ita autem, Joann. x., sine ulla restrictione ad prædestinatos aut expressa aut tacita, diserte appellantur. Dum qui, Matth. xxv., vocantur oves 1°, tales vocantur cum relatione ad Deum, non ut pastorem sed ut judicem et remuneratorem. 2°. A reprobis expresse contradistinguuntur, et iis opponuntur:—"hædos autem a sinistris." 3°. Et sermo est, ap. Matth., de ultimo judicio, cum, ordine præsenti extincto, non amplius in uno cœtu commixti erunt electi et reprobi; dum, in textu Joann. et ceteris, n. 43, allatis, per oves significantur illi qui adhuc in via sunt.

70. *Resp.* II. Revera vox *oves*, ap. Matth. xxv., significat omnia membra Ecclesiæ tunc existentis, sciz. triumphantis. Ecclesiæ illius membra sunt omnes prædestinati: et si membra Ecclesiæ militantis essent omnes et soli prædestinati, vox *oves*, ap. Joann. et alibi, solos prædestinatos significaret. Videantur aliæ objectiones contra idem argumentum, D. 6, n. 223, &c.

Sectio Quarta.—*Solvuntur Objectiones contra Propositionem.*

71. *Object.* 1. Ecclesia, secundum Catholicos, late per orbem diffundi debet, et in sinu suo bonos et malos compre-

hendere. Sed impossibile est, in multitudine tanta talique, unitatem illam arctam et permanentem existere posse. Ita multi Protestantes.

72. *Resp.* Impossibile est, natura humana sibi relicta: Conc.: posita providentia divina speciali et permanenti: Nego. Istam vero dari providentam ex argumentis jam allatis, seu potius ex illis argumentis simul cum principio hujus objectionis conjunctim, invicte probatur. Si enim hæc unitas a Deo absolute promittatur, et si absque providentia speciali haberi nequeat; ergo datur hæc providentia.

73. *Object.* 2. Membra Ecclesiæ homines sunt, qui non minus in republica sacra quam civili ad fovenda dissidia et rebelliones proni sunt: imo ad hæc in priori magis proni sunt quam in posteriori, ut experientia constat. Ergo non magis a schismatibus secura est Ecclesia, quam a rebellionibus respublica.—HICKES, apud GIBSON, ii., 3, 4.

74. *Resp.* 1°. Dist. antecedens: Non minus, &c., ut experientia constat, extra Ecclesiam veram: Conc.: intra: Nego. 2°. Dist. consequens: sepositis promissionibus divinis: Conc.: positis illis: Nego.

75. *Urgetur* 1. Schismati æque obnoxii sunt homines ac aliis delictis gravibus. Ergo Ecclesia, quæ ex membris constat qui homines hujusmodi sunt, obnoxia est divisionibus. *Idem*, ibid. pag. 4.

76. *Resp.* 1°. Dist. antecedens: extra Ecclesiam veram: Conc.: intra: Subdist. pauci aliqui, vel, quibusdam temporibus luctuosis et in locis quibusdam, multi, v. g. in Anglia, &c., tempore schismatis Protestantici: Conc.: multi et continenter et late per eam: Nego: vid. n. 78. 2°. Dist. consequens, ut supra, n. 74.

77. *Urgetur* 2. Si Ecclesia sit immunis a schismate ergo membra ejus sunt impeccabilia.—*Idem*, ibid.

78. *Resp.* Nego consequentiam. Unusquisque fidelis peccato schismatis, sicut et aliis peccatis, obnoxius est, et ab Ecclesia recedere potest; sed ipsa Ecclesia, stante verbo Dei, dividi nequit. Individui Angli et multi Angli simul sumpti vinci possunt; non sequitur ipsum regnum Angliæ vinci posse.

79. *Object.* 3. S. Paulus, Act. xx. 29, 30, item S. Petrus, 2 Pet. ii. 1, 2, clare significant schismata futura esse. *Idem*, ibid.; Goode, vol. i., pag. 404.

80. *Resp.* Dist.: schismata per individuos et in illis: Conc.: in ipsa Ecclesia: Nego.

81. *Object.* 4. Schisma, secundum Theologos Catholicos, tunc fit quando aliquis recedit ab Ecclesia vel ex ea ejicitur. Atqui demonstrari non potest impossibilem esse casum in quo multitudo aliqua ["a party," partes] quæ nec recessit nec ejecta est, non sit tamen juncta in communione externa cum majori parte Ecclesiæ.—PALMER, i. pag. 63.

82. Hanc objectionem, etsi ad materiam sequentis capitis magis pertineat, hic a Palmero interpositam hic solvimus. *Resp.* Absolute et manifesto vi terminorum repugnat casus iste. Qui enim non jungitur Ecclesiæ ab ea stat separatus, sed nulla alia via possibilis est, præter illas duas, qua separetur.

83. *Urgetur.* Si supponatur Ecclesiam de aliqua quæstione esse *æqualiter* divisam, et utrasque partes, simpliciter et absque anathemate ab alterutra alteri incusso, recedere a communione externa inter se invicem; utraque pars immunis esset a reatu schismatis, et ergo, etsi quoad communionem divisa, unam efficeret Ecclesiam Catholicam.—PALMER, ibid.

84. *Resp.* 1°, i. e. Si supponas doctrinam Catholicam, jam tot argumentis firmissimis firmatam, falsam esse, et doctrinam Palmeri et Puseyitarum, nullo solido argumento suffultam, esse veram, nescio sane quid non a tali hypothesi sequeretur. 2°. Confundit Palmer schisma, prout significat separationem ab Ecclesia individuorum, cum schismate prout significat divisionem ipsius Ecclesiæ quoad aliquod aut omnia ex dictis tribus vinculis unitatis.

85. *Object.* 5. Christus videtur principatum quemvis regium et supremum in Ecclesia his verbis prohibuisse :— "Reges gentium dominantur eorum : et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic :" Luc. xxii. 25.

86. *Resp.* Legenti totum textum et textum parallelum Matth. xx. 20, &c., patebit Christum non loqui de principatu simpliciter, ideoque non omnem principatum reprobasse, sed id genus tantum quod ei simile esset quem vitandum expresse nominavit, nempe, principatum *gentium*. Duo autem sunt in hoc principatu mala in se, et omnino, præsertim in Ecclesia sancta Dei, fugienda, quæque Christus ipse satis clare in illis locis significavit. Primum est, principes ethnicos tyrannos esse sævos, crudeles, superbe dominantes ; quod aliquo modo insinuatur in verbo "dominantur." Secundum est, illos ex cupidine gloriæ, imperii, &c., principatum ambire, et adeptos exercere ; quod satis significatur per oppositionem quam inter hunc modum agendi ponit Christus et illum quem sequendum discipulis proposuit :—" Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator, &c. :" vers. 26. Christus ergo voluit solummodo cupidinem dominandi, ambitionem et tyranni-

dem reprobare, humilitatem vero perfectam (cujus seipsum exemplum dat. vers. 27) inculcare.

87. *Object.* 6. Talis esse debet unio inter ipsa membra Ecclesiæ qualis est inter membra et caput, ex Ephes. iv.:— "Caput Christus ex quo totum corpus compactum et connexum," &c. Atqui unio membrorum cum Christo est invisibilis. Ergo membra Ecclesiæ non sunt necessario conjungenda vinculis unius supremi regiminis.

88. *Resp.* 1°. Dist Major. Debet esse æque arcta: Esto et Conc.: Debet *necessario* esse ejusdem generis: Nego. *Resp.* 2°. Nego Min. Etsi enim Christus sit in se nobis invisibilis, multis tamen modis visibilis est unio inter eum et membra Ecclesiæ, tum ex parte membrorum tum ex parte Christi. Ex parte fidelium, per baptismum quo Ecclesiæ juncti fuere, per externam variis modis professionem fidei ab eo revelatæ, per externam frequentationem cultûs sacri et externa innumera opera alia ex gratia et charitate manantia. Ex parte Christi qui constitutionem Ecclesiæ visibilem, ministerium ecclesiasticum visibile, ejusdemque officia quotidiana, unde tot effectus salutares in fideles derivantur, primum instituit, et in perpetuum indefectibiliter conservat: qui tot media et instrumenta gratiæ sanctificantis, omnibus diebus perenniter per universam Ecclesiam gratiam istam operantia dedit. Imo, si necessario vera sit Major, cum Minor quoad omnia cetera falsa est, falsa præsumi debet in puncto visibilis supremi regiminis quoque. Si enim quoad cetera omnia per visibilia media, aut aliquo modo visibiliter agit erga Ecclesiam, videretur concludendum eum visibiliter agere in quantum est supremus Rector et Pastor Ecclesiæ, i. e. per visibilem Vicarium.

89. *Object.* 7. Si Ecclesia istam adeo perfectam unitatem communionis habere debeat, unum ex vinculis illius unitatis debet esse charitas: nullo enim alio vinculo arctius, imo tam arcte, possent omnia ejus membra in unum compingi.

90. *Resp.* 1°, ad primam propositionem: Nego. Christus enim, ordinando Ecclesiam non debere ex solis justis constare, eo ipso ordinavit charitatem non esse unum ex vinculis unitatis Ecclesiæ. Talis esse debet Ecclesia qualem eam esse voluit Deus et nihil aliud. *Resp.* 2°, ad secundam propositionem, Dist. Charitas est vinculum quo membra Ecclesiæ in unum arcte conjungerentur, conjunctione spirituali, personali, privata, aut quocumque alio nomine vocetur: Esto et Transeat: Conjunctione ea qua plures in unum corpus, unum regnum, *unam societatem et rempublicam visibilem* consocientur: Nego. Unitatis hujusmodi vinculum et principium præcipuum et præ alio quocunque vinculo est unitas supremi regiminis: tum quia per hoc omnia membra sunt una societas visibilis, unum corpus, et sine hoc id nec essent nec esse possent: tum quia per hoc unitas in ceteris vinculis conservatur. Omnes Protestantes tenent sanctos, imo multi tenent solos sanctos, esse in Ecclesia, et negant tamen eam esse rempublicam aut rempublicam visibilem: ergo sanctitas non est vinculum quo homines in talem societatem coadunantur. Sine charitate potest esse talis societas, cum eâ potest non esse. Ecclesia quidem semper charitate floret cum, præter alia, semper in sinu suo innumeros habeat sanctos; et quo vere sanctiores sunt ejus filii eo arctius ei junguntur, non quasi ipsa sanctitas sit vinculum, sed quia in talibus firmiora et fundatiora sunt cetera vincula.

Nota. Aliæ sunt objectiones plures contra unitatem regiminis Ecclesiæ a Protestantibus allatæ; quæ tamen, cum sint omnes directe contra Primatum S. Petri et successorum, capiti de isto Primatu reservantur.

SECTIO QUINTA.—*Probatur doctrina Catholica de unitate fidei.*

91. Nullus est præsentium adversariorum qui non teneat aliquam esse debere unitatem in fide, n. 23, 24. Duo autem hic a nobis demonstranda sunt, 1°. Unitatem fidei, quæ Ecclesiæ essentialis est, totalem et absolutam esse. 2°. Hanc unitatem non solum facti sed juris esse, seu ex principio procedere sui conservativo, eique inniti, n. 9.

PROPOSITIO.—*Ecclesia est essentialiter una in fide unitate totali et perfecta.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

92. ARGUMENTUM I.—Christus, prout jam late demonstratum est, Ecclesiam suam arctissime et permanenter unam constituit, unum corpus, unum regnum, unum ovile, unam rempublicam sacram. Ergo decrevit eam esse permanenter et perfecte unam in fide. Consequentia facile probatur. Nihil enim aliud esse quo homines magis quam diversitate fidei, imo quo tantum agantur ad factiones et conventus formandos non solum distinctos sed oppositos, non solum oppositos sed inter se infensissimos, se invicem non odio abominationis tantum propter diversam fidem, sed odio etiam inimicitiæ personali implacabili habentes omnium seculorum experientia testatur. Hinc in prover-

bium transiit illud "odium theologicum," quasi super cetera omnia odia acerbum et inexorabile. De solo *facto* nunc loquimur: quid enim membris Ecclesiæ veræ præcipiat lex charitatis quoad modum se gerendi erga extraneos fidei, non est præsentis loci statuere. Tantum vero et tam late hodie sicut et antiquitus apud varias sectas acatholicas inveterascit adversus Ecclesiam Catholicam hoc odium, in innumeris vere insanum et furibundum, ut Protestantes illi qui Catholicos liberaliter, seu potius recte et juste, tractant nullumque discrimen eos inter et suos ponunt, in iis scilicet quæ ad jura civilia et alia temporalia spectant, suspecti fiant vel inclinationis animi ad religionem nostram, vel, quod de quibusdam eorum verissimum est, indifferentismi, magis vel minus firmi ad quamvis religionem. Quod dictum est de odio sectarum erga Ecclesiam Catholicam, verum est de sectis erga se invicem—nisi quod, si aliquando communis earum causa graviter ipsis periclitari videatur, tunc sane fœdere inter se facto adversus Ecclesiam unâ strident; unâ sed non unitæ; vinculo iræ et inimicitiæ contra eam junctæ, non vinculo amicitiæ inter se:—"Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent."—TERTULLIANUS Præscript. n. 41. Hæc omnia, tum quoad odium sectarum erga Ecclesiam, tum quoad earum odia inter se, adeo certa et nota sunt, ut exempla afferre supersedeo, quorum tamen innumera ex historia non tantum temporis acti sed et præsentis, facile afferre possem. Quod de his regionibus et temporibus dicimus, et de omnibus regionibus et temporibus dicendum est, nempe, nullum alium esse fontem irarum gravissimarum, odiorum, factionum et ceterorum hujusmodi adeo feracem ac fidei diversitatem. Quum ergo ita se res habeant, quum Christus Ecclesiam suam

perpetuo societatem esse arctissime unam decreverit, decrevit ergo eam esse unam in fide, unam in eo in quo divisio tam certo in divisum corpus ducit, divisum ovile, divisum regnum. Affirmare Ecclesiam esse unam rempublicam sacram et simul esse divisam in fide aut tali divisioni obnoxiam, nihil aliud est quam duo aperte et absolute contradictoria affirmare.

93. *Nota.*—Quoniam omnes textus, quos postea ad probandam infallibilitatem Ecclesiæ afferemus, probant etiam ejusdem unitatem in fide, ad repetitiones vitandas hos textus capiti de infallibilitate excutiendos satius reservari existimamus. Sed ne hoc magnum attributum unitatis fidei, etsi hic sub conceptu quasi abstracto et manco spectatæ, suis propriis argumentorum ornamentis nimium carere videatur, unum et alterum textum hic breviter examinabimus.

94. ARGUMENTUM II. Ephesios obsecrat Apostolos ut sint "Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium:"—Ephes. iv. 3, &c. Apostoli scopus est Ephesiis suadere et inculcare necessitatem servandi "unitatem spiritus in vinculo pacis." Ad hunc finem assequendum, tanquam exemplar et incitamentum proponit unitatem unius Christi, a quo redempti sunt; unitatem fidei, quam amplexi sunt creduntque; unitatem baptismatis, quo in corpus Christi mysticum colligati sunt; unitatem Dei, quem colunt, qui illorum et omnium Deus et Pater est: quasi diceret, "Cum in his omnibus quæ vestræ religionis propria sunt (ethnici enim nec unum Dominum, nec unum Deum agnoscebant, nec unam fidem, nec baptisma), et quam maximi momenti sunt, vigeat

unitas perfectissima, quanta esse debet unitas charitatis inter vos ?"

95. Inspectis verbis S. Pauli ejusque proposito et argumentatione, duo præcipua sunt in textu allato, quæ nostram Propositionem probant.

Primo. I. "Una fides" iis interponitur et cum iis commiscetur quæ simplicissime una sunt—uno corpore, uno Spiritu, una spe, uno Domino, uno baptismate, uno Deo; quæ essentialiter una sunt. Et II. hæc una fides ita interponitur et commiscetur diserte et definite *qua una*:—"*una* spe . . . . *unus* Dominus, *una* fides, *unum* baptisma, *unus* Deus." Et III. hæc una fides, *qua una*, ita ceteris, *qua unis*, interponitur et æquiparatur, ut eam *ex æquo cum illis* essentialiter et simplicissime unam esse plane et perspicue significetur. 1°. In medio seriei enumeratur. 2°. Idem attributum unitatis, quod ceteris tribuitur, et ei *eodem ipso verbo*, *eodem ipso modo*, nihilo addito, nihilo dempto, nihilo immutato, tribuitur. 3°. Nec significatur nec ullomodo, in aliquo antecedenti aut consequenti, insinuatur vel minimam esse diversitatem inter unitatem fidei et ceterorum.

96. *Secundo.* Ephesios hortatur Apostolus ad Charitatem mutuam fraternam, proposita, ut exemplo et stimulo, unitate quæ in eorum religione tam eximie se manifestat—unitate in fine illius religionis, in auctore, in fide, &c. Charitas autem illa fraterna qualis esse oportet, quam efficax, quam perfecta, quantique sit momenti, patet ex modo quo Christus et Apostoli de ea loquuntur:—"Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem:" Joann. xiii. 34. Similia habentur xv. 12, 17;

item Rom. xiii. 8 ; 1 Thessal. iv. 9 ; 1 Joann. ii. 9 ; iii. 10 ; iv. 7, 12, 20, et in aliis locis passim. Si unitas fidelium in charitate fraterna talis tantaque esse debeat, non alia sane unitas in fide, *ut hujus charitatis exemplar et ad eam habendam et conservandam incitamentum*, ab Apostolo proponi potuit quam quæ absolutissime perfecta esset. Si fides Ecclesiæ divisa esset aut esse posset, non ejus unitas, iis qui solliciti esse debent servare unitatem charitatis, ut rei imitandæ, sed rei declinandæ exemplum proponi debuit ; non ut ratio *ob quam*, sed ut ratio *non obstante qua ;* neque argumentum S. Pauli esse potuit quod est, nempe "Habetis unam fidem, &c., ergo habere debetis unum cor," sed directe oppositum, nempe "In fide disjuncti estis aut esse potestis, non ergo in charitate disjuncti sitis ; non unam fidem habetis, non ideo non unum cor habeatis."

97. ARGUMENTUM III. "Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : Matth. xvi. 18. 1° Ex dicendis, cap. 17, Ecclesia in perpetuum super omnes suos hostes, etiam potentissimos et infensissimos, victrix est ; et inter illos hostes imprimis numerandi sunt ii qui divisiones, præsertim in fide inducere conantur. Ergo nunquam in Ecclesiam induci potest divisa fides, alioquin enim eatenus plane et penitus vinceretur. 2° Ecclesia, qualis a Christo per se et per Apostolos constituta et constructa est, perfectissime una in fide erat, ut ex ipsa natura rei et ex levissima inspectione Scripturæ patet. Unitas ergo fidei unum erat ex attributis illis divinis quibus Deus Ecclesiam suam ab initio auxit. Si attributum hoc unquam amitteret, manifesto adversus eam prævalerent portæ inferi.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

98. "Ut Sol hic a Deo conditus, in universo mundo unus atque idem est: ita etiam veritatis prædicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt illustrat . . . . . Vera et universa Ecclesia unam et eandem toto terrarum orbe fidem tenet." S. IRENÆUS, l. 1, c. 10.

99. "Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una," &c., ut supra, n. 49. S. CYPRIANUS.

100. "Vera fidei decreta, quæ a Christo Domino ab initio accepta sunt, penes sanctam Dei Ecclesiam resident. Ideque eadem illa Dei Ecclesia et orthodoxa fides in Domino manet."—S. EPIPHANIUS, adversus Hæres. 49 sive 69, n. 27.

101. "Unum . . . esse altare in Ecclesia, et unam fidem, et unum baptisma Apostolus docet, quod hæretici deserentes, multa sibi altaria fabricati sunt."—S. HIERONYMUS, in Osee, c. 8.

102. "Vestitus reginæ hujus quis est? Et pretiosus est et varius est: sacramenta doctrinæ in linguis omnibus variis. Alia lingua Afra, alia Syria, alia Græca, alia Hebræa, alia illa et illa: faciunt istæ linguæ varietatem vestis reginæ hujus. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguæ ad unam fidem. In veste varietas, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum, et vestem intelleximus propter unitatem: in ipsa autem varietatem aurum quod est? Ipsa sapientia. Quælibet sit varietas linguarum, unum aurum prædicatur: non diversum aurum, sed varietas de auro. Eamdem quippe sapientiam, eamdem doctrinam et disciplinam omnes linguæ prædicant. Varietas in

linguis, aurum in sententiis."—S. AUGUSTINUS, Enarrat. in Psalm. xliv. 10 :—"Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate."

103. "Dispersas per universum orbem Ecclesias, nunc unam appellat, propterea quod ad unum Dominum pertinent, unam habent fidem, unumque pariter salutare baptismum. Non enim ambiguitate dogmatum scinduntur, ita ut, quamvis sint innumeræ, una tamen appelletur."—S. CYRILLUS ALEX. in eundem versiculum ejusdem Psalmi.

PROPOSITIO.—*Unitas fidei Ecclesiæ Unitas juris est.*

104. Fidei principium aliud est *generativum*, aliud *conservativum*. Principium fidei conservativum, de quo solo hic sermo est, quoad individuos et quoad Ecclesiam considerari potest. Quoad individuos, nihil aliud est quam usus auxiliorum quæ ad quamvis virtutem tuendam a Deo dantur, occasionum periculosarum evitatio, oratio, &c. Individui quidem, non utentes hisce mediis in se seu, ut aiunt, in actu primo efficacibus, ab unitate fidei excidere possunt. Principium vero fidei ipsius Ecclesiæ conservativum in actu et primo et secundo efficax est. Hæc propositio, ut pateat ejus veritas, non tam argumento quam expositione, et quidem brevissima, eget. Breviter ergo—

105. *Probatur Propositio.* Ecclesiam, ex dictis, perpetuo et essentialiter unam esse in fide, unitate totali et perfecta, absolute decrevit Deus. Atqui, præsertim inspecta hominum ad sectas formandas pronitate, præcipue in materia religionis, maxime autem in materia fidei; attento furore quo indesinenter Ecclesiæ hostes visibiles et invisibiles unitatem fidei solvere moliuntur; spectata

amplitudine Ecclesiæ per tot regiones diversas, diversorum morum, linguarum, &c. diffusæ ; spectato longo seculorum tractu, ab Ecclesia nascente ad finem mundi ; his omnibus, inquam, et aliis ejusmodi spectatis, plane impossibile esset unitatem illam fidei, toto hoc tempore, absque principio conservativo quodam stabili, perenni, firmam stare. Imo impossibile esset eam, etiam per unam generationem, absque isto principio, stare. Deus ergo, cum effectum absolute decreverit, et medium ad illum effectum producendum absolute necessarium absolute decrevit et constituit. Unitas ergo fidei Ecclesiæ unitas est non facti solum, sed et juris.

106. Si quæratur, in quo consistat hoc principium fidei conservativum ? *Resp.* Primario illud reponendum esse in speciali providentia et auxilio Omnipotentiæ et Sapientiæ divinæ. Attamen in hoc, sicut in aliis, Deus medio et, ut ita dicam, instrumento utitur visibili et patenti, in quo et per quod operatur. Hoc principium visibile esse Romanum Pontificem Petri successorem postea videbimus.

Sectio Sexta.—*Solvuntur Objectiones.*

Objectiones adversus Argumenta.

107. Contra Argumentum, n. 94, &c., ex Ephes. iv. *Object.* 1. In illo textu per fidem significatur, non fides objectiva, sed fides subjectiva ; non "fides quæ creditur," seu unius *professio* fidei, sed "fides quâ creditur." Ergo non exinde probatur propositio. Ita, post Olshausen, Litton, pag. 392, et alii.

Nota. Fides hic, a Litton, pro fide justificante, sensu Lutherano, i. e. fiducia, accipitur. Hujus erroris refuta-

tione, pro qua ad Tractatum de Gratia relegamus, hic prætermissa,

108. *Resp.* 1°. Nego Antecedens. Vel adversarii hic volunt significari fidem pure subjectivam, vel subjectivam simul et objectivam. Si posterius, objectio nulla est. Si prius, admitti nequit. Fides hæc subjectiva, etsi, ut subjectiva, una vocetur, objecta divisa et inter se opposita, secundum adversarios, habere potest. Atqui hujusmodi fidei unitas talis non est, ut pro exemplari unitatis ad imitandum eximio proponi debeat aut possit; talis non est ut ceteris istis unis, *qua unis*, commisceatur et æquiparetur: vid. supra, n. 95. *Resp.* 2°. Nego Consequentiam. Etsi enim fides ista esset subjectiva, talis non est pure, nec esse potest. Significatur enim fides *fidelium*, fides in concreto; non autem fides qua nil creditur, quod esset absurdum; nec fides subjectiva, abstrahendo ab objecto, fides enim hujusmodi nonnisi mentis conceptu existit; sed fides qua creduntur dogmata illa et illa. Jamvero actus assensûs, in iis qui diversa et opposita credunt, non possunt vocari iidem actus assensûs, multo minus idem actus assensus, unus assensus "una fides." Sic, qui credunt Christum esse Deum et qui credunt eum esse puram creaturam, non solum non idem credunt, sed nec eandem fidem subjectivam habent, sed prorsus diversam. Ut ergo detur "una fides" subjectiva, debet esse una et objective.

109. *Urgetur.* Manifesto *Fides*, in textu, quid distinctum est a ceteris quibus consociatur, sciz. Domino, baptismate, &c. Atqui si fides esset objectiva non esset quid distinctum a ceteris: hæc enim, cum tot sint fidei dogmata, in fide objectiva continentur. Ita OLSHAUSEN, et explicatius LITTON.

110. *Resp.* Nego Minor. Aliud est objectum fidei, quod

est ipsa propositio—doctrina—veritas revelata: aliud vero est hujus objecti subjectum, quod est ens illud de quo propositio affirmatur: vid. D. 1, n. 23. "Una fides," in textu, est corpus doctrinæ Christianæ, v. g, "Existit unus Deus," "Tres sunt personæ in Deo, &c. &c. Sed in hoc corpore seu symbolo non magis includitur Deus, aut quodvis aliud objecti fidei subjectum, quam ego in hoc meo libro continear, aut in suo Litton.

111. *Object.* 2. contra id. Argum. "Una fides," vers. 5, ea est quæ Symbolum Apostolorum et nihil ultra continet. Ita WHITBY, in loc. et alii Protestantici auctores innumeri.

112. *Resp.* Vana prorsus est hæc interpretatio, nullo nixa fundamento, et ipsis verbis textûs manifesto adversa, prout n. 95, &c., invicte ostendimus. Ultra ea quæ in Symbolo Apostolorum continentur dogmata, alia sane gravissimi momenti per Apostolos revelata sunt, v. g. de necessitate et gratuitate gratiæ, de dispositionibus ad justificationem necessariis, de ejusdem justificationis natura et effectibus, &c. &c. Si de his, aut etiam de uno ex his dogmatibus, dividi posset fides Ecclesiæ, planum est fidem ejus non posse vocari simpliciter unam, unam sicut Deus ipse unus est, unam quæ tanquam exemplar unitatis seu charitatis fraternæ proponatur, &c.

113. Si hisce reponatur, sufficere unitatem in fundamentalibus, et in Symbolo Apostolorum omnia fundamentalia contineri; *Resp.* Hæc assertio, quæ argumenta nostra intacta mittit, Propositionem directe petit, et infra inter objectiones contra Propositionem refelletur.

Nota. Objectiones contra Argumentum Tertium, n. 97, solventur in Disputationibus de infallibilitate Ecclesiæ et de Summo Pontifice.

Objectiones contra Propositionem.

Objectio ex defectu unitatis fidei in Ecclesia Judaica.

114. *Object.* 3. Non magis una in fide est Ecclesia Christi quam fuit Ecclesia Judaica. Atqui Ecclesia hæc non fuit semper una in fide. Sadducæi enim, qui dicebant "non esse resurrectionem, neque angelum, neque spiritum" (Act. xiii. 8), ad eam pertinebant; imo, ut affirmant auctores, unus aut alter eorum ad Pontificatum evectus est.

115. *Resp.* primo. Adversarios æque ac nos impetit hæc objectio. Tenent enim illi unitatem fidei errore in fundamentalibus deperdi. Atqui error Sadducæorum certissime fundamentalis est : omnis enim Religionis totam rationem tollit.

116. *Resp.* secundo. 1°. Dist. Major. Ecclesia Christi non magis una est in fide quam Ecclesia Judaica, eo sensu quod utraque Ecclesia sit vere una in fide : Conc. : Eo sensu quod in Ecclesia Judaica hæc unitas æque perfecta fuerit, et notam sui ortus et firmitatis divinæ æque insignem præ se tulerit : Nego.

117. 2°. Nego Min. Ad id quod ad eam firmandam additur, Dist. Sadducæi qui tales occulte erant ad Ecclesiam pertinebant : Trans. : Qui erant publici Sadducæi : Nego. Nec obstat eorum quosdam summis dignitatibus, quas aut fraude aut vi adepti sunt, amplificatos fuisse. Si enim hi publici Sadducæi fuerint non magis ad Ecclesiam Judaicam pertinebant, quam Episcopus Protestanticus, qui sedem Episcopi Catholici vacantam invaderet et arriperet, hoc ipso Ecclesiæ Catholicæ membrum fieret.

Nota—Secundum Josephum (Antiq. Judaic. L. 18, C. 2), sectæ Sadducæorum pauci [ολιγους] erant, et qui ex illis

magistratus susceperunt Pharisæorum decretis assensum dederunt.

118. *Urgetur.* Per Ecclesiam Judaicam aliquando late et latissime grassata est idololatria. Ergo, a pari, in Ecclesia Christi, existere potest fides corrupta, et ergo divisa. Ita PALMER, vol. i. pag. 89, 90, et alii.

119. *Resp.* Nego consequentiam, vel Dist. consequens: Si Ecclesia Christi, quoad hoc et quoad omnia, Ecclesiâ Judaicâ longe perfectior et firmior constituta non fuisset: Si Ecclesiæ Christi factæ non fuissent promissiones unitatis et puritatis fidei *in catholicitate*, quæ Ecclesiæ Judicæ non sunt factæ: Conc.

Objectio ex defectu unitatis fidei in Ecclesia ævi Apostolici.

120. *Object.* 4. Judæi conversi qui, post Evangelium die Pentecostes promulgatum, legem Mosaicam ejusque ritus sectati sunt, hæretici erant. Atqui multi tales erant, qui tamen membra Ecclesiæ manebant, ut patet ex Act. xxi. 20:—"Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes æmulatores sunt legis," et ex aliis locis.

121. *Resp.* Distinguo Majorem, tum quoad modum adhærendi, tum quoad temporis adhærendi spatium. 1°. A die Pentecostes (quo primum Lex Nova ut obligatoria promulgata est) mortua est Lex Mosaica, et penitus abrogata et sublata; aut saltem dicendum est "abrogationem legis veteris cœpisse in die Pentecostes, non tamen simul factam esse pro toto orbe, sed successive crevisse, crescente promulgatione legis novæ, consummatamque esse quando legis novæ promulgatio pro Judæis saltem consummata est." —SUAREZ, de Leg. l. 9, c. 13, n. 26. Sed non statim Lex illa mortifera evasit, ita ut non amplius eam ejusque ritus, per modum cultus religiosi, observare liceret. Lex enim illa, etsi jam nulla, in se tamen bona erat, divinitus instituta, præ-

paratio et typus N. Legis. Ideoque tum ab reverentiam ipsius Legis, olim tamdiu tantumque venerandæ ; tum ut Judæorum infirmitati consulerent, et eorum conversioni et in fide constantiæ viam faciliorem redderent ; Apostoli non solum Judæis conversis usum legalium permiserunt, sed et ipsi se ritibus illis aliquando conformarunt ; ut patet ex eod. Act. xxi. 25, ubi legitur S. Paulum se purificationi legali subjecisse ; et ex Act. xvi. 3. 2°. Judæi multi non solum ipsis licitum, sed ad salutem necessarium fuisse usum legalium, imo et gentilibus conversis de præcepto imponendum tenuerunt: Act. xv. 1, 5. De hac quæstione, ante Concilium Hierosolymitanum, nihil erat publice definitum et Ecclesiæ propositum; ut patet ex eod. Act. xv. Qui ergo isti sententiæ judaizanti antea adhæserant non erant hæretici.

122. *Urgetur.* Non obstante decreto Concilii Hierosolymitani, doctrina ista hæreticalis per Ecclesiam late et aperte tenebatur; ut constat ex Epistolis ad Romanos, Galatas, Hebræos, quæ in hoc errore insectando et refutando fere totæ sunt, et ex variis locis aliarum S. Pauli Epistolarum. Ita PALMER, vol. i., pag. 87, et alii.

123. *Resp.* Ne longiori expositione propositi et argumenti Apostolici in variis illis Epistolis et textibus detineamur, hæc, quæ ad evertendam objectionem abunde sufficiunt, breviter dicimus.

Primo. Nullibi affirmat Apostolus, nec ullo modo insinuat vel tacite indicat, membrum aliquod Ecclesiæ errorem istum pertinaciter credidisse et professum esse; aut qui eum pertinaciter profiteretur, hoc non obstante, manere membrum Ecclesiæ. Sed—

124. *Secundo.* E contrario (ut in Epistola ad Galatas, in qua hunc particularem errorem magis directe impetit,

contineamus nos), ipsum errorem vocat "aliud evangelium:" Galat. i. 6 : et pseudo-doctores, qui Galatas veneno hoc inficere tentarunt, reos facit Ecclesiam Galatinam conturbandi, imo totam corrumpendi, et, quantum in illis fuit, Evangelium Christi subvertendi seu pervertendi : i. 7 ; v. 9. "*Falsos* fratres" eos appellat, ii. 4—ergo non veros fratres, non veros fideles, non vera membra Ecclesiæ —; et vehementer indignabundus, zeloque Apostolico abreptus, iis bis anathema dicit: i. 8, 9. Ex quibus omnibus plane constat, eos tam pertinaciter errantes et alios in errorem seducentes, non ut membra Ecclesiæ, sed ut ab ea præcisos S. Paulum habuisse.

125. *Tertio.* Periculum sane erat gravissimum ne a fide vera penitus excideret Ecclesia Galatina, et cessaret pars esse Ecclesiæ veræ, ut ex tota patet Epistola:—iv. 11 ; v. 9 ; &c. Hinc Apostolus eos tam vehementer, etsi paterne, corripit, et contra doctores erroris admonet. Sed aliud est aliquem corruendi periculo etiam proximo exponi, aliud vero eum actu corruere ; præsertim, si, ut in casu præsenti, ad labantes erigendos, præsto sit, cum gratia Dei, Apostoli ministerium.

126. *Quarto.* Quosdam ex Galatis, et, si velis, haud paucos, in plures observantias Judaicas, ipsis vanas et superstitiosas, incidisse satis patet ex iv. 9, &c., et ex aliis locis hujus Epistolæ. Imo errorem hæreticalem, nempe, observantias istas ad salutem necessarias esse, aliquorum mentibus insedisse probabile, vel etiam certum, esse videtur. Sed qui sic errarunt pertinaces non fuisse ex dictis patet, et ex eo quod manifesto ad eos scribit Paulus quasi, post admonitionem datam, ad sensum saniorem redituros, nullomodo autem quasi auctoritate Ecclesiæ resistere paratos. In iis vero qui in errore forsan pervicaces fuerint,

solutum est vinculum communionis cum Ecclesia: non ideo tamen dissoluta est ipsius Ecclesiæ unitas.

Alias hujusmodi objectiones disjectas videas, D. 6, n. 362 et seqq.

Objectiones Generales contra Propositionem.

127. *Object.* 5. Non magis hæresibus et idololatriis late per se diffusis læditur unitas Ecclesiæ, quam aliis peccatis lethalibus. Ita fere PALMER, pag. 93. Dico *fere:* ille enim suum argumentum sic insidiose proponit:—"Non magis læditur Ecclesiæ existentia et puritas, et unio ejus *cum Christo,*" &c.

128. *Resp.* Dist. Si sanctitas membrorum unum esset ex vinculis, quibus Ecclesia ut societas constituitur: Conc.: Si non sit, prout de facto non est: Nego.

129. *Urgetur.* Non minus prædicitur et promittitur sanctitas Ecclesiæ, quam unitas et puritas fidei.—Idem, pag. 94.

130. *Resp.* Dist. Sanctitas, prout ipsius Ecclesiæ attributum est, sensu, infra, c. 7, exponendo: Conc: Sanctitas *omnium* membrorum: Nego. Imo, ex dictis c. 2, contrarium disertissime affirmatur et prædicitur.

131. *Object.* 6. Impossibilis est unitas in fide. Non possunt enim omnes omnia dogmata scire: qui doctiores sunt plura sciunt, et ergo plura credunt.

132. *Resp.* Dist. Impossibilis est unitas in fide explicita, i. e. impossibile est ut omnes fideles eadem omnia explicite credant: Conc: Impossibilis est in fide explicita et implicita, ita ut ex dogmatibus credendis quædam ab omnibus explicite credantur, cetera vero a quibusdam explicite, ab aliis implicite: Subdist.: Si non adsit principium

unitatis certum, stabile et perpetuum: Conc.: Si existat tale principium: Nego.

133. *Object.* 7. Non magis, ex decreto divino, una est fides, quam baptismus unus est. Atqui is unus baptismus apud hæreticos, eorum hæresi non obstante, haberi potest. Ergo, a pari, nos inter et hæreticos, eorum hæresi non obstante, existere potest unitas fidei.

134. *Resp.* 1°. Sequeretur, si vera esset ista conclusio, nos et deistas ipsos unam fidem habere; hi enim valide baptizare possunt. *Resp.* 2°. Unus baptismus apud hæreticos haberi potest, quia omnia quæ ad illum valide conferendum necessaria sunt apud eos haberi possunt, nempe, minister (qui, ad validum, quivis est homo), materia et forma debita, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. Affirmare autem nos inter et hæreticos ea omnia quæ ad unitatem fidei efficiendam necessaria sunt haberi posse, implicat in terminis. Unitas enim hæc est necessario totalis, et fidei divisæ necessario repugnat.

135. *Object.* 8. Perfectam istam unitatem in omnibus membris requirere, et particulares ecclesias quæ in ea nobiscum non conveniunt damnare, valde tyrannicum est. Ita Protestantes passim.

136. *Resp.* Dist. Si Deus ita non ordinasset: Transeat: Deo ita ordinante: Nego. Non nos ex nobis, sed ex verbo Dei infinite justi et boni, ita statuentis et revelantis, hæc affirmamus.

137. *Object.* 9. Esse potest unitas in fide falsa sicut et in fide vera. Sed unitas prioris generis non est sane attributum Ecclesiæ divinitus ordinatum. Ergo affirmari debuit in Propositione unitas in fide *vera:* quam tamen argumenta allata nec probant nec a nobis probare destinata sunt.

138. *Resp.* 1°. Unitatem fidei in præsenti Disputatione spectamus, falsitate aut veritate ejus seposita, et ab his omnino abstrahentes. 2°. Ex propositione nostra, jam probata, et principio hujus objectionis conjunctis sequitur infallibilitas Ecclesiæ passiva. Ecclesiam esse divinitus constitutam ut essentialiter unam in fide affirmat Propositio: hanc unitatem non posse esse in fide falsa affirmat objectio: ergo Ecclesia est una in fide vera.

139. *Object.* 10. Non tanti faciendam esse fidem et fidei unitatem, ex ipsa ratione constat: fides enim est quid speculativum, quæ in vitam et mores vim habet minimam. Ita innumeri Protestantes harum regionum.

140. *Resp.* E contrario, summi esse momenti summoque pretio habendam esse fidei, quoad omnia dogmata, unitatem et puritatem, variis modis et apertissime declarat et ipsa ratio.

1°. Cum Deus infinite sapiens est et verax et bonus, et in omnibus infinite perfectus; et cum nos creaturæ ejus sumus, e nihilo ab eo educti, et omnia quæ sumus et habemus ex ejus pura bonitate derivantes; sane si nobis Tanta Majestas loqui dignetur, præsertim quoniam ex amore nostri loquitur et ut nos felices reddat, ratio plane docet minimum ejus verbum summa fide et reverentia esse audiendum, et, ut quid pretii inæstimabilis, diligentiâ omnimodâ, integrum et purum esse custodiendum.

141. 2°. Tanta est ipsarum veritatum revelatarum in se sublimitas et gravitas; tantum nobis patefaciunt infinitum et ineffabilem Deum, potentiam ejus et sapientiam et justitiam et misericordiam et omnia attributa ejus, et eorundem in operibus ad extra manifestationes innumeras, mirabiles, inenarrabiles; tantum, sicut radii e sole eternæ justitiæ emissi, mentes pie credentium collustrant, expurgant,

super terrena, caduca et sordida tollunt et firmant; ut quæ in iis minima esse videatur doctrina, tanquam "pretiosa margarita," omnibus scientiis humanis, omnibus quæ in mundo sunt, et ipsâ vitâ pretiosior et dignior haberi debet. Dixi "pie credentium:" est enim nimis manifestum istas veritates, quamcunque in se vim habeant istos effectus gignendi, eos tamen in iis qui illas vel ignorant vel non credunt parere non posse: sicut veritates scientiæ cujusvis naturalis, v. g. Astronomiæ, quamtumvis sublimes, nullam tamen eorum caperent admirationem qui eas vel nesciant vel non credant.

142. 3°. Etsi veritates revelatæ non essent in se tam graves, summâ tamen industriâ cavendum esset ne Deum vel in minimo mendacem faciamus: hoc enim in nullo quocunque casu a reatu peccati gravissimi excusari potest. D. 1, n. 21.

Ex infinita ergo majestate Dei, ex ipsa veritatum revelatarum gravitate, ex necessitate absoluta omnium se semper veracitati divinæ subjiciendi, plane declarat ratio puritatem et ideo unitatem fidei in omnibus dogmatibus, rem esse summi momenti.

143. Idem apertissime declarat Scriptura. Tot enim et tanta de fide, et de iis quæ quovis modo ad fidem spectant, in Scriptura affirmantur, quibus, simpliciter et absque ulla distinctione inter dogmata et dogmata, nihil gravius et excellentius esse, nihil studio ardentiori purum et integrum custodiendum esse, significetur. Hæc cum aliis ad eandem materiam pertinentibus videas, D. 6, n. 405 et seqq.

144. *Object.* 11. Non est necessaria unitas in omnibus dogmatibus, sed sufficit eam in fundamentalibus haberi. Ita Protestantes, saltem in hisce regionibus, *omnes:* vid. supra, n. 24, et infra, n. 175.

145. Priusquam ad hoc systema, et quæ ad illud firmandum allata sunt, convellenda accedamus, quædam notanda sunt.

Primo. Ut ea a capite præsenti excludantur quæ ad ejus materiam non pertinent, et sic evitetur ista rerum commixtio, qua non solum implicaretur controversia, sed et veritas ipsa obscurationi objiceretur, sedulo imprimis distinguendæ sunt variæ significationes istorum vocabulorum *fundamentalium* et *nonfundamentalium*. Fundamentalia ergo spectari possunt vel 1°, relate ad individuos, quatenus explicite necessario sunt credenda; vel 2°, relate ad unitatem Ecclesiæ, quatenus, ex institutione divina, ut Ecclesia unitatem essentialem in fide habeat, unitas in iis omnibus necessaria est. 1°. Fundamentalia relate ad individuos vocantur dogmata illa, quæ, in ordine ad salutem, vel necessitate medii vel necessitate præcepti, explicite credenda sunt. Nonfundamentalia relate ad individuos sunt dogmata illa, quæ, in ordine ad salutem, non sunt necessario sic credenda, vel necessitate medii vel necessitate præcepti. 2°. Fundamentalia relate ad unitatem Ecclesiæ sunt dogmata illa, quorum omnia, ex decreto divino, tenere necessarium est ad unitatem fidei Ecclesiæ essentialem: ita ut 1°, si circa aliquod eorum sit fides divisa—una parte dogma illud tenente, altera rejiciente—hoc ipso solvitur essentialis unitas fidei Ecclesiæ; 2°, si quis aliquod eorum rejiciat, hoc ipso in illo solvitur vinculum istud communionis cum Ecclesia, quod ex professione unius et ejusdem fidei constat. Dogma nonfundamentale relate ad unitatem Ecclesiæ illud est de quo, illæsa unitate fidei Ecclesiæ essentiali, divisa esse potest membrorum Ecclesiæ fides; quodque a quovis membro Ecclesiæ rejici potest, quin solvatur ejusdem communio cum Ecclesia.

146. *Secundo.* Quæstio hic nos inter et Protestantes non est de fundamentalibus et nonfundamentalibus primo sensu jam dato, sed secundo solo. Etenim 1°. Quæstio hic est de unitate illa fidei quam Deus in Ecclesia sua constituit, et, tanquam proprietatem essentialem, in ea perpetuo extituram esse decrevit; non autem de obligatione dogmata illa, et illa sola, credendi quæ sufficienter proposita sunt. Ex una parte, nemo est qui, nisi omnem fidem omnemque credendi obligationem rejiciendo, sufficienter proposita credendi obligationem negaret. Et revera neminem vidi auctorem Protestanticum qui hoc *aperte et directe* neget. Ex altera vero parte, nos ipsi non solum concedimus sed et tenemus non esse obligationem credendi nisi quæ sufficienter proposita sunt. 2°. Ut scite ait KNOTT (c. 6, n. 2), cum nos dicimus Protestantes eam fidei unitatem non habere, quæ essentialis est proprietas Ecclesiæ Christi, respondent illi—non dogmata, de quibus dividuntur, non esse sufficienter proposita, et se ergo ignorantia invincibili excusari, sed—dogmata ista non esse fundamentalia. Distinctionem ergo fundamentalium et nonfundamentalium non in diversa dogmatum propositione reponunt, sed *in ipsis dogmatibus objective spectatis.*

147. *Tertio.* Duplex est modus dogmata statuendi quæ sint fundamentalia, quæ non; *vel* enumerando sigillatim et nominatim dogmata quæ pro fundamentalibus habentur; *vel* regulas dando generales, quarum ope unusquisque pro se fundamentalia invenire possit. Primam methodum sequuntur quidam Protestantes, alii alteram, alii utramque.

148. *Quarto.* Ex iis qui quæ sint ipsa dogmata fundamentalia nominatim declarant,

1°. Quidam dicunt sola fundamentalia esse, Unum existere Deum, qui bonis præmia, malis supplicia in vita futura

rependet; Christum esse Messiam divinitus missum; et S. Scripturam ratione privata interpretatam regulam esse fidei et morum sufficientem. 2°. Alii fundamentalibus supra memoratis addunt dogma divinitatis Christi. 3°. Alii insuper dogma Trinitatis addunt. 4°. Alii dicunt omnes et solos *articulos* fidei in Symbolo Apostolorum contentos esse fundamentales. Et alia alii, sine fine variantes, vel addunt vel demunt.

149. *Quinto.* Ex iis qui ad fundamentalia discernenda regulas generales tradunt, alii aliis contradicunt, nec sibi semper cohæret idem auctor. Quoniam istæ regulæ infra, ad eas refutandas, seriatim dabuntur, non est opus ut hic exscribantur.

150. His præhabitis, jam ad objectionem *Resp.* Distinctio ista fundamentalium et nonfundamentalium prorsus vana, ficta, falsa est, et penitus rejicienda.

Primo. Distinctio ista nullum fundamentum habet in verbo Dei—quæ in contrarium afferuntur futilia quædam, infra, n. 170, &c., solventur. Atqui fundamentum in verbo Dei habere debet. 1°. Vel enim in verbo Dei vel in ratione fundamentum habet, alioquin nullum habet. Atqui non in ratione: si enim quid de his pronunciet ratio, plane oppositum pronunciat; ut infra, n. 152. 2°. Hæc distinctio, si vera sit, non solum dogma est, sed dogma fundamentale, imo fundamentalium fundamentum. Atqui tale certe dogma in verbo Dei inveniri debet, imo, secundum Protestantes, inspecta eorum doctrina de Regula Fidei, in verbo Dei *scripto.*

151. *Secundo.* Distinctio ista verbo Dei directe et plane contradicit. Jam enim, in argumentis nostris ex hoc ipso verbo Dei, ostendimus eum absolute decrevisse unitatem fidei totalem et perfectam esse proprietatem Ecclesiæ

essentialem. Huic vero doctrinæ directe et aperte opponitur hæc distinctio. Imo ad illam doctrinam evertendam hanc distinctionem confictam fuisse manifestum est.

152. *Tertio.* Distinctio ista rectæ rationi et naturæ fidei repugnat. Propositiones vere et immediate revelatæ—sive res per eas significatæ ad gloriam Dei et sanctificationem hominis ex se conducant, necne—sunt omnes ex æquo revelatæ, et objecta fidei: omnium earum veritas veracitate Dei ex æquo nititur.

153. *Quarto.* Distinctio ista nova est, ante schisma Protestanticum inaudita, fidei et praxi Ecclesiæ universalis primis quindecim seculis omnino opposita. Disceptationes quotquot per hæc secula motæ fuerint, nunquam de fundamentalitate aut nonfundamentalitate alicujus dogmatis motæ sunt, *sed semper de ejus veritate aut falsitate.*

154. *Quinto.* Regulæ omnes et singulæ ad invenienda et statuenda fundamentalia et nonfundamentalia traditæ, sunt respective futiles, falsæ et absurdæ. Quoniam vero opus esset molestum, tædii plenum, et quidem supervacaneum, singularum regularum confutationes elaboratas hic texere, eas brevius perstringemus—satis tamen dicentes ad singulas earum penitus dissolvendas. Regulas a variis doctoribus vel sectis Protestanticis excogitatas congerit WATERLAND.

155. *Regula Prima.* Illa sunt fundamentalia quæ definita sunt ab Ecclesia. *Regula Secunda.* Illa sunt fundamentalia quæ tenuit Ecclesia primitiva. *Regula Tertia.* Illa dogmata sunt fundamentalia quæ semper, ubique et ab omnibus credita sunt. Tres illæ regulæ sensu Catholico intelligi possunt, *et verbis Catholicis exprimi,* et sic admitti.

156. *Regula Quarta.* Omnia in Scriptura contenta, et ea sola, sunt fundamentalia.

Sed contra. 1°. Hæc regula nullo nititur fundamento. 2°. Innumera sunt in Scriptura quæ nulla secta Protestantica pro fundamentalibus habet, v. g. facta multa historica, geographica, genealogica, &c. 3°. In hypothesi Protestanticæ doctrinæ de verbo Dei, sciz. totum illud in Scriptura contineri, hæc regula distinctionem inter fundamentalia et nonfundamentalia prorsus delet. In ista enim hypothesi æquivalet huic regulæ:—Omne et solum verbum Dei est fundamentale.

157. Regula *Quinta.* Ea omnia et sola sunt fundamentalia quæ in Scriptura *diserte* continentur.

Sed contra. 1°. Hæc regula fundamento caret. 2°. In Scriptura potest aliquid contineri, et de facto in ea plura continentur, etsi non diserte, vere tamen et certo. Hæc autem æque vere et certo revelantur a Deo, ac ea quæ diserte revelantur. 3°. Multa diserte in Scriptura affirmantur quæ apud Protestantes fundamentalia non sunt: n. 156, 2°.

158. *Regula* VI. Ea omnia et sola sunt fundamentalia, quæ Scriptura declarat necessaria esse, vel, sub pœna damnationis æternæ aut exclusionis a communione Christiana, credi præcipit.

Sed contra. 1°. Hæc regula, sensu ab adversariis intento, nullo nititur fundamento. Non ostenditur non dari alia fundamentalia præter ea quæ Scriptura necessaria esse declarat, et, sub pœnis dictis, credi præcipit, nisi ostendatur Scripturam declarare hæc, et hæc sola, esse fundamentalia: quod tamen nec ostenditur, nec ostendi potest. 2°. Diximus "sensu ab adversariis intento:" sensu enim Catholico, distinctionis fundamentalium et nonfundamentalium prorsus eversivo, hæc regula intelligi potest. Nos enim

dicimus Scripturam declarare necessariam esse unitatem fidei in omnibus dogmatibus.

159. *Regula* VII. Ea, et ea sola, sunt fundamentalia, in quibus Christiani omnes conveniunt.

Hæc regula in circulo currit. Si enim ex adversariis quæratur, Quinam sint illi *omnes Christiani?* respondebunt, omnes qui fundamentalia tenent—si enim secta aliqua fundamentale aliquod rejiciat, ex hac ipsa regula, non est Christiana. Si iterum quæras, Quæ sint fundamentalia? respondebunt, ut in regula, Ea omnia et sola in quibus omnes Christiani conveniunt.

160. *Regula* VIII. Ea omnia et sola sunt fundamentalia, quæ de essentia religionis Christianæ sunt, et quorum aliquo dempto illa prorsus interiret. Hanc regulam, a TURRETINO et SHERLOCK probatam, suam facit WATERLAND.

Sed contra. 1°. Hæc regula, quam ceteris jam datis et aliis ab ipso rejectis et refutatis subrogat Waterland, sicut et illæ, nullo nititur fundamento, et omnium istarum regularum patronos contra se habet. 2°. Hæc regula, nihil definitius statuit quam ceteræ regulæ. Indicem equidem dogmatum quæ sola, secundum hanc regulam, fundamentalia sunt, utpote sola rei Christianæ essentialia, recenset Waterland, et ea sub septem distinctis capitibus ordinat. Sed, jure eodem et ex eodem principio quo ille hanc indicem confecit, Protestantes alii suas indices omnino diversas, quibusdam demptis, additis aliis, conficere possunt.

Aliæ regulæ apud auctores Protestanticos inveniuntur, quorum aliquæ deismum purum sapiunt, et aliæ sine fine facile fingi possent: quæ omnes ex dictis facile evertuntur.

161. Quod jam de regulis sigillatim sumptis demonstratum est, eo ipso et de singulis indicibus demonstratur. Tum quia unaquæque index, sicut et unaquæque regula, omni caret fundamento solido sive rationis theologicæ sive auctoritatis sufficientis; contra se habet ceteras omnes indices; &c. &c. Tum quia index unaquæque aliquâ ex regulis præfatis, tanquam principio et ratione, vel aliquâ aliâ similiter regulâ falsâ, necessario nititur—alioquin ad arbitrium auctoris sui ficta est: sed indicem principio falso nixam prorsus nihili esse constat.

162. *Object.* 12, pro eadem distinctione. Per plura secula, Symbolum Apostolorum ab universa Ecclesia habitum est ut omnia continens necessario credenda in ordine ad salutem. WHITBY, in Ephes. iv., et alii multi.

163. *Resp.* Distinguo. Ut continens omnia a singulis fidelibus explicite credenda (quod attinet ad rite credendum, alia enim ad recte vivendum credenda sunt): Concedo: Tanquam continens omnia necessario credenda, ita ut, etsi alia fideles explicite credere non tenebantur, ea tamen vel explicite vel implicite rejicere potuissent: Nego. Solutio ex dictis patet.

164. *Object.* 13, pro eadem distinctione. Ad essentiam Ecclesiæ necessaria non est unitas in dogmatibus, quæ non sunt necessario credenda in ordine ad salutem. Atqui non omnia dogmata, sed quædam pauca tantum, sunt necessario credenda in ordine ad salutem. CHILLINGWORTH, Præfat. n. 32.

165. *Resp.* 1°. Nego major. sensu adversarii: jam enim probavimus, ad ipsam essentiam Ecclesiæ necessariam esse unitatem in fide totalem. 2°. Distinguo min. Fide explicita; Conc.: Fide explicita quoad aliqua, implicita quoad cetera; quæ fides implicita, ut sit vere talis, propositum

necessario implicat firmum dogma nullum sufficienter propositum rejiciendi: Nego. Solutio patet ex dictis.

166. *Object.* 14, pro eadem distinctione. Ex toto N. Testamenti tenore patet quædam dogmata in eo exhiberi tanquam majoris momenti, et errores his oppositos tanquam Evangelium evertentes; alia vero dogmata tanquam minoris momenti, erroresque iis oppositos tanquam non evertentes essentialem Evangelii puritatem et integritatem. Atqui talis dogmatum et errorum distinctio nihil aliud est quam distinctio dogmatum et errorum fundamentalium et nonfundamentalium. WATERLAND, pag. 4, et alii plures, et, ut puto, Protestantes communiter.

167. *Resp.* Nego majorem, vel distinguo: Aliqua dogmata revelata exhibentur tanquam majoris gravitatis, eo sensu quod in iis solis unitas Ecclesiæ, prout a Christo constituta, constet; ita ut fides divisa in ceteris revelatis, aut eorum aliquo, non penitus everteret unitatem Ecclesiæ essentialem—aut eo sensu quod fideles dogmata quæ majoris esse momenti dicuntur, sola profitentes, et alia, quæ minoris momenti vocantur, pertinaciter rejicientes, membra Ecclesiæ maneant: Nego: Quædam dogmata exhibentur tanquam graviora, et alia minus gravia, quodam alio sensu: Transeat.

168. *Object.* 15, pro eadem distinctione: Non omnia in Scriptura sunt omnibus æque clara, imo aliqua valde obscura sunt. Ergo noluit Deus omnia in S. Scriptura contenta ab omnibus, eadem necessitate præcepti, credi. STILLINGFLEET, P. 1, C. 2, § 3, pag. 80.

169. *Resp.* Dist. consequens: Ergo noluit Deus omnia esse credenda quæ continentur in Scriptura privato examine interpretatâ: Conc. Imo postea ostendemus Deum nihil voluisse hoc modo, necessitate præcepti, credi. Noluit Deus

omnia credi quæ continentur in S. Scriptura rite interpretatâ : Subdist. fide explicita : Conc. : fide vel explicita vel implicita : Nego.

170. *Object.* 16, pro eadem distinctione. "Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus:" Joan. xx. 31 : "Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. . . . . Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit:" Rom. x. 9, 13. Ad duplicem errorem suffulciendum proferunt adversarii multi hos et alios similes textus, sciz. 1°, fidem solam justificare, et hic error ad materiam de Gratia pertinet ; 2°. non esse necessarium omnia revelata credere, sed sufficere fidem in Christum. Ad hoc—

171. *Resp.* 1°. Non est in textibus illis sermo de unitate fidei Ecclesiæ, sed de iis quæ a singulis credenda sunt in ordine ad justificationem et salutem: vide n. 146. 2°. Præter nudam fidem in Christum multa alia fundamentalia dari tenent plerique doctores Protestantici ; ut constat ex regulis et indicibus fundamentalium supra memoratis. 3°. Si ex Joann. xx. recte concludatur sufficere ut credatur Jesum esse Filium Dei, ergo errat S. Paulus, qui ad hoc requirit ut credatur Jesus divina virtute resurrexisse, et ut invocetur nomen ejus. 4°. Credere Jesum esse Filium Dei eo ipso est credere eum esse divinitus missum, imo esse Filium Dei naturalem, i. e. esse Deum. Sed hoc nemo potest vere credere, nisi credat eum esse summe veracem, et ideo omnia ab eo revelata vel implicite vel explicite credat.

172. *Object.* 17, pro eadem distinctione. "Ut sapiens architectus fundamentum posui : alius autem superædifi-

cat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur: et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:" 1 Cor. iii. 10–15. In textu hoc *fundamentum* corpus est dogmatum fundamentalium; *aurum*, *argentum*, et *lapides pretiosi* sunt dogmata vera, sed non fundamentalia; *ligna*, *fenum* et *stipula* sunt errores nonfundamentales. Ita JURIEU, testante BAILLY, vol. i., pag. 130, et REGNIER, pag. 271. Vel, ut alii habent, *aurum*, *argentum* et *lapides pretiosi* sunt dogmata fundamentalia. Vel, ut alii dicunt, sunt omnia dogmata vera tum fundamentalia tum nonfundamentalia. At vero in omni interpretatione Protestantica (sciz. quæ huic distinctioni fundamentalium hic favet*), *lignum*, *fenum* et *stipula* sunt errores nonfundamentales. Sed qui superædificat lignum, fenum et stipulam, i. e. qui profitetur aut docet errores nonfundamentales, non damnabitur. Ergo quædam sunt dogmata non tanti momenti, ut fides in iis divisa unitatem Ecclesiæ solveret.

173. *Resp.* 1°. Interpretatio ista pure imaginaria et inanis est; nullo fundamento probabili, sive critico sive ex

* Plures quos vidi interpretes Anglici non—saltem non diserte—accommodant hunc locum distinctioni fundamentalium; multo minus istam distinctionem ex hoc loco firmare conantur. Imo illorum interpretum paucissimi sunt qui loci expositionem continentem proferunt.

auctoritate, nititur. 2°. Nova et inaudita est; a nullo Patrum aut alio interprete antiquo probata, aut etiam memorata. 3°. Saltem quoad multa vocabula et locutiones, quid per eas significari voluit Apostolus, valde difficilis et dubiæ interpretationis est totus hic locus. In eo interpretando scinduntur Patres et etiam interpretes recentiores, non solum nostri sed et Protestantici. 4°. Inter abusus et culpas quas hic innuit S. Paulus, et ob quas reprehendit Corinthios, nullomodo recensenda est prædicatio aut introductio cujusvis erroris hæreticalis. Ab initio enim epistolæ usque ad locum præsentem, et etiam per multa sequentia, fere totus est in istis abusibus emendandis et corrigendis, et tamen de divisione aliqua in fide vel de alicujus erroris hæreticalis introductione ne unum habet verbum. Hæc ad solvendam objectionem sufficiunt: quænam vero ex interpretationibus hujus loci allatis verisimilior esse videatur, nostri non est declarare.

174. Hic nostræ refutationis illius distinctionis, verbis cujusdam S. Patris Ægyptii, seculi quarti, finem facimus:—"Quocirca studendum est, ut ne minima quidem fallacia capiamur: siquidem minima fallacia, instar scintillæ, nacta materiam assensionem animæ, incendium magnæ flammæ efficit: multi enim, principio ex parvo errore coepto, in pelagus erroris dilapsi et effusi sunt. *Σπουδαστεον ουν, μητε τῳ βραχυτατῳ αἰρεισθαι· και γαρ ἡ βραχυτατη απατη σπινθηρος δικην ὑλην παραλαβουσα την συγκαταθεσιν της ψυχης εξαπτει, και μεγαλην φλογα κατασκευαζει· πολλοι γαρ εξ ολιγης απατης αρξαμενοι εις πελαγος απατης εξεχυθησαν.*"—S. SERAPION, Liber adversus Manichæos, c. 2.

175. *Nota.* Distinctionem istam fundamentalium a Puseyitis, pariter ac a ceteris Protestantibus, quam-

tumvis eam verbis a se abjicere videantur, reapse teneri supra affirmatum est. Hujus assertionis demonstrationem brevem hic subnectimus. 1°. Ipse PUSEY aperte docet ad communionem Ecclesiæ non requiri nisi fidem in Symbolum Apostolorum. Ergo quoad alia omnia dogmata in isto Symbolo non contenta, in Ecclesia, quin cesset esse Ecclesia vera, potest esse fides divisa. Ergo quædam sunt dogmata clare et certo revelata (talia enim extra Symbolum dari negare non auderent Puseyitæ), in quibus profitendis unitas essentialiter requiritur, alia in quibus non requiritur. Nihil aliud hoc est quam distinctionem fundamentalium et nonfundamentalium alio nomine inducere. 2°. Systematis Puseyitici dogma est primarium Ecclesiam Christi universam ex Ecclesia Catholica, Græca schismatica et Ecclesiis Protestanticis Episcopalibus constare. Cum vero huic theoriæ opponatur fidem istarum Ecclesiarum manifesto divisam et diversam esse, et eas ergo unam non posse efficere Ecclesiam; respondent omnia quæ ab istis Ecclesiis conjunctim ut de fide docentur, seu quæcunque earum in fide communia sunt, esse et sola esse de fide; et in istis dogmatibus communibus admittendis stare unitatem Ecclesiæ in fide. Hac responsione putant se suam de unitate theoriam ita tueri posse, ut non ad distinctionem fundamentalium amplectendam adigantur. Sed responsio vanissima est. Præterquam enim quod postea suo loco systema istud evertemus, responsio hæc seipsam evertit. Si enim hæc sit vera fidei regula, sciz. ea et ea sola esse de fide quæ ab istis Ecclesiis communia tenentur, ergo ab istis Ecclesiis tenetur ista regula communis. Sed hoc, ut norunt omnes, falsissimum est; eam

enim ut aperte hæreticalem respuit Ecclesia Catholica, respuunt schismatici Græci. Nonnisi ergo distinctione fundamentalium suam de unitate Ecclesiæ theoriam defendere possunt Puseyitæ, eamque, sub alio nomine, defendunt.

CAPUT SEXTUM.

DE UNITATE ECCLESIÆ QUOAD INDIVIDUOS.

1. In capite superiori spectata est unitas ipsius Ecclesiæ, ut ejus attributum est, in ea permanenter divinitus constituta. In hoc capite sermo est de officiis et aliis relationibus singulorum hominum erga istam unam Ecclesiam similiter divinitus constitutis. Tres sunt de argumento hoc quæstiones præcipuæ :—1°, An ut quis Ecclesiæ societur sitque membrum ejus necessario ei conjungi debeat vinculo professionis unius fidei; seu, aliis verbis, An hæreticus publicus (de occulto hæretico vid. c. 2) sit eo ipso extra Ecclesiam: 2°, An sit de præcepto divino, absoluto et indispensabili, ut omnes homines Ecclesiæ uniantur; ita ut nulli unquam, ullo casu, liceat se ab ea abducere: 3°, An unio cum Ecclesia ad ipsam salutem æternam assequendam necessaria sit.

Sectio Prima.—*De Hæreticis Publicis.*

Propositio.—*Hæretici Publici sunt ipso facto extra Ecclesiam.*

2. Argumentum *ex S. Scriptura.*—Propositio nostra merum est consectarium ex probatis in cap. 5, et ut tale breviter ipsa probatur. Quoniam, ex ibidem dictis, unitas

fidei externa unum est vinculorum essentialium, quibus membra Ecclesiæ in unum corpus coagmentantur, ille ergo, in quo solvitur hoc vinculum, necessario cessat esse membrum Ecclesiæ. Repugnat in terminis affirmare hæreticos publicos posse esse membra Ecclesiæ. Ecclesia enim vere una in fide membra hæretica habere non potest: alioquin membra haberet, quorum alia hanc fidem, alia illam huic aperte oppositam, profiterentur; et ergo divisa esset in fide.

3. ARGUMENTUM *ex SS. Patribus.*—"Si hæretici sunt, Christiani esse non possunt . . . Ita non christiani, nullum jus capiunt christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est: Qui estis? Quando, et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei?"—TERTULL. Præscrip. c. 37.

4. "De hæreticis quidem non est dubium, quin de domo Dei ejecti sint, et non addat ut diligat eos, quandiu in errore permanserint."—S. HIERONYMUS, in Osee, c. 9, vers. 15.

5. "Nec hæretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum."—S. AUGUSTINUS, de Fide et Symbolo, n. 21.

Solvuntur Objectiones.

6. *Object.* 1. Sacramentum ordinis validum habere possunt hæretici, et sacramenta cetera pleraque valide conficere. Sed hæc de iis qui extra Ecclesiam sunt affirmari non possunt.

7. *Resp.* 1°. Idem dici potest de apostatis, deistis, atheis, &c. 2°. Nec nostram propositionem neque argumenta eam firmantia tangunt ullomodo argumenta quibus probatur

hæreticos habere posse validum ordinem, &c., vid. S. AUGUSTIN. de Baptismo contra Donatistas, l. 5, n. 33, et in Epistola contra eosdem, de Unitate Ecclesiæ, n. 68.

8. *Object.* 2. Ecclesia, juxta Catholicos, jurisdictionem in hæreticos habet. Sed in eos qui extra Ecclesiam sunt jurisdictionem non habet :—" Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare ? . . . Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit :" 1 Cor. v. 12, 13.

9. *Resp.* Per eos qui foris sunt significantur illi qui, nunquam baptizati, extra omnem professionem Christianam sunt. Ita Coloss. iv. 5 ; 1 Thess. iv. 11 ; 1 Tim. iii. 7. Ex eo quod in hos nullam jurisdictionem habeat Ecclesia, non sequitur eam in illos qui ei per baptismum subjecti sunt jurisdictionem non habere. Priores populo qui sui juris est, populo rebelli posteriores assimulantur.

SECTIO SECUNDA.— *De Separatione ab Ecclesia.*

PROPOSITIO.—*Nunquam licita est separatio ab Ecclesia.*

10. ARGUMENTA ex S. Scriptura—I. Ex Joann. x., non sunt oves Christi qui in ovili non sunt; ut patet 1°, ex scopo manifesto parobolæ, et 2°, diserte ex vers. 16 :—" Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me *adducere,* et vocem meam audient, et *fiet unum ovile,* et unus pastor." Qui ergo non sunt adhuc oves sed futuræ sunt adhuc extra ovile sunt: illas enim oportet adduci, ut ovile ingrediantur, et actu fiant oves. Ovile autem, ex dictis, c. 5, est Ecclesia Christi. Sed summa et absoluta est in omnibus obligatio fieri oves Christi, nec cuivis, quacunque causa, unquam licitum esse potest desi-

nere esse ovem Christi, et Christum habere pastorem. Ergo nunquam licet Ecclesiam deserere.

11. II .Discordiæ et dissensiones quæcunque charitatem fraternam lædunt, præsertim quæ graviter lædunt, in Scriptura compluries gravissime reprehenduntur, et charitas fraterna vehementer suadetur et inculcatur:—"Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia:" 1 Cor. i. 10; "Non enim est dissensionis Deus, sed pacis: sicut et in omnibus ecclesiis Sanctorum doceo:" ibid. xiv. 33; item 2 Cor. xii. 20; Gal. v. 19, 21; &c. &c. Si tanta sit charitatis et unionis fraternæ servandæ obligatio, si tantum peccatum sit ejusdem dissolutio, quanta ergo, quam gravis et absoluta habenda est obligatio unionem cum Ecclesia servandi, quam immane et nefandum schismatis peccatum habendum est—præsertim cum, prout omnium seculorum experientia testatur, schisma semper comitantur et sequuntur tot alia peccata gravissima (ut ait S. Ignatius, ad Smyrnæos, n. 7:—"Divisiones autem fugite, ut principium malorum. *Τους δε μερισμους ϕευγετε, ὡς αρχην κακων*"), et imprimis et præcipue ea quæ istam charitatem fraternam non solum ad tempus gravitur lædunt sed perimunt et extinguunt?

12. ARGUMENTUM ex SS. Patribus. "Si quis schisma facientem sectatur, regni divini hæreditatem non consequitur."—S. IGNATIUS, ad Philadelph. n. 3.

13. "Nec perveniet ad Christi præmia qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, prophanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem."—S. CYPRIANUS, de Unitate Ecclesiæ.

14. "Cum Deo manere non possunt qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest."—Idem, ibid.

15. "Dico et protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in hæresim,"—S. JOAN. CHRYSOSTOM. Homilia 11, in Ep. ad Ephes. n. 4.

16. "Præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas."—S. AUGUST. contra Epistolam Parmeniani, n. 25.

Solvuntur Objectiones.

17. *Object.* 1. Etsi schisma, sine gravi imo et gravissima causa factum, illicitum sit, posita tamen causa tali, non solum licitum sed et obligatorium fieri potest. Ita multi Protestantes.

18. *Resp.* Schisma tanquam absolute malum prohibetur, quodque nihil unquam, quacunque ex causa, excusationis habere potest. Hoc plane demonstrant a nobis supra adducta argumenta gravissima; præsertim si attendatur, in universa S. Scriptura, in universa traditione Ecclesiæ, in ullo eorum monumentorum quæ Ecclesiæ antiquæ fidem quæ fuerit testificantur, ne UNUM existere documentum quo vel significetur vel insinuetur aliquam existere posse causam qua licitum reddatur schisma.

19. *Urgetur* 1°. Deserere tenemur occasionem peccati proximam. Atqui fieri potest casus, in quo conjunctio nostra cum Ecclesia nobis esset occasio peccati proxima. Ergo dari potest casus in quo Ecclesiam deserere tenemur.

20. *Resp.* 1°. Dist. majorem. Si ista occasio sit volun-

taria, præsertim si sit, ut aiunt Theologi, *in esse:* Conc.: Si sit necessaria: Nego. De his plura videas apud Theologos in materia Morali. 2°. Ex doctrina Catholica absolute neganda est minor, utpote blasphemiam affirmans hæreticalem et probrosam: sed, argumenti gratia, Distinguo: Conjunctio cum Ecclesia potest esse occasio peccati necessaria: Transeat: cum enim occasionem necessariam deserere non teneamur, propositio hoc sensu intellecta extra rem est: potest esse occasio voluntaria: Nego: ex probatis enim absolute tenemur in Ecclesia manere.

21. *Urgetur* 2°. Ecclesia fieri potest idololatrica, et doctrinas hæreticales docere, et membra sua ligare ut istas acceptent et profiteantur: nisi dicas eam esse essentialiter sanctam et infallibilem; quod adhuc affirmare non licet, utpote non adhuc demonstratum. Atqui in casu isto Ecclesiam deserere liceret. Ita Protestantes communiter.

22. *Resp.* 1°. Ergo Ecclesia est essentialiter sancta et infallibilis. Sequitur necessario hæc conclusio ex Propositione nostra jam argumentis invictis firmata (quæ præsens hæc objectio intacta mittit), et ex hac Objectione conjunctim. Si enim, ut nos probavimus, Ecclesiam deserere nunquam liceat, et si, ut affirmant adversarii, deserere liceret Ecclesiam idololatricam factam aut erroris magistram; sequitur Ecclesiam fieri non posse idololatricam aut hæreticalem. Non ergo ad nostram Propositionem tuendam pro certo sumenda est Ecclesiæ sanctitas perennis et infallibilitas adhuc probanda, sed, e contrario, ex nostra Propositione, aut saltem ex ea et adversariorum principio conjunctis, utraque sequitur. *Resp.* 2°. Possemus, si opus esset, Ecclesiæ sanctitatem et infallibilitatem hic supponere, quarum utraque indepen-

denter a præsenti propositione et argumentis propriis firmatur.

23. *Object.* 2. Populus a legitimi principis imperio deficiens, peccati reus est gravissimi. Sed, sicut non sequitur eorum posteros, regno sejuncto et independenti jam constituto, peccati seditionis reos esse in perpetuum ; ita, etsi qui primùm ab Ecclesia defecerunt rei sint peccati schismatis, non sequitur eorum posteros sejunctos permanentes, similiter reos esse. CHILLINGWORTH, c. 6, n. 4.

24. *Resp.* Nego paritatem. Multiplex est ratio differentiæ inter istas duas res. 1°. Nulla est lex divina vel naturalis vel positiva, qua ordinatur v. g. duos illos populos jam in eadem republica, sub eodem regimine supremo, conjunctos, in æternum, quacunque rerum mutatione non obstante, ita conjungi debere. 2°. Seditionibus istis jam a longo tempore consummatis, ordine rerum veteri penitus deleto, novo ordine firmiter constituto, omnibus a pluribus annis quiete transactis, licite huic ordini novo accommodare se possunt individui, et novo regimini se subjicere. Alioquin enim finem nunquam haberent lites, tumultus et perturbationes in perpetuum producerentur. 3°. Ecclesia et quæcunque ad structuram ejus et formam pertinent a lege divinâ positivâ constituta sunt : quid ergo lex illa ordinaverit solum considerandum est, non autem analogiæ istæ inanes ex rebus humanis et naturalibus eductæ.

25. *Object.* 3. Potest quis Ecclesiæ communionem externam deserere, quin ipsam Ecclesiam deserat.—Idem, *ibid.* n. 32, 45, et alibi.

26. *Resp.* 1°. Transeat. Quæstio hic non est quomodo deseratur Ecclesia, sed an eam deserere unquam liceat.

2°. Distinguo. Si desertio ista communionis externæ solutionem in desertore non implicet alicujus vinculorum trium quibus Ecclesiæ conjungitur: Conc: Si implicet: Nego.

27. *Urgetur.* Varias similitudines variis locis profert CHILLINGWORTH, ut ostendat communionem Ecclesiæ deseri posse quin ipsa Ecclesia deseratur: v. g. Non magis quis Ecclesiam deserit, ejus errores deserendo, quam qui amici vitia deserit, amicum deserit (c. 3, n. 11); aut quam qui morem aliquem sui collegii prætermittit cessat esse membrum collegii (c. 5, n. 46); &c. &c.

28. *Resp.* Ex lege divina tria sunt vincula quibus omnia membra Ecclesiæ in unum conjunguntur: qui Ecclesiæ hisce tribus vinculis non jungitur, ei nullomodo jungitur, extra eam est. Quæ autem sint vincula quibus inter se junguntur amici, membra alicujus collegii, &c., et quomodo solvantur, pendet multum ex usu hominum, et nostra nihil interest.

Ceteræ objectiones quas apud auctores Protestanticos invenire potui vel in jam datis quoad rem includuntur, vel principiis jam positis facile solvuntur.

SECTIO TERTIA.— *De Salute extra Ecclesiam.*

29. Ut ea a quæstionis præsentis materia excludantur quæ ad illam non pertinent, et alibi in aliis Tractatibus excutiuntur, breviter notandum est, 1°, quæstionem hic non esse de alia quavis conditione ad salutem necessaria, v. g. de necessitate fidei, baptismi in re vel voto, &c. Sane non eo solo quod aliquis sit membrum Ecclesiæ justus est, et ideo sic a vita decedens salvatur. Sed quæstio hic est, quæcunque alia ad salutem homini necessaria sint vel non sint, saltem an sit necessarium, ut Ecclesiæ membrum sit.

Quoniam vero, ex dictis, ut aliquis extra Ecclesiam ponatur, sufficit ut in eo vel nunquam extiterit, vel solutum fuerit istorum aliquod trium vinculorum, fidei, cultus, regiminis; eadem idcirco videretur esse quæstio præsens, ac si quæreretur, an hæreticus vel schismaticus salvari possit? et quoniam (D. 1, n. 191, &c.) nulla in hæretico esse potest fides salutaris, et qui fide hac caret certo damnabitur (*ibid.* S. 10); inutiliter ideo, et quasi tautologice, saltem quoad hæreticum, moveri videtur quæstio hæc. *Respondeo*, ab isto alio hæreseos effectu hic omnino abstrahi; et etsi concederetur in hæretico esse posse fidem veram et salutarem, quæritur an hæresis ejus, spectata ut eum ab Ecclesia sejungens, *hoc solo titulo*, illum extra viam salutis ponat?

30. 2°. Potest aliquis, etsi non re, voto tamen ad Ecclesiam pertinere. Talis est catechumenus qui, si ante susceptum baptismum absque gravi sua culpa dilatum decedat, et ceteras ad salutem conditiones necessarias teneat, sine dubio salvabitur.

31. 3°. "De iis hic tantum agitur, qui *culpabiliter* vel in hæresi vel schismate aut incredulitate versantur, seu de iis qui *formales*, ut aiunt, sectarii sunt, minime vero de *materialibus*, ut fertur, seu de iis, qui ab infantia erroribus ac præjudiciis imbuti sunt, quique nec dubitant quidem se in hæresi vel schismate versari, vel si quod dubium in ipsorum mentibus exurgit, toto corde ac sincero animo veritatem inquirunt; hos enim ad Dei judicium remittimus, cujus est cordium cogitationes habitusque introspicere atque scrutari. Dei enim bonitas et clementia non patitur quempiam æternis cruciatibus addici, qui voluntariæ culpæ reus non sit. Contrarium affirmare esset contra expressam Ecclesiæ doctrinam."—PERRONE, de Religione, P. 2, n. 265.

32. 4°. Ex his sequitur necessitatem pertinendi ad Ecclesiam *in re,* non esse necessitatem medii, sed præcepti tantum. Sed quæstio est, An sit de necessitate medii pertinere ad Ecclesiam *in voto?* Votum duplex est, explicitum et implicitum. Explicitum in eo esset qui, vel de sua secta dubitans an sit Ecclesia vera, hisce aut aliis similibus verbis animo proponeret, "Cum de Ecclesia ad quam pertineo, an vera sit, rationabiliter dubitem, ex toto corde volo me Ecclesiæ veræ, quæcunque ea sit, mihi sufficienter propositæ me consociare:" vel in eo, cui suam sectam esse falsam et Ecclesiam Catholicam veram jam exploratum est, quique apud se statueret suam sectam statim abjicere et deserere, et Ecclesiæ Catholicæ se conjungere. Votum implicitum in eo esset qui, de veritate suæ sectæ non dubitans, actum eliceret absolutæ conformitatis voluntati divinæ in omnibus, aut, quod idem esset, ex corde statueret omnia mandata Dei exequi. Hujusmodi votum continetur in actu contritionis, in proposito non peccandi de cetero. His positis, videtur votum explicitum non requiri de necessitate medii. Votum vero implicitum iis in casibus necessitate medii requiritur, in quibus ista necessitate requiritur propositum omnia mandata divina gravia servandi, et non aliis nec alio modo: v. g. post peccatum grave admissum, ad cujus remissionem necessaria est necessitate medii contritio (imperfecta in sacramento, perfecta extra), in qua includitur propositum non peccandi, in quo implicite dictum votum.

33. 5°. Sed revera omnes illi qui valide baptizati sunt et virtutem fidei retinent, etsi in sectis nati et educati et in iis materialiter degentes, secundum quosdam Theologos, ad Ecclesiam Catholicam pertinent, ejusdemque membra jure vocari possunt. Attamen,

34. 6°. Ut ait CROIX, de hæreticis in Germania pure materialibus, quæque, mutatis mutandis, ad sectas alibi existentes accommodari possunt:—"Hoc miserandum est cum illis, si in aliud peccatum mortale [sciz. præter peccatum hæreseos cujus rei non esse supponuntur] inciderint, quod omnino pronum est ejusmodi hominibus, eos gratiâ præcipuorum sacramentorum destitui et communiter damnandos, non ex defectu fidei (suppono enim, quod credant necessaria necessitate medii) sed propter alia peccata, quæ commiserunt, et a quibus non expiantur, neque per sacramentum pœnitentiæ, quod apud ipsos non est, neque per contritionem vel amorem perfectum, ad quem, præterquam quod difficillimum sit ejusmodi homines ad eum pertingere, ipsi tamen non attendunt, nec communiter curant, nec student elicere, putantes se per solam fidem et fiduciam in Christum justificari, quâ damnabili confidentiâ percunt miserrime."—CROIX, de Fide, n. 94. His alia multa adjici possent quæ pericula miserorum istorum summa et extrema reddunt; qualia sunt principia morum prava et mundana perpetuo audita, inopia gratiarum quæ ex usu frequenti sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ, ex devotione erga B. V. Mariam, ex concionibus, &c., morientibus ex sacramento Extremæ Unctionis, &c., derivantur.

35. 7°. Qui intra Ecclesiam graviter peccant, etsi, si in peccatis suis moriantur, non salvantur, attamen usque ad mortem, si in Ecclesia maneant, media Dei gratiam recuperandi habent non procul posita, non a longe exquirenda et apportanda, sed quasi præ manibus et domi, ideoque, etsi non sancti, attamen *in via salutis* sunt. Qui vero extra Ecclesiam culpabiliter sunt, non solum sanctitate carent, sed extra viam sanctitatis recuperandæ, *extra viam salutis* sunt.

PROPOSITIO.—*Voluntarie extra Ecclesiam decedentibus nulla datur salus.*

35*. ARGUMENTA ex S. Scriptura. I. Ex supra probatis, n. 10, &c., omnes ab Ecclesia voluntarie sejuncti gravis peccati rei sunt. Qui ergo voluntarie sejuncti moriuntur, in statu mortalis peccati moriuntur. Ergo illis non datur salus.

36. II. "Quicunque non receperit vos neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati:" Matth. x. 14, 15. Verba hæc non ad solos Apostolos, sed et ad eorum successores, ad Ecclesiam docentem, usque ad finem mundi, diriguntur. Hoc enim munus docendi et regendi usque ad consummationem seculi continuandum esse, ex multis locis manifestum est. Non recipere Apostolos nec sermones eorum audire, plane idem est ac nolle eorum discipulos fieri, nolle iis conjungi, i. e. nolle fieri membra Ecclesiæ. Jamvero sors eorum qui sic extra Ecclesiam voluntarie (sunt enim quibus ministerio Apostolorum sufficienter proposita est) decedunt, damnatio æterna est; imo infidelium negativorum, etiam qui nefandis sceleribus fœdati sunt, damnatione gravior.

37. Ejusdem argumenti genus ex omnibus illis textibus conficitur, in quibus gravis declaratur obligatio unicuique se Ecclesiæ (sibi quidem sufficienter propositæ) subjiciendi, et grave declaratur esse peccatum ei non obedire:—"Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui

me misit:" Matth. x. 40; "Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus:" Id. xviii. 17; "Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me:" Luc. x. 16, &c. Ex his textibus patet gravissimum esse peccatum Ecclesiæ resistere, ei non obedire; quo modo agit ille qui voluntarie extra eam vivit et moritur.

38. ARGUMENTA ex SS. Patribus. Duplici modo nostram Propositionem declarant Patres. *Primo*, affirmando omnes ab Ecclesia voluntarie sejunctos peccati gravissimi reos esse, peccati absolute gravis, in nulla hypothesi nec ulla quacunque causa excusabilis. Si enim sic sejuncti in statu peccati sint, qui sic decedunt, in statu peccati, i. e. in statu damnationis, decedunt. Hoc modo Propositionem nostram affirmant omnes Patres n. 12, &c., allati. Hoc est Argumentum:—Qui in statu peccati mortalis decedunt, damnantur. Hoc dant ipsi adversarii, imo tenent et fatentur. Atqui omnes ab Ecclesia voluntarie sejuncti in statu peccati mortalis sunt. Hoc ex textibus Patrum, ibidem allatis, constat. Ergo omnes ab Ecclesia voluntarie sejuncti decedentes damnantur.

39. *Secundo.* Propositionem nostram directe, diserte et etiam totidem verbis affirmant Patres. "Periisse autem constat in illo diluvio omnes ipsius temporis homines, præter eos qui intra Arcam, quæ typum gerebat Ecclesiæ, reperiri meruerunt. Nam similiter etiam nunc omnino salvi esse non poterunt, qui ab Apostolica fide et ab Ecclesia Catholica fuerint alieni."—S. GAUDENTIUS BRIXIANUS, Tractatus 8, de Lectione Evangelii.

40. "Si autem ad diem judicii quæ scripta sunt voluerimus referre, dicimus omnem qui salvatur, salvari in Ecclesia, sive in cælesti Jerusalem."—S. HIERONYMUS, in Joel, Cap. 2.

41. "Quicumque extra hanc domum [Ecclesiam] agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio."—*Idem*, Epist. 14, ad Damasum Papam.

Communissima est apud Patres comparatio ista Ecclesiæ cum Arca Noe, præsertim ad illustrandam doctrinam de salute extra Ecclesiam non habenda.

42. "Fructuosum sarmentum, si aliquid habebat [CYPRIANUS] adhuc purgandum, gloriosa martyrii falce purgatum est: non quia pro Christi nomine occisus est, sed quia pro Christi nomine in gremio unitatis occisus est. Nam ipse scripsit, et fidentissime asserit, eos qui extra unitatem, etiamsi pro illo nomine moriantur, occidi posse, non posse coronari."—S. AUGUST. Epist. 108, n. 9.

43. De fratre errante Donatista scribit:—"Extra Ecclesiam Catholicam totum potest [habere] præter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare Halleluia, potest respondere Amen, potest Evangelium tenere, potest in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fidem et habere et prædicare: sed nusquam nisi in Ecclesia Catholica salutem poterit invenire."—*Idem*, Sermo ad Cæsareensis Ecclesiæ plebem, n. 6.

Solvuntur Objectiones.

44. *Nota.* Fere omnes quæ nostram Propositionem impetunt objectiones, declamationes sunt inanes vel blasphemiæ furiosæ. Ad duas quæcunque earum vel speciem præ se argumenti ferunt revocari possunt.

45. *Object.* 1. Et justitiæ et bonitati Dei repugnat ista doctrina de salute extra Ecclesiam non habenda.

46. *Resp.* 1°. Nullum omnino, quocunque titulo, jus ex se habere potest homo ad gaudia cæli: Deus ergo ad ea capessenda quas velit conditiones apponere potest. 2°. Qui extra Ecclesiam involuntarie decedit, propter hoc sane nullos inferni cruciatus patietur: et si in eo aliæ inveniantur conditiones, quæ ad gratiam sanctificantem habendam, ex decreto Dei, necessariæ sunt, sine dubio salvatur: vide supra, n. 29, &c. Sed vide etiam n. 34. 3°. Nostra Propositio eos *solos* respicit qui *voluntarie* extra Ecclesiam decedunt: i. e. eos quibus sufficienter proposita est Ecclesiæ credibilitas et obligatio gravis ad eam accedendi, quique ut ad eam accedant gratiis divinis illuminantur et roborantur (etsi enim non omnibus darentur gratiæ sufficientes, quod tamen falsum est, his saltem dantur sufficientes, et quidem eximie); qui tamen, his omnibus non obstantibus, ad Ecclesiam accedere nolunt, extra eam manent et moriuntur. Nonne tales rei sunt peccati gravissimi, et sic decedentes in peccato moriuntur?

47. "Sed," dicunt, "Deus est infinite bonus!" Et hoc vere dicunt; nec enim ad enarrandas divitias bonitatis ejus sufficerent omnium hominum et Angelorum linguæ. Nonne illis ipsis, de quibus hic sermo est, eos ita illuminando, vocando, trahendo, suam summam misericordiam præcipue et maxime ostendit Deus:—"Jerusalem, Jerusalem . . . . quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?" Matth. xxiii. 37, 38. Bonus et misericors et patiens est Deus; sed est etiam justus; et iis qui gratias ejus spernunt, et viam salutis ipsis patefactam ingredi renuunt, non manet nisi terribilis expectatio judicii:—"Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem

. . . proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem:" Hebr. vi. 7, 8.

48. *Urgetur.* Extra Ecclesiam dari possunt homines vita integri, benefici et benigni, egentibus liberales, &c. Hi saltem non sunt sine spe salutis?

49. Ne extra materiam præsentem evagemur, *Resp.* Iterum in memoriam revocandum est de iis solis nos hic loqui, qui extra Ecclesiam sunt voluntarie. Esto ergo tales dari, qui hominibus recti et boni esse videntur, quomodo coram Deo justi et sancti dicendi sunt, qui gratiæ ejus resistentes a præcepto ejus gravi voluntarie discedunt? "Homo . . . videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor:" 1 Reg. xvi. 7. In die Domini magna, in die illa, cum venerit scrutari Jerusalem in lucernis (Sophon. i.), ah! quam longe a judiciis hominum diversa atque sejuncta invenientur judicia Dei!

50. *Object.* 2. Doctrina ista "salutis exclusivæ seu exclusoriæ," ut vocatur, in mentibus eorum qui eam credunt parere nata est sensus valde inhumanos et charitatis fraternæ graviter læsivos.

51. *Resp.* primo. 1°. Nonne adversarii nostri nobiscum tenent omnes paganos, deistas, atheos esse perituros? Si enim hoc non teneant, sunt ipsi e grege deistarum et rationalistarum, quos in hoc opere, ut sæpius diximus, omnino prætermittimus. Incredibile sane est quanta sit hodie, in Anglia, America et alibi, Universalistarum, ut vocantur, multitudo, qui pœnarum inferni æternitatem negant, et omnes homines ultimo ad felicitatem perventuros esse docent. Sed hi omnes Scripturæ non solum inspirationem sed etiam veracitatem negant. 2°. Nonne

46. *Resp.* 1°. Nullum omnino, quocunque titulo, jus ex se habere potest homo ad gaudia cæli: Deus ergo ad ea capessenda quas velit conditiones apponere potest. 2°. Qui extra Ecclesiam involuntarie decedit, propter hoc sane nullos inferni cruciatus patietur: et si in eo aliæ inveniantur conditiones, quæ ad gratiam sanctificantem habendam, ex decreto Dei, necessariæ sunt, sine dubio salvatur: vide supra, n. 29, &c. Sed vide etiam n. 34. 3°. Nostra Propositio eos *solos* respicit qui *voluntarie* extra Ecclesiam decedunt: i. e. eos quibus sufficienter proposita est Ecclesiæ credibilitas et obligatio gravis ad eam accedendi, quique ut ad eam accedant gratiis divinis illuminantur et roborantur (etsi enim non omnibus darentur gratiæ sufficientes, quod tamen falsum est, his saltem dantur sufficientes, et quidem eximie); qui tamen, his omnibus non obstantibus, ad Ecclesiam accedere nolunt, extra eam manent et moriuntur. Nonne tales rei sunt peccati gravissimi, et sic decedentes in peccato moriuntur?

47. "Sed," dicunt, "Deus est infinite bonus!" Et hoc vere dicunt; nec enim ad enarrandas divitias bonitatis ejus sufficerent omnium hominum et Angelorum linguæ. Nonne illis ipsis, de quibus hic sermo est, eos ita illuminando, vocando, trahendo, suam summam misericordiam præcipue et maxime ostendit Deus:—"Jerusalem, Jerusalem . . . . quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?" Matth. xxiii. 37, 38. Bonus et misericors et patiens est Deus; sed est etiam justus; et iis qui gratias ejus spernunt, et viam salutis ipsis patefactam ingredi renuunt, non manet nisi terribilis expectatio judicii:—"Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem

. . . proferens autem spinas ac tribulos, reproba est et maledicto proxima: cujus consummatio in combustionem:" Hebr. vi. 7, 8.

48. *Urgetur.* Extra Ecclesiam dari possunt homines vita integri, benefici et benigni, egentibus liberales, &c. Hi saltem non sunt sine spe salutis?

49. Ne extra materiam præsentem evagemur, *Resp.* Iterum in memoriam revocandum est de iis solis nos hic loqui, qui extra Ecclesiam sunt voluntarie. Esto ergo tales dari, qui hominibus recti et boni esse videntur, quomodo coram Deo justi et sancti dicendi sunt, qui gratiæ ejus resistentes a præcepto ejus gravi voluntarie discedunt? "Homo . . . videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor:" 1 Reg. xvi. 7. In die Domini magna, in die illa, cum venerit scrutari Jerusalem in lucernis (Sophon. i.), ah! quam longe a judiciis hominum diversa atque sejuncta invenientur judicia Dei!

50. *Object.* 2. Doctrina ista "salutis exclusivæ seu exclusoriæ," ut vocatur, in mentibus eorum qui eam credunt parere nata est sensus valde inhumanos et charitatis fraternæ graviter læsivos.

51. *Resp.* primo. 1°. Nonne adversarii nostri nobiscum tenent omnes paganos, deistas, atheos esse perituros? Si enim hoc non teneant, sunt ipsi e grege deistarum et rationalistarum, quos in hoc opere, ut sæpius diximus, omnino prætermittimus. Incredibile sane est quanta sit hodie, in Anglia, America et alibi, Universalistarum, ut vocantur, multitudo, qui pœnarum inferni æternitatem negant, et omnes homines ultimo ad felicitatem perventuros esse docent. Sed hi omnes Scripturæ non solum inspirationem sed etiam veracitatem negant. 2°. Nonne

iidem nostri adversarii tenent peccatores omnes magnos, etiam fideles et vera Ecclesiæ membra, esse perituros? Nonne, cum S. Paulo (Galat. v., et alibi sæpius), tenent homicidas, fornicarios, &c., a regno cælorum excludendos esse? 3°. Nonne doctores Protestantici antiqui omnes, et recentiores haud pauci nostram aperte tenuerunt Propositionem: prout demonstrat PALMER, P. 1, c. 1, s. 3? 4°. Nonne ipsa Ecclesia Constituta, symbolum Athanasianum in liturgia sua publica retinens, similem doctrinam profitetur?

52. *Resp.* secundo. 1°. Lege charitatis fraternæ divina erga Protestantes tenemur. Eos injuria afficiendo peccamus, et, si in materia gravi, graviter peccamus. Et de tali peccato gravi, sub pœna damnationis æternæ, sicut et de quovis peccato gravi a nobis commisso, vere et sincere dolere et pœnitere tenemur, et, quemadmodum justitiæ commutativæ regulæ præcipiunt, pro rata parte restitutionem dare. 2°. Enixe vult Ecclesia ut pro iis devote oremus, ut ad veritatis notitiam veniant et sic salutem æternam consequantur; et, fere innumeris indulgentiis largis et largissimis propositis, ad hoc opus charitatis fraternæ summum quam frequentissime et piissime præstandum nos quasi allicit et trahit. 3°. Majoris Hebdomadæ Feria sexta (Anglice, "Good Friday"), inter officia sacra publica, oratione triplici distincta, corde effuso conversionem a Deo efflagitat, primo, omnium hæreticorum et schismaticorum, deinde, omnium Judæorum, ultimo, omnium paganorum. 4°. Presbyteri missionarii qui ubique terrarum, vel in regionibus omnino acatholicis, vel in regionibus ubi Catholici et Protestantes commixti vivunt, in opere propagandæ fidei et salvationis

animarum, ab ipso schismatis Protestantici ortu hucusque indesinenter laborarunt hodieque laborant, præ multitudine numerari non possunt. Inter eos eminuerunt sancti canonizati martyres et confessores haud pauci, aliique innumerabiles, qui domo et patria et, more Apostolico, "omnibus relictis," totam vitam pro bono proximorum, inedia et algore et omni genere malorum pressi, consumunt.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

1. Ecclesia in multis sancta dici potest, in auctore suo Christo Domino, in Apostolis qui initia ejus posuerunt, in fine in quem constituta est. In hoc tractatu quæstio movetur tantum de sanctitate ejus in doctrina et in membris. Sanctitas doctrinæ, quoad rem, est ipsa doctrinæ veritas; et sub hoc conceptu in capite de infallibilitate tractatur. In hoc capite de sanctitate in membris agitur.

2. Sententiæ Protestantium in duobus extremis sunt, eorum nempe qui tenent Ecclesiam ex solis justis constare, et aliorum qui tenent eam posse totam, ad tempus saltem, moribus depravari.

3. De fide est Ecclesiam esse semper sanctam, ex Symbolo, " Credo in . . . sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem." Certum est et definibile de fide Ecclesiam esse semper sanctam non solum in parvulis baptizatis sed etiam in multis adultis vere sanctis. Imo mihi certum est et pariter definibile de fide in Ecclesia semper esse non tantum multos sanctos adultos, sed etiam quosdam eximie et eminenter sanctos. Sufficit autem ut sanctitatem simpliciter de plurimis membris affirmemus.

PROPOSITIO.—*Ecclesia Christi est essentialiter Sancta in Multis Membris vere Sanctis.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

Textus ex V. T. vid. D. 8, n. 27, &c. Ex N. T. sic probatur propositio.

4. ARGUMENTUM I. "Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam:" Matth. xvi. 18.

Finis ille magnus ob quem constituta est Ecclesia, et ad quem omnia in ea ordinantur, sanctitas est et salus hominum. Si in hoc fine assequendo prospere procedat, vere vincit, vere regnat, et parum vel nihil est eam in aliis quæ admirationem hominum captare solent, templorum splendore, &c., deficere. Si vero in hoc ita, etiam ad tempus brevissimum, deficeret ut vel nulla vel pauca tantum haberet membra sancta, planum est eam vinci; planum est hostes infernales adversus eam prævalere, et ex ea victoriam, imo victoriam maximam et quam præ alia quavis appetunt et avent, reportare. In hoc enim tota stat ratio belli internecini quod omnibus diebus usque ad consummationem seculi inter Ecclesiam et portas inferi geritur, nempe, ex una parte, ut homines sanctificentur et sancti maneant, ex altera parte, ut in peccatis teneantur vel in ea retrahantur. Ad hoc unice annituntur portæ inferi, aut, si ad alia, nonnisi ut per ea hoc assequantur. Si ergo Ecclesia in sanctitate membrorum deficeret, portæ inferi adversus eam prævalerent, et penitus et omnino prævalerent.

5. *Argumentum* II. Ex Ecclesiæ titulis in S. Scriptura: vid. c. 1, n. 4. Ecclesia vocatur Christi Corpus, Sponsa,

Domus, Templum, Regnum; vocatur Templum sanctum, Regnum cœlorum. Ecclesia unumquodque horum semper *est*, quamdiu Ecclesia est. Eodem enim modo ubique hisce nominibus insignitur quo nomine Ecclesiæ insignitur, quasi ei æque propria essent ac ipsum nomen Ecclesiæ. Non vocatur Christi Corpus, &c., quasi aliquando id non sit aut possit non esse. Jamvero tot his titulis et tantis, quorum singuli non tantum sanctitatem sed sanctitatis eximiæ splendorem sonant, Ecclesia perpetuo vere et jure insigniri nequaquam posset, nisi in ea esset semper ingens sanctorum numerus. Quomodo vocari posset v. g. Sponsa Christi, quæ tota a Christo aliena est et sejuncta; Templum sanctum, quod totum aut fere totum pollutum est et maledictum; Regnum cœlorum, in cujus membris omnibus regnat diabolus?

6. Argumentum III. Ex parabolis. 1°. In parabola boni et mali fructus, crescit bonus fructus simul cum malo usque ad consummationem seculi: Matth. xiii. 24, &c., 37, &c. 2°. Similiter in parabola sagenæ, pisces boni et mali simul manent, nonnisi in fine mundi separandi: Matth. ibid., 47, &c. 3°. Similiter in parabola magnæ domûs, vasa aurea et argentea in ista domo existunt æque ac vasa lignea et fictilia: 1 Tim. ii. 20. Sed per segetem, sagenam, magnam domum significatur Ecclesia; et per fructus bonos, pisces bonos, vasa pretiosa significantur justi. Nullomodo autem, in ulla ex istis parabolis, vel minimum insinuatur bonos ad numerum exiguum aliquando coarctandos esse. Semper ergo non solum erunt in Ecclesia sancti, quod textus diserte declarant, sed multi sancti, quod saltem negative declarant.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

7. Sufficit hic quosdam titulos et similitudines proferre, quibus Ecclesia a Patribus insignitur. Neque opus est textus integros exscribere: ex ipsis enim nominibus satis patet quid senserint de sanctitate Ecclesiæ eximia et perenni.

8. Ecclesia vocatur 1°, Verum genus sacerdotale Dei; 2°, Benedictus populus Dei; 3°, Cœlestis Ecclesiæ imago, figura, imitatio; 4°, Vera mater viventium. Omnium mater et nutrix; 5°, Paradisus, Hortus Dei; 6°, Luna illuminans, sicut Christus est Sol; 7, Os Christi; 8°, Iter ad cœlum; 9°, Filia Ecclesiæ cœlestis; 10°, Viva Dei vinea, pulchra vinea; 11°, Decor et gloria vultus Christi; 12°, Torcular fontis æterni; 13°, Balneum spirituale; 14°, Plenitudo Christi; 15°, Verum semen Abrahæ; 16°, Columba deargentata; 17°, Vestis Domini; 18°, Stola Christi; 19°, Sancta multitudo; 20°, Arca Noe, Arca in qua sancti custodiuntur. Loca Patrum ubi hæc nomina inveniantur indicata vid. D. 8, n. 56, xxii.

Solvuntur Objectiones.

9. *Object.* I. Plures esse possunt et quidem sunt in Ecclesia mali quam boni. A majori autem parte nominari debet.

10. *Resp.* "Etsi fortasse plures sint in Ecclesia mali quam boni; quia tamen non semper a majori parte sumitur denominatio, sed interdum a potiori; ideo sim-

pliciter dicitur sancta. Nam rufus aliquis aut niger vocari solet a capite rufo vel nigro, licet caput non sit major pars hominis.

"Dicitur etiam aliqua civitas esse opulenta, propter mercatores et alios quosdam in ea opulentos, etsi multi sint in ea pauperes vel mediocres, ac forte plures.

"Universitas quoque docta et solida denominatur, propter doctos ac solidos professores qui ibi docent, etiamsi plures in ea sint indocti quam docti studentes.

"Ad axioma philosophicum Respondeo, a majori parte sumi denominationem, quando agitur de qualitate per subjectum extensa, et sufficienter ad denominandum intensa. Sic paries pro majori sui parte dealbatus, denominabitur albus, si albedo ipsi insit sufficienter ad denominationem. Alioqui non a majori, sed a potiori parte sumitur denominatio. Boni autem sunt potior pars Ecclesiæ, dicente Scriptura Ecclesiastici :—'Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii :' xvi. 3." Sylvius, Controversiæ, l. 3, q. 2, a. 6.

"Quia coram Deo majoris æstimationis est unicus justus quam peccatores multi, ideo ab iis potest denominari, præcipue cum sanctitas justorum sit ex intentione et instituto Ecclesiæ, cui contraria est malitia." Suarez, de Fide, d. 9, s. 7, n. 2.

11. *Object.* 2. Bonum ex integra causa est. Ergo ut Ecclesia, simpliciter bona seu sancta sit et jure denominetur, sancta esse debet in omnibus membris.

12. *Resp.* "Bonum non sic oritur ex integra causa, quasi ipsum vel ejus causa debeat extendi per totum subjectum, ut supponit argumentum : sed oritur ex integra causa ipsius boni, ita nimirum ut nulla pars boni-

tatis, sive nihil ad bonitatem requisitum desit." SYLVIUS, ibid.

Præter veteres istas et vulgares objectiones, nullam aliam apud auctores Protestanticos vidi, quæ sanctitatem Ecclesiæ impetat.

CAPUT OCTAVUM.

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ.

Sectio Prima.—*Notiones Præviæ.*

Definitiones et Divisiones.

1. Sicut in multis sancta est Ecclesia, ita et in multis catholica vocari potest. Sed de sola catholicitate loci et personarum in hoc capite sermo est. Ista autem catholicitas definiri potest:—Lata per orbem Ecclesiæ extensio, cum magna et conspicua membrorum multitudine. Duo ergo catholicitatis ideæ subsunt; 1°, magnus imo permagnus membrorum numerus; 2°, lata eorundem per orbem disseminatio. Societas enim multis constans membris sed in una regione coarctatis, vel late extensa sed in singulis regionibus nonnisi paucis constans, catholica non esset, præsertim non eminenter et egregie, qualem esse Ecclesiam Catholicam tenemus. Imposterum per catholicitatem, hanc quoad locos et personas catholicitatem significamus.

2. *Primo.* Catholicitas est vel *juris* vel *facti*. Catholicitas facti est actualis lata extensio. Ex Suarezio, catholicitate juris gaudet Ecclesia, "tum quia pro toto mundo instituta est, et non sicut synagoga pro quadam natione; tum etiam quia ex tunc accepit jus prædicandi fidem Christi per universum mundum . . . . tum denique

quia habet potestatem in terris ad gubernandum universum orbem in iis, quæ ad salutem animæ spectant, vel ad illam referuntur." Defensio, l. 1, c. 16, n. 4.

3. Præter istas tres species catholicitatis juris, aliæ duæ sunt ex iis derivatæ iisque innixæ. Prima est vis seu facultas divina et efficax in Ecclesia se catholicam conservandi: et hæc catholicitas perpetuo activa est et efficax. Secunda est vis tum in se tum effective efficax in Ecclesia ad se convertendi et aggregandi homines multos ex populis acatholicis, sive hæreticis sive paganis sive utrisque. Sed opus non est ut hæc vis et fecunditas Ecclesiæ *perpetuo* se prodat in conversione multitudinum magnarum. Imo id fieri non potest: alioquin lapsu paucorum seculorum aut etiam aliquot annorum Ecclesia fieret catholica physice, quod est contra Scripturam.

4. *Secundo.* Catholicitas est vel *simultanea* vel *successiva.* Et *Tertio,* utraque est vel *physica,* vel *moralis.*

5. I. Catholicitas simultanea duplici modo physica esse posset: 1°, si totum omnino orbem terrarum simul et eodem tempore occuparet Ecclesia, ita ut nulla esset regio in qua non haberet magnam membrorum multitudinem; 2°, Si non solum universam occuparet terram, sed sola occuparet, ceteras religiones excludens. Hæc exclusio triplex concipi potest, sciz. exclusio omnium hæreticorum et schismaticorum; exclusio omnium paganorum ceterorumque infidelium; exclusio omnium omnino, ita ut omnes homines essent Catholici. II. Catholicitas simultanea moralis esset, si Ecclesia per orbem non physice sed moraliter diffunderetur, ita ut haberet "in mundo splendorem quemdam universalem, quo posset ejus dignitas

et majestas cognosci, et ab hæreticorum turbis discriminari." SUAREZ, ibid. n. 10. Quanta autem extensio quantusve membrorum numerus ad hoc requiratur statui non potest mathematice.

5. 1°. Physica esset catholicitas successiva, si omnes omnino mundi partes, alteram post alteram, successive occuparet; ita ut aliquando vere affirmari posset nullam esse regionem in qua non floruerit Ecclesia. 2°. Moralis esset, si solum plerasque aut valde multas terræ partes successive occuparet.

6. *Quarto.* Catholicitas est vel *absoluta* vel *relativa.* Absoluta est, si Ecclesia vere sit catholica absolute, et seposita omni comparatione cum diffusione sectarum. Relativa est catholicitas diffusioni sectarum comparata: et duplex esse potest hæc comparatio; 1°, inter Ecclesiam et sectas hæreticales vel ceteros infideles; 2°, inter Ecclesiam et sectas vel collective vel distributive.

7. *Quinto.* Catholicitas est vel *perpetua* et indeficiens vel *temporaria* sive defectioni obnoxia.

8. *Sexto.* Catholicitas est vel *materialis* vel *formalis.* Materialis est, si spectetur extensio nuda et in se, non attento utrum sit extensio unius et ejusdem societatis an plurium disjunctarum societatum seu potius turbarum, quæ non aliter quid unum sunt nisi quod nomine quodam communi appellentur. Formalis est, si spectetur non solum lata extensio ingensque multitudo hominum, sed etiam hominum qui unam rempublicam sacram, unam Ecclesiam efficiunt. Planum est quæstionem hic moveri de sola catholicitate formali. Sola enim quæstio est de catholicitate Ecclesiæ *veræ*, an et qualis sit. Sed Ecclesia vera, ex c. 5 et 6, est essentialiter una societas. Prius

est esse Ecclesiam quam esse Ecclesiam catholicam : Ecclesia catholica esse non potest quæ nec etiam Ecclesia est [Anglice, "a Church"]. Sed sectæ disjunctæ non sunt Ecclesia sed Ecclesiæ.

Doctrina Catholica: Theologorum sententiæ.

8. 1°. Etsi Ecclesia, non ut in uno quodam populo contineatur, sed pro universo mundo constituta est, et etsi omnes ad eam vocantur, ex perversitate tamen et obstinatione innumerorum non credentium, qui vel gratiæ fidei resistunt vel illius gratiæ se indignos reddunt, catholicitate simultanea physica nunquam gavisa est, nunquam gaudebit. Ita omnes.

9. 2°. Etsi de vitis et rebus gestis Apostolorum nonnisi paucissima ex testimonio directo sciamus, de S. Paulo per aliquot annos pauca, de S. Petro pauciora, de ceteris fere nihil; attamen summe probabile et fere certum mihi videtur, ab ipsis Apostolis ita propagatam fuisse Ecclesiam ut, tum quoad loca tum quoad multitudinem fidelium, de facto vere catholica esset.

10. 3°. Sed quidquid de ipso ævo Apostolico dicatur, Ecclesiam seculo immediate sequenti, saltem medio et labente, gloriosissime catholicam fuisse ex testimoniis invictis exploratum habemus : vid. D. 9, n. 15.

11. 4°. Ante finem mundi omnibus gentibus successive prædicabitur Evangelium : ita ut nulla erit gens cui non aliquando prædicatum fuerit. Hæc est communis Patrum et Theologorum sententia. Quo autem fructu hæc prædicatio fiet, incertum est; nisi quod probabilius est in singulis aut saltem plerisque gentibus quosdam esse convertendos, certum vero non omnes.

12. 5°. Sive Evangelium est isto modo omnibus omnino gentibus ante finem mundi prædicandum, sive non, saltem, ut Ecclesia vere catholica sit et jure vocetur, catholicitate successiva morali gaudere debet: n. 5.

13. 6°. Sed quæstio est an sufficiat catholicitas hæc successiva. Nota est Bellarmini, Driedonem sequentis, opinio singularis, affirmans istam catholicitatem successivam sufficere: "Ex quo," ait, "id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia Catholica, dummodo clare ostenderetur eam esse unam et eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diversis, in toto mundo, quemadmodum nunc quælibet diœcesis dicitur Catholica, quia est continuata cum aliis, quæ faciunt unam Ecclesiam Catholicam." Bellarm. L. 4, C. 7. Sententiam istam singularem voco, etsi in eam ire videantur alii pauci. Verba ipsius Bellarmini posse hypothetice intelligi putat Perrone, n. 224.

14. Sed quicquid revera senserint isti pauci, ceteri omnes catholicitatem simultaneam esse attributum Ecclesiæ essentiale et perpetuum vel pro certo affirmant, vel pro manifesto supponunt. Certa et certissima est hæc doctrina, tum ex consensu Theologorum, tum ex argumentis infra afferendis: sed, etsi, ut puto, definibilis etiam de fide, non est tamen adhuc dogma definitum.

15. Quod in eodem capite dicit idem Bellarminus de Ecclesiæ juventute et senectute, ut recte intelligatur, expositione aliqua indiget. Ecclesia eo quidem sensu jam senuit, quod integritatem illam et perfectionem in omnibus suis attributis, quam ex decreto divino unquam habitura est, jam a longo tempore sortita fuerit. Ita autem non senuit Ecclesia ut languore, sterilitate aut quacunque alia senilis ætatis infirmitate afficiatur. Hoc sensu affirmare

Ecclesiam senescere aut unquam senescere posse plane heterodoxum esset, et a mente BELLARMINI prorsus alienum.

16. 7°. Non est "inconveniens quod Ecclesia Catholica, propter insurgentes hæreses et alias persecutiones, multum interdum deprimatur, vel etiam minuatur. Quia non solum hoc non repugnat prædictionibus vel promissionibus factis Ecclesiæ Christi, verum potius illud ipsum sæpius a Christo prædictum est, pertinetque ad arctam viam quæ ducit ad vitam. Unde BEDA, exponens illud Marci vi.: 'Erat navis in medio mari,' &c., ait per illam navem labores Sanctæ Ecclesiæ designari, 'quia nonnunquam Ecclesia tantis gentilium pressuris non solum afflicta sed fœdata est, ut, si fieri posset, Redemptor ipsius ad tempus eam deseruisse videretur.' Addendum vero est, ex quo Ecclesia Catholica per universum mundum diffusa esse cœpit, nunquam propter persecutiones, vel hæreses insurgentes ita splendorem suum et quasi possessionem amisisse, ut desierit esse sufficienter per totum orbem terrarum illustris et diffusa." SUAREZ, Defens. c. 16, n. 16.

17. Hactenus de catholicitate absoluta (n. 6). De catholicitate relativa dicendum est 8°, non solum non esse necessarium ut Ecclesia omnes quæ extra eam sunt sectas, gentilium, Judæorum, hæreticorum simul conjunctas multitudine superet; sed, e contrario, "quantum ex Scripturis colligere possumus, divino consilio potius permissum est plures esse in mundo malos quam bonos, infideles quam fideles, imo fortasse etiam intra ipsam Ecclesiam plures peccatores quam justos." SUAREZ, ibid., n. 12. Ita omnes.

18. 9°. Nec necessarium est ut omnes sectas hæreticales conjunctim sumptas Ecclesia multitudine superet. Ratio intrinseca est, quia Ecclesiæ ea sola catholicitas

necessaria est (loquimur nunc de catholicitate relativa), qua clare discernatur ut Ecclesia vera; ita ut non sint duæ Ecclesiæ, quarum utraque jus habeat ut titulo hoc insigniatur. Jamvero sectæ istæ omnes, etsi Ecclesiam multitudine superarent, non essent Ecclesia late diffusa et numerosa, sed sectarum plurium colluvies late diffusa et numerosa: n. 8.

19. Et hoc quidem quoad rei necessitatem. Quoniam vero de facto omnes omnino sectas hæreticales et schismaticas conjunctim multitudine longe superat Ecclesia; videretur ergo Deum, ut amorem effusum quo semper Ecclesiam suam prosequitur cumulatius declararet, et ut in tenebris et in umbra mortis sedentes fortius ad viam lucis et vitæ alliceret et provocaret, hac eam gloria perpetuo augeri decrevisse.

20. 10°. Certum est Ecclesiam, inter omnes sectas hæreticales et schismaticas separatim sumptas, catholicitate non solum successiva sed etiam simultanea et quidem permanenti, egregie excellere atque eminere. Hanc catholicitatem bene enarrat STAPLETON, Relectio Scholastica, Controv. 1, q. 3, a. 3, Exposit. Artic.

21. Comparatio autem hic inter Ecclesiam, ex una parte, et sectas hæreticales et schismaticas, ex altera parte, instituitur; non autem inter Ecclesiam et eos qui ne nomen quidem Christianum tenent, ut sunt pagani, mahumetani, &c. Ratio est, quia hi, vi ipsius nominis et professionis, nullo modo Christiani sunt; nec aliâ opus est notâ, qua ab Ecclesia Christi distinguantur.

22. 11°. Huc usque de catholicitate facti absoluta et relativa. Prior species catholicitatis juris (n. 3) nihil aliud est quam indefectibilitas. De secunda specie (quam sensu ibidem exposito, esse Ecclesiæ attributum essentiale,

tanquam dogma Catholicum, tenendum est), vid. D. 9, n. 77, &c.

23. Hæc de doctrina et sententiis Catholicorum. Quod vero attinet ad doctrinam Protestantium, quæ sit satis patet ex eorum sententiis de visibilitate et unitate Ecclesiæ, et hac maxime. Doctrina Catholica formalem catholicitatem, seu catholicitatem in unitate (n. 8), affirmat. Cum ergo uno ore omnes Protestantes nostram doctrinam de unitate rejiciant, necessario et nostra doctrina de catholicitate ab iis rejicitur.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO.—*Ecclesia Christi essentialiter Catholica est, catholicitate formali, simultanea, permanenti.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

24. In opere majori, D. 9, n. 32, &c., plures textus ex V. et N. Testamento allati et enarrati videantur: in tractatu hoc compendioso perpaucos tantum proferre possumus.

25. *Argumentum* I. "In te benedicentur universæ cognationes terræ." Genes. xii. 3; Similiter xviii. 18; xxii. 18; xxviii. 14, et alibi:—"omnes gentes terræ . . . omnes nationes terræ . . . . cunctæ tribus terræ." Istos textus significare benedictiones per Christum afferendas, et ipsos benedicendos esse membra Ecclesiæ Christi, ab omnibus, ut puto, conceditur, et constat ex verbis S. Pauli hæc verba de populo Christiano diserte interpretante, Gal. iii. 8.

26. In istis textibus 1°, significatur *catholicitas*. Locutiones enim illæ, omnes nationes terræ, &c., non possunt

designare populum exiguum aut coarctatum, sed multitudinem immensam, et quidem ex omnibus cognationibus, nationibus et tribubus totius terræ conflatam, et ergo late et latissime diffusum. 2°. Significatur catholicitas *simultanea*. Vocabula ista, "omnes gentes, &c.," simpliciter et absolute prolata, prout in textibus proferuntur, ex usu loquendi universali, ideam ingerunt, non unius post alteram, sed omnium simul. Quod firmatur ex subjuncto vocabulo "terræ." Per terram enim ibi significatur non plaga aliqua terræ sed tota terra. Ingeritur ergo idea universalitatis cujusdam, cui idea occupationis pure successivæ plane repugnat. 3°. Significatur catholicitas *permanens*. Dicendo omnes gentes, &c., esse in Christo benedicendas, non significantur solæ gentes usque ad hanc vel illam generationem, vel gentes hic illic in longa generationum serie usque ad finem mundi. Istæ enim non sunt omnes gentes, sed aliquæ tantum generationes omnium gentium.

27. *Argumentum* II. "Respondens Daniel coram rege, ait . . . . . Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. Hoc est somnium: interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex . . . . . In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur . . . comminuet autem et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum." Dan. ii. 27, 35, 44. Lapidem istum esse Christum, et montem in quem factus est, regnumque monte illo significatum, esse Ecclesiam, constat. 1°. Universalitas et perpetuitas, quæ de regno illo prædicuntur, nulli alteri regno sive sacro sive temporali, exceptâ Ecclesiâ Christi, aptari possunt. Eodem modo de regno Christi perpetuitas prædicitur, Luc. i. 33:— "Regni ejus non erit finis." 2°. Regnum hoc regnum

sacrum est: ergo Ecclesia Christi est. *Antecedens* patet. Est enim regnum *ejus* i. e. Dei ("ejus" in Vulg. Græc. Chald.). Insuper, perpetuitas quæ de regno hoc proprie et specialiter hic affirmatur, de regno Dei alibi in hac prophetia eodem modo affirmatur: iii. 100; iv. 31; vi. 26; vii. 14, 27. Testimonia Patrum hujus textus interpretum vid. D. 9, n. 45.

28. In hoc textu 1°, significatur *catholicitas*, ut ex ipsa verborum inspectione levissima manifestum est. 2°. Significatur catholicitas *simultanea*. Mons a regione in regionem successive translatus non implet universam terram, sed id tantum loci spatium quod jam ab eo occupatur. 3°. Significatur catholicitas *permanens*: regnum est enim quod "in æternum non dissipabitur . . . stabit in æternum."

29. *Argumentum* III. "Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi." Matth. xxviii. 19, 20.

30. Hic textus plene enucleabitur infra, c. 10. Hæc interim hic breviter dicenda sunt. *Catholicitas* plane significatur verbis "omnes gentes," et id maxime quoniam non solum docendæ erant gentes, sed docendæ erant efficaciter, utpote quarum institutione adesset divina assistentia efficax, ut in eodem c. 10 videbitur. Et, quoniam assistentia ista continua est et perpetua ("omnibus diebus usque ad consummationem seculi"), significatur ergo catholicitas *simultanea* et *permanens*.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

31. Duplex argumentorum species ex Patribus educitur, nempe, ex mera appellatione nominis *Catholicæ*, et ex locis in quibus catholicitatem vel diserte affirmant esse Ecclesiæ attributum, vel ita eam depingunt ut æquivalenter affirment. Primum tantum genus argumenti hic proponimus.

32. Ex ipso usu illius tituli perpetuo et communi, quasi Ecclesiæ nominis proprii et eam ab omnibus sectis distinguentis, sic argumentatur. Nomine hoc primò vocata est Ecclesia et deinde perpetuo insignita, ad significandum in ea existere, et, quoniam locum quemdam specialem inter nomina Ecclesiæ tenet, eminenter existere attributum seu qualitatem illam quam sonat ipsum nomen: eodem modo quo apud Græcos Alexander vocatus est Magnus, apud Catholicos Gregorius et Leo Pontifices vocantur Magni, Gregorius Episcopus Neocæsarienis vocatur Thaumaturgus, &c.

33. *Catholicus* vero, secundum omnes, idem est ac *universalis*. Quicquid aliud apud hunc vel illum auctorem implicare aut significare usurpetur, hoc saltem, primario et proprio sensu, et ex usu perpetuo et universali, significat. Sed Ecclesia ipsa est quæ Catholica vocatur, i. e. ipse cœtus fidelium, ipse populus fidelis. Ergo Ecclesia multitudo immensa est et late ubique diffusa.

34. Et est catholica permanenter et simultanee. Catholica est *permanenter*. Constat enim Ecclesiam hoc nomine appellari non quasi ei ad tempus vel interdum et aliquando tantum proprio et conveniente, sed ei perpetuo proprio, eodem modo quo nomen ipsum *Ecclesiæ* est ei perpetuo proprium.

35. Catholica est *simultanee.* Universalis enim seu catholicus nullomodo vocari potest cœtus hominum qui nonnisi successive loca late extensa occuparet: prout in argumentis jam allatis dictum est. Neque catholica perpetuo et proprie vocari posset Ecclesia, nisi hæc simultaneitas perpetua esset. Quo enim tempore Ecclesia late diffusa non esset, catholica non esset. Ecclesia quidem esset quæ *fuit* catholica, sed talis jam non est.

Exstructo argumento manent indicanda quædam ex locis Patrum quibus nititur.

36. In Symbolo Apostolorum, ut norunt omnes, hoc nomen primo Ecclesiæ inditum fuit. Etsi autem quidam Protestantes dicant Symbolum nec ab Apostolis nec etiam viventibus illis confectum fuisse, et vocabulum *Catholicam* in isto Symbolo primitus non extitisse, sed ei postea adjectum fuisse; omnes tamen concedunt 1°, Symbolum, etiam quoad hoc vocabulum, antiquissimum esse, et 2°, in eo nonnisi doctrinam Apostolicam puram teneri—hoc, aliis signis omissis, apertissime declarantes in eo quod id ut suum magnum et proprium symbolum profitentur.

37. "Ubi comparuerit Episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum, ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia." S. Ignatius, ad Symrnæos, n. 8.

38. "Ecclesia Dei, quæ Smyrnæ peregrinatur, ecclesiæ Dei, quæ Philomelii peregrinatur, et omnibus ubique terrarum Sanctæ et Catholicæ Ecclesiæ parœciis: misericordia, pax, &c." Ecclesiæ Smyrnæorum de Martyrio S. Polycarpi Epistola Encyclica.

39. "Cum autem precationem finiisset [Polycarpus], in qua mentionem fecerat omnium, qui aliquando cum ipso congressi fuerant, parvorum quidem et magnorum, clarorum

et obscurorum, totiusque per orbem terrarum Catholicæ Ecclesiæ; &c." *Eadem*, n. 8.

40. "Christo . . . pastori Catholicæ in toto orbe Ecclesiæ." *Eadem*, n. 19.

41. "Una est Catholica [Ecclesia], cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, cui sit Catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum." S. Augustinus, Liber de Utilitate Credendi, n. 19.

Hæc sufficiant: nec, in re tam explorata et de qua, ut puto, nullum ab adversariis dubium movetur, loca opus est coacervare, nec etiam indicare, quæ innumera apud eos sunt qui post Patres Apostolicos floruerunt.

Sectio Tertia.—*Solvuntur Objectiones.*

42. *Object.* 1. Textus in quibusdam ex argumentis supra datis, si catholicitatem probent, physicam probant: ut patet ex verbis, "omnes nationes, omnes gentes, &c."

43. *Resp.* 1°. Catholicitatem istis verbis significari manifestum est. Sed ex eventu novimus non physicam significari. Ergo saltem moralis significatur. Vocabula ista "omnes, universi" et similia, in omnibus linguis sive antiquis sive quæ nunc sunt, et in ore omnium, significant vel totum absolute et physice numerum rerum de quibus sermo est, vel totum moraliter, vel ingentem ejus partem, ut cum dicitur "omnes homines sunt mortales," "omnes senes sunt queruli," "tota civitas movetur," "omnes invasit pestis, furor, timor," &c. Quandonam vero hujusmodi verba latissimum aut latiorem aut latum

sensum habeant, non aliâ viâ cognosci potest, præter eam qua significatio hic et nunc certa et definita ceterorum omnium verborum significationes plures habentium statuitur, nempe, ex argumento aliunde cognito, ex contextu, ex conditione, indole, &c. loquentis vel scribentis, et ex aliis circumstantiis generalibus aut particularibus. Verba quæ plures habent sensus, sive similes sive diversos, sive proprios sive improprios, quid *significare possint* ex lexicis vel alia simili via cognoscitur, quid vero hic et nunc definite *significent,* ex circumstantiis hic et nunc existentibus cognoscitur. Hæc omnia certissima sunt, et mille exemplis clarissimis facile illustrari possent.

44. 2°. Variis modis in Scriptura declaratur Catholicitatem nunquam evasuram esse physicam: ut cum dicitur eam semper esse ab extraneis impugnandam, semper esse hæreses, &c.:—"Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur:" Joan. xv. 20; "In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum:" ibid. xvi. 33; "Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum . . . . Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos: et ad præsides et ad reges ducemini propter me:" Matth. x. 14, 16, 17, 18; "Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis:" 1 Cor. xi. 19. Ex historia Ecclesiæ, ut alia omittamus argumenta, planum est non in solis Apostolis impleri istas prædictiones, sed etiam in eorum successoribus et in Ecclesia deinceps a seculo in seculum.

45. *Objectio* 2. Si catholicitas sit attributum Ecclesiæ essentiale, ei ab initio inesse debuit.

46. *Resp.* 1°. Retorqueo argum. Ex prophetiis constat, et ab omnibus adversariis admittitur, eam ad minus am-

plitudinem Ecclesiæ essentialem esse, qua extra Judæam extenderetur et gentes hæreditaret. Sed amplitudinem istam non statim ab initio habuit. 2°. Ex præcepto divino Evangelium prius Judæis prædicandum erat quam ad gentes se converterent Apostoli: Act. xiii., 46. Quoniam vero in hoc opus Judæos convertendi per annos aliquot incubuerunt Apostoli, patet decretum non fuisse divinum ut Ecclesia statim catholicitate sua perfecta potiretur. 3°. Quod etiam patet ex omnibus fere nominibus et parabolis quæ de Ecclesia in S. Scriptura afferuntur, regno, templo, domo, &c. Templum enim, domus, civitas, non statim et extemplo sed gradatim ædificantur: nec statim sed gradatim formatur regnum aut corpus, impletur ovibus ovile, &c.

47. *Object.* 3. Christo vivo, pauci eum secuti sunt. MELANCHTHON ap. STAPLETON Relect.

48. Præter responsiones jam datas, quæ sufficiunt, *Resp.* "Turba illa credentium Christo dum in terris versaretur, non constituebant Ecclesiam Christi proprie dictam, idque propter duas causas. Primùm, quia adhuc perstitit Synagoga in vigore suo. Idcirco enim, qui in Christum credebant, ceremonias tamen legales observabant, et Synagogam venerabantur, templumque frequentabant, et adhuc super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, Matth. xxiii. Deinde cœpit Ecclesia Christi post glorificatum Christum, dato Spiritu Sancto qui esset anima Ecclesiæ, in die Pentecostes." STAPLETON, ibid. Ecclesiam, Christo vivo, adhuc ædificandam fuisse, aliis omissis, ex verbis constat:— "ædifica*bo* Ecclesiam meam;" "et tu *aliquando* conversus confirma fratres tuos:" Matth. xvi. Luc. xxii. Vid. PERRONE, de Locis, P. 1, n. 99.

49. *Object.* 4. Ecclesia Christi, ut ab Ecclesia Judaica

discrepans, catholica est, non quia ubique, sed quia omnibus patet. *Resp.* Utroque modo catholica est et utroque modo ab Ecclesia Judaica discrepat Ecclesia Christi; ut argumenta nostra omnia et singula aperte demonstrant.

50. *Object* 5. Ecclesia Judaica fuit Ecclesia vera, etsi non catholica. *Resp.* Promissio catholicitatis Ecclesiæ Christi facta, Ecclesiæ Judaicæ facta non est.

51. *Object.* 6. Ecclesia "pusillus grex" vocatur:— "Nolite timere pusillus grex:" Luc. xii. 32; dum Babylon vocatur "civitas magna:" Apoc. xvi. 19.

52. *Resp.* 1°. Quo tempore hæc verba prolata sunt, Ecclesia, ut dictum est, n. 48, non erat fundata. 2°. Quidam dicunt gregem illum esse omnes et solos prædestinatos. Alii dicunt esse omnes et solos fideles. Sed vera interpretatio ea est quæ, etsi monita et consilia ibi data ad omnes spectent et pertineant, affirmat tamen pusillum gregem ad literam non esse nisi solos discipulos.

Objectiones hisce similes ex aliis quibusdam textibus congerunt adversarii. Sed quoniam principiis et argumentis jam datis nullo negotio solvi possunt, tædium potius lectori, etiam Protestantico, moveret ista "crambe repetita."

CAPUT NONUM.

DE APOSTOLICITATE ECCLESIÆ.

Sectio Prima.—*Introductoria.*

1. Apostolicitas Ecclesiæ continuatio est haud interrupta et permanens Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ: et Ecclesia hodie Apostolica illa ipsa est ab Apostolis fundata Ecclesia usque hodie continuata.

2. Ecclesia, etsi ex hominibus constans et elementa habens humana, societas est tamen divina et supernaturalis, quæ, *ut Ecclesia*, mediis vel pure divinis efficitur, vel humanis seu naturalibus ad ordinem supernaturalem evectis. Non ergo mediis illis naturalibus et civilibus propagatur et continuatur Ecclesia, quibus societates pure humanæ et civiles propagantur et continuantur, sed mediis sibi propriis et divinitus constitutis. Successio seu continuatio conditiones omnes sibi annexas habens, quas ad continuationem veræ Ecclesiæ necessarias et essentiales constituit Christus, apostolicitas est *formalis :* successio quæ omnibus istis conditionibus, vel aliqua, caret apostolicitas est *materialis.* Patet ergo, dum apostolicitas formalis, quæ sola vera est, semper una et eadem est, apostolicitatem materialem plures quasi gradus habere posse,

et minus magisve a formali recedere. Sic, si supponas ad apostolicitatem formalem requiri baptismum validum, validam in clero ordinationem et jurisdictionem seu missionem, successionem ejusdem fidei ab Apostolis, &c. patet ecclesiam quæ in jurisdictione solâ deficit, multo minus ab apostolicitate hac recedere, quam Ecclesia quæ nec validum habet baptismum, saltem non certo validum, nec ordinationem validam, nec jurisdictionem validam, nec fidem apostolicam.

3. Protestantes censeo omnes (sed. vid. c. 1, n. 11, not.) apostolicitatem sensu aliquo non solum concedere sed tenere. Testimonia quædam de hoc insignia doctorum Protestanticorum vid. D, 10. n. 3. Constat ergo et conceditur Ecclesiam, ut maneat et sit Ecclesia Christi vera, apostolicam esse debere : et quæstio nos inter et Protestantes sola est, Quæ sint ea in quibus apostolicitas ista a Christo posita est. Quoniam Ecclesiæ apostolicitas adæquata et plenaria (n. 1, 2) nihil aliud est quam ejusdem cum Ecclesia Apostolorum identitas vera continuata, sequitur quæstionem hanc, *Quæ sint ea quæ apostolicitatem efficiunt*, eandem re esse ac illam aliam, *Quæ sint ea quæ a Christo constituta sunt ad veram Ecclesiam omnino essentialia.*

4. Quoad *rem* ergo objective et in concreto, Ecclesiæ apostolicitas non est aliquid ab aliis Ecclesiæ proprietatibus conjunctim sumptis distinctum, sed illarum ipsarum proprietatum est existentia conjuncta et continua et indeficiens. Et hoc non solum de apostolicitate verum est, sed aliquo modo de ceteris omnibus Ecclesiæ attributis, nempe, unum in alio plus minusve includi, et nonnisi mentis abstractione a seinvicem distingui : vid. c. 5, n. 12, et PERRONE, de Locis, P. 1, n. 172.

5. Et hæc quidem de apostolicitate adæquate spectata et in concreto. Quatenus vero attributum Ecclesiæ separatum spectatur, prout eam hic Theologi omnes contemplantur, usu venit ut sensum multo contractiorem habeat, et non omnium proprietatum apostolicitatem significet, sed trium harum tantum, originis, doctrinæ et ministerii, præsertim ministerii. Et quidem jure merito, non solum propter rationem datam c. 5, n. 12, sed etiam quia apostolicitas hæc angustior ut nota Ecclesiæ valere potest.

6. Apostolicitas *originis* adæquate intellecta tautologiam sapere videtur: nihil enim apostolicum vere vocari potest quod ab Apostolis non sit, seu cui non competat apostolicitas originis. Per abstractionem vero sensum habet minus adæquatum, significans externam aliquam successionem, et specie tenus aliquo modo formalem. Sic spectata, apostolicitas originis eadem est illa apostolicitas abstracta et generalis, de cujus necessitate, ut n. 3 dictum est, nos inter et Protestantes nulla movetur controversia. De hac ergo apostolicitate nihil amplius hic dicendum est.

7. Apostolicitas *doctrinæ* concordia est in eadem doctrina cum Apostolis: et hæc, sicut unitas fidei simultanea, perfecta est vel imperfecta. Sicut autem unitas imperfecta vera unitas non est, ita nec apostolicitas imperfecta vera est apostolicitas.

8. Apostolicitas *ministerii* pastorum est ab Apostolis usque successio continua et perpetua. Successio hæc vel formalis est vel materialis. Formalis est in qua conditiones inveniuntur omnes quæ a Christo ad veram successionem essentiales constitutæ sunt. Materialis quæ aliqua ex istis conditionibus caret.

9. Varias sententias acatholicas non est opus hic recensere: videantur, D. 10, n. 15, &c. Ad capita seu propositiones sequentes revocari potest doctrina Catholica:—

10. Quoad apostolicitatem *ministerii*. 1°. Jure divino semper in Ecclesia existere debet ordo hominum, ad varia munia sacra obeunda addictus. 2°. Hæc munia sacra sub tribus capitibus generalibus ordinari possunt, nempe munia docendi, gubernandi, sacra peragendi. 3°. Hic ordo hominum (quem *hierarchiam* vocamus) a fidelibus ceteris (quos *laicos* vocamus) jure divino distinctus est. 4°. Ad munera istius hierarchiæ administranda duplex est necessario potestas, ordinis et jurisdictionis. Quædam vero sunt quibus solam ordinis potestatem habens fungi potest, alia solam jurisdictionis potestatem habens, alia quibus fungendis necessaria est et jurisdictio et ordo. 5°. Ut hierarchiæ istius aliquis membrum fiat, non sufficit nec requiritur ut a principe vel populo designetur; nec sufficit nec ad validum (nec etiam, sensu adversariorum, ad licitum) requiritur vocatio interna, motus spiritûs vel aliquid simile. 6°. Sed ut sit hierarchiæ membrum requiritur et sufficit ut ei conjungatur vel per ritum ordinationis seu consecrationis, vel per collationem jurisdictionis, vel per utrumque. 7°. In hierarchia sunt jure divino gradus diversi, superiores et inferiores. 8°. Membra hierarchiæ qui Episcopi vocantur, sunt jure divino presbyteris superiores. 9°. Ritus ordinationis, quo aliquis in hierarchiam ordinis evehitur, a solo Episcopo, qui et ipse ordinem suum sacerdotalem et episcopalem per alios Episcopos ab Apostolis derivavit, administrari potest. 10°. Ordinis character et potestas semper in ordinato manet, nec ab eo auferri potest. 11°. Ritu ordinationis, ut sic, non datur jurisdictio. 12°. Potestas jurisdictionis imminui potest, vel omnino auferri. 13°. Jure divino absoluto semper in Ecclesia, et in Sede Petri signate et ordinatione speciali, perpetuo existit pastorum series et ordinationem et jurisdictionem validam habentium.

14°. Ecclesia non habens pastores cum ordinatione et jurisdictione valida, hoc ipso apostolicitate ministerii caret. 15°. Nemo jurisdictionem habet validam et veram, nisi illam ab eo acceperit et retinuerit, qui ipse successione continua hanc a fonte apostolico derivavit. Missio ergo seu jurisdictio aliunde derivata vel assumpta, quam extraordinariam vocant, absolute et in omni quocunque casu prorsus nulla est.

10. Quoad apostolicitatem *originis*. 16°. Ecclesia quæ apostolicitate originis non gaudet, eo ipso apostolica non est sed falsa.

11. Quoad apostolicitatem *doctrinæ*. 17°. Ecclesia quæ non tenet doctrinam apostolicam puram, eo ipso apostolica non est sed falsa.

12. Quoad apostolicitatem integram et totalem. 18°. Nota certissima, facillima, omnibus accommodata, ad discernendam alicujus ecclesiæ apostolicitatem veram et integram, hæc est, nempe, si ecclesia illa communionem cum Romano Pontifice, successore B. Petri, veram in omnibus teneat.

13. Quædam ex prædictis alibi in hoc opere tractabuntur, vel in alibi tractatis implicantur, v. g. apostolicitas doctrinæ, ut attributum Ecclesiæ, in infallibilitate. Alia vero in aliis tractatibus, de Ordine, de Pœnitentia, &c. explanantur et firmantur. Hæc omnia aut etiam eorum multa hic tractare prolixitate intolerabili hoc caput produceret. Quæ ex his delecta sola hic tractare opus esse videtur, sequentes Propositiones declarabunt.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur doctrina catholica.*

PROPOSITIO I.—*Perpetuo esse debent in Ecclesia pastores, qui jure divino a ceteris fidelibus distincti sunt.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

14. In hac propositione tres sunt partes; 1°, a Christo constitutum esse corpus pastorum—sive eos pastores voces, sive episcopos, sive rectores, sive ministros, sive alio quocumque nomine—quibus commissum est sacra quædam munia obire; 2°, corpus hoc esse jure divino a ceteris membris distinctum; 3°, et esse perpetuo duraturum.

15. Probatur pars *prima*. I. "Euntes ergo docete omnes gentes," &c.; "Euntes in mundum universum," &c.; "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . quorum remiseritis peccata," &c.; "Eritis mihi testes in Jerusalem," &c.; "Attendite vobis, et universo gregi," &c.; "Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;" "Ipse dedit quosdam quidem Apostolos," &c.: Matth. xxviii. 18, &c.; Marc. xvi. 15; Joann. xx. 21, &c.; Act. i. 8; xx. 8; 1 Corinth. iv. 1; Ephes. iv. 11, &c. Ex his constat varia esse munia sacra, non universo fidelium cœtui, sed quibusdam in eo selectis viris a Christo collata; munia scilicet ligandi, solvendi, predicandi, &c. II. Ecclesiam esse societatem veram late, c. 5, probavimus. Jamvero sicut in societate civili ordinata, ad munia civilia rite obeunda, ita in Ecclesia, societate sacra, ad munia sacra obeunda, omnino necessarium est ut quidam seorsum et separati constituantur.

Alioquin societas non esset sacra, sed turba profana et multitudo perpetuo confusa. III. Probatur quoque ex *facto* apostolicæ ministerii successionis manifesto, et a tot Theologis Protestanticis non solum sponte concesso, sed etiam propugnato.

16. Probatur pars *secunda*, nempe, hunc ordinem pastorum esse jure divino a ceteris fidelibus distinctum. Hoc variis modis in S. Scriptura significatur.

I. Duodecim Apostoli, vocatione speciali et propria, ut corpus a ceteris fidelibus et a ceteris discipulis omnino distinctum et segregatum, ab ipso Christo, et ergo jure divino, constituti sunt, et missi:—"*Convocatis* duodecim discipulis suis . . . Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc . . . . *Hos duodecim misit* Jesus . . . . . Ecce ego *mitto vos* sicut oves in medio luporum:" Matth. x. 1, 2, 5, 16. Similia habentur Marc. vi. 7, &c., "*Vocavit* duodecim, et cœpit eos *mittere*, &c.;" "Vocavit discipulos suos, et *elegit* duodecim *ex ipsis*, quos et apostolos nominavit:" Luc. vi. 13; "Nonne ego *vos duodecim elegi*:" Joan. vi. 71. Vide et textus supra, n. 15. Clarius significari non potest corpus distinctum, missio distincta, et utrumque jure divino immediate. II. Ubique in Actibus et Epistolis ut variis muneribus sacris fungentes, docentes, monentes, leges morum et disciplinæ statuentes, pœnis spiritualibus plectentes, &c., exhibentur Apostoli, et hæc non ex delegatione quadam populari vel quasi aliquo modo dependenter a consensu populi, sed jure proprio divinitus dato:—"Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi," &c.; "Non sum apostolus? . . . . Nonne opus meum vos estis in Domino? Et si aliis non sum apostolus, sed tamen vobis sum;" "Hoc autem præcipio . . . . Cetera

autem, cum venero, disponam;" "Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi;" "Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos;" "Si venero iterum non parcam. An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus . . . . . Hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi;" "Paulus apostolus, non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem:" 1 Cor. v &c.; ix. 1, &c.; xi. 17, 35; 2 Cor. ii. 10; v. 20; xiii. 2, 3, 10; Galat. i. 1. Similia in aliis locis innumeris habentur.

17. Probatur pars *tertia*, sciz. hunc ordinem esse perpetuo duraturum.

"Ipse dedit quosdam quidem apostolos quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei:" Ephes. iv. 11–13. Opera ista consummationis sanctorum, ministerii, ædificationis corporis Christi, aggregationis ad unam fidem, perpetua sunt usque ad finem mundi. Perpetuus ergo est ordo eorum, quorum est istis operibus incumbere.

Simili modo ex Math. xxviii. 18–20, argumentatur. Ibi enim diserte affirmatur Apostolos in munere docendi et baptizandi, et ceteris quæ in hoc implicantur, usque ad finem mundi versaturos esse, sciz. primum per se suosque coadjutores, deinde per successores eorumque coadjutores. Sed de hoc textu vide latius infra, c. 10.

Probatur Propositio ex Patribus.

18. "Hortor, ut in concordia omnia peragere studeatis, Episcopo præsidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis, mihi suavissimis, concreditum habentibus ministerium Jesu Christi." S. IGNATIUS, ad Magnesios, n. 6.

19. "In Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum, sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ angelicæ, et illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ expectare illos qui, insistentes vestigiis Apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ convenienter Evangelio." CLEMENS ALEXANDRINUS, Stomata, L. 6, C. 13.

20. "Quamquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur [Dominus]; specialem tamen populi principibus, id est, Episcopis, in exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat." S. HILARIUS, in Matthæum, Cap. 27, n. 1.

21. "Ordo omnium rerum mater et præsidium est . . . . . Ordo in Ecclesiis quoque constituit, ut alii oves sint, alii pastores, alii præsint, alii subsint ac pareant."—S. GREGORIUS NAZIANZ. Oratio 32, n. 10.

22. Objectiones quæ seria responsione dignæ sunt paucæ, vel inter objectiones contra sequentem propositionem, vel in materia de auctoritate Ecclesiæ, vel in materia de Summo Pontifice refellentur.

PROPOSITIO II.—*Nemo jurisdictionem habere potest, nisi illam ab eo acceperit, qui ipse successione continua hanc a fonte apostolico derivavit.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

23. I. Christus, ut jam vidimus, n. 15, 16, corpori selecto, nempe Apostolorum, omnem jurisdictionem et missionem spiritualem tradidit. Nemini extra hoc corpus data est. Nemo ergo extra hoc corpus eam habuit: haberi enim non potuit nisi a Christo. Ab isto ergo corpore solo omnis jurisdictio usque in finem mundi derivanda est. Et successione continua derivanda est. Si enim in serie ab Apostolis descendentium vel unus sit qui jurisdictione ab Apostolis per successionem manante caruerit, cum aliunde jurisdictionem habere non possit, nullam habet. Qui vero nullam habet, nullam dare potest: et ergo omnes eum excipientes jurisdictione carent, et, nisi iterum, ut ita dicam, catenæ apostolicæ nectantur, in perpetuum carebunt.

24. II. Etsi nonnisi pauca imo paucissima de gestis Apostolorum, præsertim in rebus Ecclesiæ internis administrandis, in S. Scriptura narrentur, in istis tamen paucissimis, ex eorum modo agendi et loquendi, quæ fuerit eorum mens de necessitate hujus apostolicæ successionis satis clare indicatur. *Primo.* "Reversi sunt [Paulus et Barnabas] Lystram, et Iconium, et Antiochiam, confirmantes animas discipulorum . . . . . Et cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino:" Act. xiv. 20–22. "Rogavi te ut remaneres Ephesi, cum

irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent:" 1 Tim. i. 3. "Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas:" Tit. i. 6. Ex his constat a S. Paulo variis in locis constitutos fuisse presbyteros, et Timotheum Ephesi, Titum Cretæ constitutos fuisse, ut ibi muneribus pastoralibus incumberent. *Secundo.* Etsi non clare declaretur quo ritu ecclesiis Lystræ, &c., constituti sunt presbyteri isti, diserte declaratur ritus quo Ephesinæ ecclesiæ pastor inauguratus est Timotheus:—"Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii . . . . . Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, qua est in te per impositionem manuum mearum:" 1 Tim. iv. 14; 2 Tim. 1, 6. *Tertio.* De aliis qui Ephesi et Cretæ, ministri sacri inaugurandi essent, quinque gravia clarissime docet Apostolus. (1°.) Ne indignos ad sacrum ministerium attollerent utrumque admonet, et mala ex hujusmodi promotis et ipsis promoventibus et Ecclesiæ obventura indicat, et quales esse debent promovendi diligenter et late declarat: "Oportet episcopum irreprehensibilem esse, &c. . . . . Diaconos similiter pudicos, non bilingues," &c., a vers. 2 ad vers. 13 cap. iii. 1 Tim. Deinde, vers. 14, "Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito; si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari," &c. "Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis:" ibid. v. 22. Similia pressius habentur, Tit. i. 6, &c. (2°.) Etsi oporteat promovendum non solum bonum esse, sed "testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt" (1 Tim. iii. 7), attamen solos qui judicent utrum digni sint necne designat Timotheum et Titum; nec de populo ut jure de hoc judicandi et indignos rejiciendi gaudente

vel unum facit verbum, vel minimum insinuat:—"Manus cito nemini imposueris" (ut sup.); "Reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi:" Tit. i. 5. (3°.) Non a populo sed ab ipsis Timotheo et Tito inaugurandi erant ministri; (4°.) et eodem ritu quo ipsi inaugurati sunt, nempe, impositione manuum. (5°.) Qui ritus adeo cum ipsa collatione presbyterii identificatur, ut idem sonet alicui manus imponere ac aliquem constituere presbyterum.

Ex his planum est potestatem spiritualem totam ab Apostolis descendere; et ita descendere ut ii soli qui eam ab Apostolis habuerunt, eam aliis impertiri possint.

Probatur Propositio ex Patribus.

25. Per totum caput 3 Libri 3, apostolicitatem, seu apostolicam successionem, ut normam doctrinæ statuit S. Irenæus, ex qua dijudicari potest inter doctrinas sanas et hæreticales. Hanc vero doctrinæ apostolicitatem cum apostolica ministerii successione indivulse conjungit. Pleræque hujus capitis partes alibi in opere majori dantur, unum tantum locum (n. 1) hic exscribemus:—

"Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus enumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur."

26. "Cæterum, si quæ [hæreses] audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant

ergo origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit [al. perseveraverint], habuerit auctorem et antecessorem." TERTULLIANUS, Præscript. 32.

27. "Ecclesia enim una est, quæ una et intus esse et foris non potest. Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, et quem præter sacerdotii honorem martyrio quoque Dominus glorificavit, Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens, a se ipso ortus est. Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est." S. CYPRIANUS, Epist. 76.

28. "Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam . . . . . Sedit prior Petrus: cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus . . . . . Vestræ cathedræ vos [Donatistæ] originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare." S. OPTATUS, L. 2, C. 2, 3, (pag. 31, 32).

29. "In Catholica enim Ecclesia ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt . . . . multa sint alia quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum

Catholicæ nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere." S. AUGUSTINUS, contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, n. 5.

PROPOSITIO III.—*Societas hæreticalis eo ipso caret apostolicitate ministerii.*

30. Talem societatem vi termini non gaudere apostolicitate doctrinæ manifestum est. Doctrina enim hæreticalis non est Apostolica. Ministros vero societatis hæreticalis, qui ergo publici et notorii hæretici sunt, veros non esse successores Apostolorum, i. e. societatem istam non habere apostolicitatem ministerii, ex antea probatis et prolatis pariter manifestum est.

31. 1°. Hæretici publici omnes ipso facto extra Ecclesiam sunt: c. 6. Ab ea omnino et absolute sejuncti stant; nec magis ad eam pertinent ejusve membra sunt, quam si ipsum etiam nomen Christianum penitus abjecissent, et ad castra Mahumetanorum vel deistarum transissent. Sed eos qui ita ab aliqua societate alieni sunt, in ea tamen adhuc, ipsa societate renitente, jurisdictione potiri plane affirmari non potest. 2°. Idem ex perpetua praxi Ecclesiæ constat, quæ publicos hæreticos, præsertim post sententiam latam, ut missione et jurisdictione orbatos semper habuit, et iis ejectis alios pastores suffecit.

SECTIO TERTIA.—*Solvuntur Objectiones.*

32. De propositione prima vid. supra, n. 22. Propositio tertia a Protestantibus non negatur simpliciter, nec nisi

interposita distinctione fundamentalium et nonfundamentalium : de qua distinctione satis jam, c. 5. Contra secundam igitur et primam propositionem sit—

33. *Object.* 1. Si vera sit doctrina Catholica integra, incerta prorsus esset successio apostolica. Ad illam enim successionem necessaria est ordinatio valida ; ad ordinationem validam necessaria est, saltem secundum probabiliorem et longe communiorem sententiam, intentio interna ministri ordinantis. Sed de existentia illius intentionis, præsertim in ministris malis, non solum non constat, sed valde probabile est eam haud raro abfuisse et abesse. Ita communissime Protestantes recentiores.

34. *Resp.* E contrario, ex doctrina Catholica, integre et secundum universitatem suam spectata, directe oppositum clare et invicte sequitur. Doctrina enim Catholica affirmat Ecclesiam in apostolicitate, sicut et in ceteris omnibus suis attributis, perfecte et perpetuo indefectibilem esse; non solum in illis divinitus constitutam, sed omnibus diebus usque ad consummationem seculi divinitus conservatam. Distinguo ergo primam propositionem in objectione : Successio esset incerta in sectis, quæ nec indefectibiles sunt, nec se ut tales habent : Esto : in Ecclesia Christi : Nego. Et hæc distinctio ad alia innumera transferri potest et debet. Sic, v. g., mala quæ ex confessione sacramentali sequi nata tantùm a Pharisæis nostris hodie decantantur, facile concedi potest secutura simili confessionis exercitatione apud sectas, ubi non sunt veri sacerdotes, nec ergo absolutio vera, nec confessio vera quæ a Deo instituta est, nec gratiæ istæ uberrimæ et benedictiones et providentia specialis, quæ omnia in Ecclesia Christi perpetuo existunt.

35. *Urgetur.* Saltem in casibus particularibus, ex causa indicata, dubia existere possunt.

36. *Resp.* 1°. Distinguo: In casibus particularibus ubi, canonibus sacris conculcatis et forma debita derelicta, ordinationes enormiter peragantur; prout in ordinatione Protestantica ad Caput Equulinum ("the Nag's Head consecration") contigisse fertur: Concedo: Ubi omnia rite et ordine fiant: Nego. Si ex eo quod hoc vel illud physice vel metaphysice non repugnet, ideo dubia movenda sunt, nescio de quo dubii et anxii esse non debemus. Possibile est cibum et potum in singulis conviviis veneno imbutum esse. Possibile est eum qui mihi hodie iter aggredienti primus obviam iturus sit sicarium esse, cui datum est ut me interficeret.

37. 2°. "Multis et magnis cautelis in Ecclesia semper provisum fuit, ne successio ecclesiastica fucata esset aliquando, corrupta, aut ficta, sed semper germana, integra et vera."—STAPLETON, Rel. c. 1, q. 4. Quæ cautelæ videantur, D. 10, n. 47.

38. 3°. Cautio vero optima in speciali providentia Dei erga Ecclesiam suam reponenda est. Deus vult omnes salvos fieri; Ecclesiam constituit viam salutis unicam; in æternum fecit eam sanctam, catholicam, apostolicam, infallibilem, regnum suum et domum et templum et corpus et sponsam. Nunquam ergo sinet ut dubia ista fideles rationabiliter invadant. Providentia illa quæ eos in ordine naturali securos reddit, multo magis in ordine supernaturali securos reddere debet. Matth. vi. 25, &c.

39. *Object.* 2. Ecclesia Catholica ordinationem in ritu externo saltem præcipue reponit. Secundum Scripturam vero, etsi externa quædam ordinatio sit ordinarie necessaria, præcipua auctoritas seu jus ad ministrandum in antecedenti

charismatum spiritualium possessione consistit. LITTON, l. 3, c. 1, passim.

40. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Quasi in ritu, ut sic, solo et sterili: Nego: In ritu, cui indivulse conjungitur gratia, ritûs ipsius dignitate et gravitate et sanctitate ex ista gratia ei annexa omnino derivata: Conc. Magnum quid sane et venerandum est sacramentum ordinis; non quia impositio manuum in se magnum et venerandum est, sed quia, ex decreto divino, per istam manuum impositionem rite factam datur Spiritus Sanctus.

41. *Resp.* 2°. Dist. secundam prop.: Eo sensu quod ad licite et fructuose ordines accipiendos necessariæ sint quædam in ordinando qualitates et naturales et supernaturales: vel eo sensu quod a ministerio ordinati istas qualitates habentis longe major sperandus sit fructus, quam a ministerio ordinati qui istis caruerit: Concedo: Eo sensu quod is qui istas qualitates quantumvis eximie habet, eo ipso aliquam potestatem ministerialem habeat, quam istas qualitatibus orbus non habet: Nego.

42. *Urgetur* 1. Ex 1 Cor. xiv. patet omnes, absque distinctione inter clerum et plebem, charismata spiritualia habentes, iis fuisse usos—ordine quidem servato, et mulieribus exclusis. *Idem*, ibid. pag. 552.

43. *Resp.* Dist. Qui charismata spiritualia, v. g. donum linguarum habebant, charismatibus istis usi sunt: Concedo: Munia ecclesiastica exercebant: Subdistinguo: Si etiam clerici fuerint aut rite delegati: Concedo: Si non: Nego.

44. *Urgetur* 2. Munus quidem seu commissio externa successione a ministris in ministros derivatur. Quod autem internum est et proprie divinum, a Deo solo est. *Idem*, pag. 554, 560. *Resp.* Dist. A Deo solo est,

sed mediante ritu externo commissionis: Concedo: A Deo immediate, nulla interposita commissione externa: Nego.

45. *Urgetur* 3. Loco istorum charismatum extraordinariorum et miraculosorum, post ævum apostolicum, stant dotes vel naturales vel industriâ comparatæ. *Idem*, pag. 560, et alibi. *Resp.* Dist. Et dotes illæ indicant subjectum aptum cui ministerium tradatur: Concedo: Illæ, et non commissio, vere ministrum efficiunt: Nego.

46. *Object.* 3. Gratia ordinis nec minui nec augeri potest. Atqui gratia quam habuit Timotheus per impositionem manuum Pauli augeri potuit, ut patet ex verbis, "Admoneo te ut *resuscites* gratiam, &c." 2 Tim. i. 6. Ergo non est sermo in textu illo de ordinatione sacerdotali. *Idem*, pag. 559.

47. *Resp.* Distinguo majorem: Secundum Protestanticum conceptum gratiæ ordinis: Esto: Secundum Catholicam doctrinam, subdistinguo: Gratia ordinis, quatenus ipsa potestas sacerdotalis, v. g. consecrandi panem et vinum in corpus et sanguinem Domini, nec augeri nec minui potest: Concedo: Quatenus est gratia sanctificans: Nego. Gratia sacramentalis nihil aliud est quam gratia sanctificans seu habitualis, sive prima sive secunda, cum jure ad auxilia actualia ad finem specialem sacramenti assequendum, v. g. in Confirmatione ad fidem profitendam, urgente præcepto.

48. *Object.* 4. Secundum Catholicam doctrinam, Ecclesia est clero quasi quid accessorium, et in clero quasi tota constat. LITTON, page 582, et alibi passim; WHATELY, passim; et alii, extra Puseyitas, communissime.

49. *Resp.* Dist. Ecclesia Catholica in clero solo totam et ordinis et jurisdictionis potestatem reponit; et uni-

cuique in ista hierarchia sacra, secundum locum et gradum quem in ea tenet, et reverentiam et obedientiam a ceteris præstandam exigit: Concedo: Secundum vel doctrinam vel consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, Ecclesia pro clero est, non clerus pro Ecclesia: Nego. Imo tota ratio existentiæ illius hierarchiæ est bonum totius Ecclesiæ, sanctificatio et salus omnium ejus membrorum et omnium omnino hominum. Ita omnes Catholici.

50. *Urgetur* 1. Clerum faciunt Catholici Ecclesiam κατ' ἐξοχην. Contrarius est S. Petrus:—"Neque ut dominantes in cleris:" 1 Pet. v. 3. LITTON, pag. 587.

51. *Resp.* 1°. Dist. primam propositionem. Faciunt clerum nobiliorem partem Ecclesiæ, quatenus in eo solo existit potestas ordinis et jurisdictionis; Concedo: Quasi clerus sit, necessario et vi officii, in fide, spe et charitate, ceterisque virtutibus exercendis, nobilior (etsi ut talis sit contendere debet, secundum verba Petri hic, "forma facti gregis ex animo"); vel quasi, ut supra, clerus non sit pro Ecclesia: Nego. 2°. Ad secundam propositionem. Dici potest per cleros ibi significari ministros: vide commentarios. Sed, hoc omisso; omnes fideles sunt κληροι (Anglice "the heritage") Domini. Sed non ideo sequitur inter eos non esse qui κληροι sunt isto alio sensu, quem apud Theologos et alios ecclesiasticos scriptores vocabulum habet.

52. *Urgetur* 2. Non affirmatur in Scriptura ministerium esse magis essentiale Ecclesiæ, quam Ecclesiam ministerio. *Idem*, ibid. *Resp.* Concedo. Imo contrarium apertissime affirmatur, nempe, Ecclesiam essentialiter continere et pastores et eos qui pascendi sunt. Nullus Catholicus oppositum unquam docuit aut insinuavit.*

* Alias objectiones habet LITTON contra ministros ut *sacerdotes*, i. e. constitutos ad sacrificium offerendum. Totam hanc materiam, et ergo

53. *Object.* 5. Etsi ordinarie ministri a ministris creari debeant, in casu extraordinario hoc non est necessarium; v. g. in casu naufragorum qui in insulam desertam conjecti, ministros nec habent nec comparare possunt. WHATELY, *Kingdom of Christ*, § 32, et alibi; et, exceptis Puseyitis, alii Ecclesiæ Constitutæ communissime.

54. *Resp.* Nego. Non est enim potestas spiritualis nisi a Christo derivata eo modo quo eam derivandam esse constituit. Casum vero supra datum esse casum exceptum nullo argumento demonstratur.

55. *Urgetur* 1. Durum est hæc de iis affirmare qui sine culpa sua in isto statu miserrimo ponuntur.

56. *Resp.* 1°. Ordinatio divina, sola in his sequenda, non potest, propter quædam quæ nobis dura videntur,

objectiones istas, ob rationem supra, n. 13, datam in hoc opere prætermittimus. Quædam vero gravissima ab hoc auctore concessa hic proferre liceat:—

"It is difficult to determine to which we are to assign priority in point of time, the transformation of the Lord's Supper into a sacrifice, or that of the Christian ministry into a priesthood. . . . . To whichever dogma we choose to assign priority of time, there is no element of Romanism [Catholicism] of more ancient date . . . . In truth, it is not too much to say that for none of the articles of the Apostles' Creed could stronger and more universal testimony be produced from antiquity than that which exists for the dogma of a human priesthood under the Gospel. Whether we turn to the east or west, to the pages of Chrysostom or Augustin, we find it everywhere acknowledged and taught. If Vincentius's rule—'quod semper, quod ubique, quod ab omnibus'—is to be understood that, Scripture, the first link in the chain of written tradition, being excluded, whatever can be proved to have been universally, and from the first, taught by the fathers is to be received as part of the apostolic deposit of doctrine, there is no question but that the dogma alluded to possesses the strongest claims to be so received."—Pag. 600-1.

violari. 2°. Isti naufragi, si in peccatis sint, possunt oratione contritionem perfectam a Deo obtinere; et ejusdem orationis et ceterorum operum bonorum exercitatione, perseverare ad finem et salvari.

57. *Urgetur* 2. Sed adhuc durum est eos, forsan per totam vitam, extra omne ministerium apostolicum, et utpote nulli pastori subjectos, quasi præcisos ab Ecclesia, permanere. *Idem*, ibid. pag. 232, &c.

58. *Resp.* Dist. Et ut tales permanent, secundum Protestanticam doctrinam de Ecclesia: Esto: Secundum Catholicam doctrinam: Nego. Romanus Pontifex totius orbis, et omnium et singulorum in orbe locorum, pastor est supremus et *immediatus*. Omnes fideles ubicunque sint Ei et Ecclesiæ manent conjuncti, in insula deserta semoti, pariter ac si in regione Catholica florentissima degerent.

59. *Urgetur* 3. Isti naufragi se possent in societatem civilem componere, et magistratus civiles eligere. Ergo a pari, &c. *Idem*, ibid.

60. *Resp.* Nego paritatem. Societas civilis, si absolute sui juris esse supponatur, et nullo adhuc supremo regimine constituto, quamcunque regiminis formam, in se legitimam, eligere potest. Ecclesia vero societas est institutionis divinæ positivæ, ad normam quandam definitam et unicam a Deo condita, nec aliam habere potest.

CAPUT DECIMUM.

DE INFALLIBILITATE ECCLESIÆ.

Sectio Prima.—*Introductoria.*

1. Inerrantia duplex est, vel facti vel juris, seu vel accidentalis vel ex principio. Prior in eo est, qui etsi errori obnoxius, de facto veritatem tenet: altera in eo est, qui non solum de facto non errat, sed nec errare potest. Hanc inerrantiam nomine infallibilitatis vocamus.

2. Duplex est in Ecclesia infallibilitatis species; quarum una *passiva* vocatur (quæ tamen, ut infra, n. 6, videbitur nullomodo pure passiva est), altera vocatur *activa*. Passiva est inerrantiæ donum seu attributum illud, quâ Ecclesia in sua universitate informatur, et ita ab omni quacunque macula doctrinali immunis conservatur, ut nunquam vel minimum in materia fidei errorem vel credat vel profiteatur. Activa infallibilitas est corporis pastorum, i. e. Episcoporum (in quo semper et essentialiter comprehenditur supremus omnium pastor), infallibilitas in docendo, &c.

3. Infallibilitas activa sequentia implicat. Ecclesia errare non potest 1°, definiens aliquid esse revelatum, et ergo esse de fide Catholica; 2°, definiens aliquid, etsi veritas sit sacra et supernaturalis, non esse revelatum,

v. g. numerum electorum, tempus diei judicii universalis; 3°, definiens aliquid eo sensu non esse revelatum, quod non solum in censu revelatorum non inveniatur, sed quod ad veritates sacras nullomodo pertineat, v. g. theorema binomiale, systema copernicum; 4°, definiens aliquid *directe* revelato opponi, et ergo esse hæreticale; 5°, definiens aliquid esse revelato *indirecte* oppositum; 6°, depositum fidei non tantùm *purum* sed etiam *integrum* custodiens. D. 11, n. 11.

4. Nota tamen 1°, etsi toti Ecclesiæ totum fidei depositum ab Apostolis traditum fuerit, non tamen totum singulis ecclesiis particularibus concreditum fuisse. "Apostoli acceptam a Christo consignarunt vel singularibus individuis, Episcopis scilicet, vel particularibus Ecclesiis quas instituerunt, et ad quas identidem etiam scripserunt; nec totam insuper, atque, ut ita dicam, in solido revelationem singulis ad instar unius doctrinæ corporis tradiderunt, sed prout occasio ferebat, exceptis articulis explicite necessario ab omnibus credendis, prout colligitur ex 1 Cor. iii. 1, 2, et alibi passim." PERRONE, de Relig. P. 2, n. 56.

5. 2°. In sede vero Petri depositum fidei integrum semper et *necessario* conservatur et custoditur. "Quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia [S. Ambros. in Psalm. xl.], ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur [Concil. Chalced. Act. 2], et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet [Synod. Ephes. Act. 3], ac præstat quærentibus fidei veritatem [S. Petrus Chrysol. Epist. ad Eutich.], idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet hæc Romana Beatissimi Petri Cathedra, quæ omnium Ecclesiarum mater et magistra fidem a Christo Domino traditam, *integram inviola-*

tamque semper servavit, eamque fideles edocuit, *omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptæ veritatis doctrinam.*" Encyclica ad omnes Episcopos, *Qui pluribus*, 9 Novemb. 1846 (Acta Pii IX. pag. 10).

6. Infallibilitas passiva, prout se actu habet in Ecclesia, non est nec esse potest pure passiva. Semper enim et quotidie et ubique, variis et innumeris modis, fides fidelium non solùm se exterius prodit, sed etiam, quasi magisterium et institutio quædam universalis et perpetua, efficaciter agit et operatur. Non solùm in cultu publico Ecclesiæ frequentando, sed in aliis permultis operibus magis minusve privatis, in precibus domesticis, in eruditione catechetica, in institutione liberorum a parentibus, in colloquiis de argumento religionis, in libris religiosis, diariis, picturis, &c., comparandis, utendis, dispergendis, et ceteris hujusmodi, diffunditur et excitatur fides Catholica. Sicut sanguis per venas et venulas in totum corpus a corde influit; sicut succus vitalis e radice in totum arborem, in singulos ramusculos et folia et fibras, se insinuat; sicut aqua per mille capillamenta a montis cacumine in campum descendit; ita et doctrina Christi pura et vivifica per mille organa in totum corpus ab Ecclesia docente defluens diffunditur. Sicut enim in ordine naturali, tum physico tum morali, in stellis cæli, in mari et in terra, et in omnibus quæ in iis sunt animata et inanimata, elucet sapientia infinita suaviter omnia disponens; ita et in Ecclesia, imo multo magis in Ecclesia.

7. Definitionem inspirationis MARCHINII, quam probat suamque facit PERRONE, n. 102, tanquam, quoad rem, omnino certam amplectimur:—"Singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac præsentia, mentem animumque scriptoris gubernans, quæ eum

non sinit errare, efficitque ut scribat, quæ velit Deus." Igitur ut scriptum aliquod inspiratum sit, requiritur 1°, ut scriptor ad scribendum excitetur a Spiritu Sancto; 2°, ut, in scribendo, non solum ab omni quocunque errore immunis servetur; sed 3°, etsi non requiratur inspiratio ut antea cognita *sciantur*, ex hypothesi enim jam nota sunt, requiritur, quoad cognita et incognita pariter, actio positiva in mentem scriptoris ad ea *scribenda*, et in iis scribendis; 4°, quod in hoc quidem includitur, ut ea sola scribantur quæ velit Deus scribi, ceteris omissis. Ratio est, quia scriptum, in quo aliqua ex istis conditionibus deficiat, non est nec jure vocari potest Verbum Dei; nec dici potest Deum ejus auctorem esse (ut a Conc. Trid., Sess. 4. dicitur), vel illud locutum fuisse vel inspirasse.

8. Infallibilitas vero specialis est providentia et assistentia Dei, qua Ecclesia, in docendo vel definiendo, ab omni errore doctrinali immunis conservatur. 1°. Non requiritur specialis illa excitatio ad definiendum, quæ in inspirato requiritur ad scribendum. 2°. Non requiritur immunitas ab errore nullomodo ad doctrinam pertinente, v. g. in re physica, in re facti pure personalis. 3°. Non extenditur infallibilitas ad obiter dicta, quæ non proponuntur ut doctrina definita (cujus rei exemplum insigne habes apud Perrone, de Deo Creatore, n. 19, not.); 4°, nec ad motiva definitionis; 5°, nec ad argumenta, quæ ad definitionem firmandam proferantur. 6°. Non requiritur impulsio et actio ista positiva in definitione conficienda, quæ ad inspirationem requiritur; sed 7°, sufficit assistentia quæ ab errore servat.

9. Inspiratum igitur ex ore Dei immediate procedit, et verbum ejus est. Infallibile ex mente et ore Ecclesiæ, industriâ et examine debito a thesauro fidei illud depro-

mentis, procedit (similiter ac hoc scriptum meum, e fontibus theologicis a me haustum, a me procedit), ab errore divinitus custoditum.

10. 1°. Etsi eadem præcise sit revelata veritas in Scriptura ac in definitione Concilii vel Pontificis, v. g. in verbis institutionis, ut vocantur, et in definitione realis præsentiæ, in Tridentino; diverso tamen modo manifestatur. In altero immediate a Deo manifestatur et per inspirationem; in altero immediate ab Ecclesia et non per inspirationem, sed cum infallibili assistentia. Vere autem in utroque est ipsa veritas revelata. 2°. Omnis inspiratio est revelatio, est enim manifestatio veritatis a Deo facta: definitio vero Concilii non est revelatio; non est enim manifestatio a Deo facta, sed nova doctrinæ olim revelatæ declaratio et explicatio ab Ecclesiâ, assistente Deo, facta. Nullomodo autem significare vellem solâ istâ, ut ita dicam, *negativâ* assistentiâ Ecclesiam in docendo et definiendo gubernari. Pro certo enim teneo, et ex textibus infra afferendis clare sequitur, eam *positiva* assistentia speciali et etiam specialissima adjuvari, non semper quidem et in omni definitione, sed re exigente et quatenus res exigat.

11. De dictis, n. 8, hæc notanda. 1°. Etsi Ecclesia infallibilis non sit in re physica, mathematica, &c., exigit tamen ejus infallibilitas ut tanquam dogma fidei non definiat aliquid in re hujusmodi, nec credendum proponat— nisi forsan revelatum fuerit. Ecclesia enim hujusmodi propositionem, etsi omnino vera et certa esset, ut dogma Catholicum proponendo, id proponeret ut revelatum vel ex revelato eductum, et divina auctoritate credendum, quod non est revelatum nec ex revelato eductum, neque auctoritate divina credendum: quod manifesto esset fidem vitiare et in ea errare. Hinc, cum aliis, vehementer erravit

infelix ille tot facetiarum acerbarum et "mendaciorum immortalium" auctor, BLAISIUS PASCAL, insinuando, seu potius aperte affirmando (Epist. 18), Ecclesiam, illæsa sua infallibilitate, damnare posse, ut fidei adversantes, theorias philosophicas veras.

12. Notandum 2°, etsi ista obiter dicta non sint objectum definitionis, non ideo rejicienda sunt aut pretio parvo æstimanda: imo maximâ reverentiâ sunt excipienda. Semper enim et in omnibus veneranda est sanctissima Mater nostra, magna et suprema magistra, Ecclesia Christi; præsertim quoniam hæc obiter dicta nunquam leviter, sed semper gravi ratione mota, profert. Non acceptare nisi quæ ab auctoritate infallibili, ut sic, traduntur, et heterodoxum proderet et insanum.

13. Quod de obiter dictis affirmatum est, et de motivis et de argumentis affirmandum est—debito tamen discrimine sedulo servato. In his enim nullomodo docet nec docere intendit Ecclesia—nisi forsan, ut motivum vel fundamentum definitionis, proferret sensum Traditionis vel Scripturæ: in his enim interpretandis infallibilis est. Damnata est Prop. 37 LUTHERI:—"Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ est in canone."

14. Ecclesia est *Testis* doctrinæ, et *Judex*, et *Magistra:* quæ vocabula rem eandem, diversis sub conceptibus spectatam, significant. *Testis* est, quatenus doctrinam aliquam, v. g. dogma Immaculatæ Conceptionis, definit. *Judex* est, quatenus dirimit controversias, i. e. inter doctrinas diversas, quæ veræ sint et amplectendæ quæ falsæ et rejiciendæ, judicat et definit. *Magistra* est "in ministerio quotidiano, quo viva voce et praxi fideles iis omnibus instruit, quæ ipsis intemerata doctrina et moribus informandis conferunt, eosque veluti manu ducit ad æternæ salutis iter capessendum." PERRONE, n. 347.

15. Triplex supponi potest finis et necessitas infallibilitatis Ecclesiæ: 1°, ut integrum et purum perpetuo conservetur depositum fidei a Christo et Apostolis Ecclesiæ creditum: 2°, ut fidelibus semper præsto sit regula fidei certa, seu testimonium certum de credibilitate dogmatum revelatorum—non enim haberi potest fides vera absque testimonio hujusmodi: D. 1, n. 90, &c.: 3°, ut fideles accurate et exacte edoceantur, et dogmata falsa a pastoribus, catechismis, &c. non derivent. De his sequentia occurrunt notanda.

16. 1°. Non est necessaria infallibilitas supernaturalis ad conservandam unam et alteram doctrinam religionis naturalis, præsertim in aliquo populo unius labii. 2°. Certum est necessariam esse istam infallibilitatem, ut purum et integrum omnibus diebus in finem mundi conservetur corpus dogmatum, quorum plurima sunt religionis supernaturalis et etiam mysteriosa, maxime si in multis populis per orbem dispersis conservandum sit.

17. 3°. Certum est, ut quis veram habeat fidem verumque fidei supernaturalis actum eliciat, non esse, etiam in Christiana dispensatione, absolute necessariam auctoritatem, multo minus auctoritatem infallibilem, Ecclesiæ proponentis. Aliunde enim haberi potest evidentia credibilitatis de dogmate revelato, vel ex revelatione ipsi credenti immediate facta, vel ex testimonio certo aliorum factam esse revelationem. 4°. Attamen dicendum est "regulariter, et juxta communem modum, semper intervenire debere aliquam Ecclesiæ propositionem." Lugo, d. 1, n. 253. Ecclesia enim organum est unicum universale et perpetuum et necessarium fidei Christianæ.

18. 5°. Etsi regulariter et in ordinaria providentia Dei omnibus ad fidem Christianam habendam requiratur aliqua

propositio Ecclesiæ; pro omnibus non requiritur propositio Ecclesiæ ut auctoritate *infallibili* gaudentis. "Solum potest ad summum prærequiri cognoscere res fidei proponi ab Ecclesia, concipiendo in Ecclesia secundum se auctoritatem maximam, humanam, quæ reperitur in universa fidelium congregatione." LUGO, ibid. n. 247.

19. 6°. Quæstiones de fine et necessitate infallibilitatis distingui omnino debent a quæstione ista magna, quæ sola argumentum est hujus capitis dogmaticum simul et polemicum, nempe, utrum *de facto* Christus Ecclesiam suam constituerit infallibilem. Hæc quæstio, quæ ex iis solis monumentis quæ nobis voluntatem positivam et decretum Dei patefaciunt solvenda est, cum aliis quæstionibus nullomodo permisceri debet; quod tamen ab adversariis perpetuo fit.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO.—*Ecclesia, in dogmatibus omnibus et singulis a se vel creditis vel definitis, omnino et absolute et perpetuo Infallibilis est.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

20. In propositione affirmatur Ecclesiæ infallibilitas in materia fidei (in hac enim sola materia versatur præsens caput) universa et omnimoda, seu prout et activam et passivam complectitur. Non omnes textus Scripturæ et Patrum utramque directe probant, sed alii hanc, alii illam, alii utramque conjunctim. Quousque vis singulorum textuum pateat facile ex ipsis textibus inspectis colligitur. Argumentorum quæ ex V. Teatamento proferri possent

unum et alterum vid. D. 11, n. 44. Argumenta hic dantur ex N. Testamento tantum.

21. *Argumentum* I. "Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam." Matth. xvi. 18. Ampla hujus textus gravissimi enarratio videatur, D. 6, n. 124, &c. Brevior sed satis idonea ejusdem expositio et in hoc compendio dabitur, c. 17. Quæ in istis locis probantur hic jure supponi possunt.

22. In istis autem locis invicte probatur 1°, portis inferi significari hostes Ecclesiæ, qui potentissimi et infensissimi sunt, eamque evertere et demoliri sine intermissione conantur; 2°, inter hostes illos esse eos imprimis qui puram doctrinam a Christo et Apostolis Ecclesiæ traditam maculare et vitiare nituntur; 3°, nullos istos hostes unquam adversus Ecclesiam esse prævalituros, eam semper in illos victricem esse. Si autem Ecclesia ullum unquam errorem aut crederet aut doceret, eo ipso et in re summi momenti vinceretur. Ergo nullum unquam errorem aut credere aut docere potest, i. e. absolute et perpetuo infallibilis est.

23. *Argumentum* II. "Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus . . . Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;" Matth. xxviii. 16—20.

Christus Deus hic affirmat se esse cum Ecclesia docente, et cum ea *ut docente*, omnes gentes, omnia dogmata, omni die,

perpetuo et sine ulla intermissione, usque ad finem mundi. Atqui hoc affirmando affirmatur Ecclesiæ docentis, in docendo, infallibilitas omnimoda, absoluta, perpetua. Ergo.

24. *Probo majorem.* 1°. Christus affirmat se esse cum Ecclesia *docente*, nempe, Apostolis. Hoc a nemine negatur. 2°. Affirmat se esse cum Ecclesia docente, *ut docente*, i. e. in ipso munere docendi fungendo. (*a*). Talis est orationis series et ordo, ut verba "ego vobiscum sum" vel cum immediate præcedentibus nectenda sunt et ad ea referenda, vel nullum in sermone nexum vel relationem habent, et ei prorsus aliena sunt. (*b*). Promissio ad missionem vocabulo "et" diserte refertur:—"Euntes docete . . . . *et* ecce ego." Sic, si Caio diceret Titius, "Vade, fac illud, et ego sponsor tuus ero," omnes statim intelligerent Titium significare se Caio sponsorem fore in munere isto peragendo. 3°. Affirmat se esse cum Ecclesia docente *omnes gentes*, i. e. non in hac vel illa particulari gente docenda, sed in *universali ista institutione*, quæ, etsi multis per varia loca particularibus actibus eruditionis constet, ipsa tamen vere universalis est. 4°. Affirmat se esse cum Ecclesia in docendis omnibus quæ ipsa docet, seu quæ docuerunt Apostoli. Verba enim "docete omnes gentes," comprehendunt universam institutionem Apostolorum: nihil enim ab illis edoctum erat, quod in eruditione ista non fuit comprehensum. 5°. Affirmat se esse cum Ecclesia *sine intermissione;* quod locutione "*omnibus* diebus" diserte significatur: et—

25. 6°. *Usque ad finem mundi.* Hoc negant quidam adversarii, dicentes verba Græca bene reddi posse, "usque ad finem ævi," nempe, apostolici; quo significari vellent Christum esse cum Apostolis, quamdiu his in terris viverent; et hanc solam esse assistentiam hic promissam.

26. *Resp.* Vocabula Græca interpretatione Catholicâ valere *posse* concedunt omnes: hanc vero interpretationem solam veram esse invicte demonstratur. 1°. Assistentia Christi, quæcumque sit, datur ad missionem convertendi, baptizandi, docendi juvandam; ut isti missioni et muneribus istis apposita et conjuncta; ut cum iis ejusdem, ut ita dicam, institutionis; quasi indivulse inter se connexa essent missio et assistentia:—"Euntes docete . . . *et* ecce." Sed missio hæc non solum cum Apostolis non desiit, sed vigore et virtute plena ad finem mundi usque duratura est. Ergo, nisi contrarium significatum fuisset, assistentia ad finem mundi continuanda est.

27. 2°. Assistentia hæc promissa et data est ad munus convertendi, baptizandi, docendi *omnes* gentes. Sed opus hoc Apostoli nec fecerunt, nec facere potuerunt, sed ipsi et eorum successores usque ad finem mundi. Ergo illis et eorum successoribus usque ad finem mundi, promissa est illa assistentia.

28. *Probo minorem* (n. 23). Singularem et extraordinariam quamdam assistentiam hic promitti ab omnibus concedi debet: *tum* ex gravitate summa missionis hic collatæ; *tum* ex sublimi modo quo Christus exorditur, invocans et appellans istam supremam et divinam potestatem ipsi datam; *tum* denique quia non esset cur forma promissionis adeo gravis et insignis—"et ego vobiscum" &c.—adhiberetur, si dandum esset nonnisi commune auxilium, quod omnibus rite dispositis datur. Atqui specialis non esset assistentia data, nisi Ecclesia esset infallibilis. Est enim assistentia pro *omnibus diebus* usque ad finem mundi. Si ergo Ecclesia aliquo die errorem doceret, die illa non haberet assistentiam specialem. Hoc autem, quod ipso textu per se spectato vehementer insinu-

atur et suadetur, ex usu Scripturarum tum Novi tum Veteris Testamenti invictissime demonstratur.

29. Usus Scripturæ simplex et uniformis hic est :—Cum affirmatur Deum esse cum aliquo, semper significatur singularis extraordinaria assistentia divina : et, *si affirmetur Deum esse cum aliquo in opere aliquo peragendo, semper significatur exitus operis felix et prosper.*

1°. Aliquando Deus promittit se cum aliquo in opere aliquo faciendo futurum esse, et tunc significatur opus illud certo faciendum esse.

2. Aliquando affirmatur Deum esse cum aliquo in opere aliquo faciendo, et tunc hoc affirmantes significant opus illud fauste et feliciter exiturum esse.

3°. Aliquando oratur ut Deus sit cum aliquo in aliquo opere faciendo, et tunc oratio fit ut opus feliciter exeat.

4°. E contrario, affirmare Deum non esse, vel orare ut non sit, cum aliquo in aliquo opere, idem sonat ac affirmare opus illud non esse habiturum, vel orare ut non habeat, exitum felicem.

30. In opere majori, ad has quatuor propositiones probandas, *nonaginta* textus Scripturæ protuli et exscripsi, D. 11, n. 66, &c. Hic unum tantum et alterum textum unicuique propositioni adjungam.

1°. Deo promittente se cum aliquo esse in opere aliquo faciendo, significatur opus illud esse certo perficiendum.

"Apparuitque ei [Isaac] Dominus et ait : Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroque tecum, et benedicam tibi:" Genes. xxvi. 3 ; "Dixitque Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israel de Ægypto ?

Qui dixit ei : Ego ero tecum :" Exod. iii. 11, 12 ; cum aliis viginti quinque textibus.

31. 2°. Quotiescumque affirmatur Deum esse cum aliquo in aliquo negotio gerendo, affirmantes semper significant negotium illud esse feliciter exiturum. "Dixit Abimelech . . . ad Abraham : Deus tecum est in universis quæ agis :" Genes. xxxi. 22 ; "Vidimus tecum esse Dominum :" Ibid. xxvi. 28 ; cum aliis quadraginta tribus textibus.

32. 3°. Cum oratur ut Deus sit cum aliquo, hac oratione precatur ei successus.

" Sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse :" Josue, i. 17 ; " Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo :" 1 Reg. xx. 13 ; cum aliis novem textibus.

33. 4°. Deum *non* esse cum aliquo idem est ac illum non prosperum esse, res ei adversas esse.

" Nolite ascendere : non est enim Dominus vobiscum :" Num. xiv. 42 ; cum aliis quinque textibus.

34. Ex usu ergo Scripturæ clarissimo, ad significandum exitum alicujus negotii felicem certum, adhibetur locutio, quasi in ore omnium quotidiana et trita, *Deum esse cum eo* qui negotium illud gerit. Potest sane quis falso affirmare Deum esse cum aliquo, sed hoc non mutat sensum locutionis, magis quam mutaretur sensus vocabulorum, *fortis*, *doctus*, *sanctus*, vocando aliquem fortem aut doctum aut sanctum, qui nec fortis nec doctus nec sanctus est. Sensus ergo locutionis *Deum esse cum aliquo in opere aliquo peragendo*, est *opus illud vere peragendum esse*. Atqui ipse Deus promisit se esse cum Ecclesia docente, &c. ut supra, n. 23. Ergo ne uno die errorem docere unquam potest : isto enim die non opus ei a Christo mandatum perageret, sed opus patris mendacii : isto die cum ea Christus non esset. Modo sensus verus significetur, parum refert qua

verborum forma conclusio declaretur; vel affirmando, Ergo Ecclesia est perpetuo infallibilis; vel, Doctrina quæ ab Ecclesia docetur semper pura est, seu sana, seu immaculata, seu ab omni errore immunis; vel, Definitiones Ecclesiæ irreformabiles sunt; &c.

35. *Argumentum* III. "Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. . . . . Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis:" Joan. xiv. 16, 17, 25, 26.

"Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis qui a Patro procedit, ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis:" xv. 26, 27.

"Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, &c. . . . . Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis:" xvi. 7, 8, 12–14.

Hæc tria loca ex eodem sermone Christi afferuntur, quem ad Apostolos, post ultimam cœnam et Judam egressum, habuit. Ter in sermone isto, istis tribus locis, promissus est Spiritus Sanctus.

36. Promissio Spiritus Sancti ad Apostolos mittendi hic a Christo facta, promissio est 1°, infallibilitatis Ecclesiæ docenti impertiendæ; et 2°, infallibilitatis perpetuæ atque omnibus diebus continuandæ; 3°, usque ad finem mundi.

37. Probatur pars *prima*. 1°. Haud obscure ipsis titulis *Paracleti* et *Spiritus veritatis* insinuatur. Spiritus enim Sanctus, specialiter et definite ut doctor et magister veritatis, ad Ecclesiam erudiendam datur. Affirmando Ecclesiam habere talem tantumque magistrum, eo ipso affirmatur eam esse perfectissime eruditam. Ex usu enim communissimo, dicentes scholam aliquam præceptorem habere doctrinæ et ingenii summi, eo ipso nisi aliquid in contrarium significetur, declarare volunt scholæ istius alumnos optime institutos esse, et doctrinis ibi traditis perfecte instructos. Sicut, e contrario, dicentes præceptorem esse vel imperitum vel bardum, eo ipso significant non multum fructum ex ejus magisterio percepisse discipulos.

38. 2°. Eodem modo et iisdem ipsis verbis, quibus affirmat Christus, Matth. xxviii., se cum Ecclesia docente esse omnibus diebus usque ad consummationem seculi, hic affirmat Spiritum Sanctum cum eadem Ecclesia mansurum esse in æternum: xiv. 16. Manifesto Spiritus Sanctus est cum Ecclesia docente, *ut* docente, et in munere docendi: eo enim fine a Spiritu Sancto erant erudiendi. Jamvero, supra, n. 30, vidimus promissionem hujusmodi promissionem esse infallibilitatis.

39. 3°. Spiritus Sanctus non solum suggeret omnia a Christo dicta, sed docebit universam revelationem Christianam:—"Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis:" xiv. 26; "Docebit vos omnem veritatem:" xvi. 13. Ex quibus patet, 1°, non fuisse

Apostolos iis similes qui "aures habent, et non audient" (Psalm. cxiii.), sed vere doctos et illuminatos fuisse; eruditionem Spiritûs vere in mentes suas recepisse. Quod ex verbis manifestum est—*suggeret, ὑδοήγησει ὑμας εις, perducet vos ad; ὑπομνησει, in memoriam revocabit:* perducti sunt ad veritatem, ita ut eam callerent et mente tenerent. Patet 2°, institutionem illam perfectam atque completam fuisse, ita ut nihil esset in universa revelatione Christiana iis ignotum:—"Vos docebit omnia—omnia quæcumque dixero vobis—omnem veritatem."

40. Sequitur ergo scientiam hanc a Spiritu Sancto Ecclesiæ docenti impertitam, ab omni prorsus errore immunem, absolute puram et immaculatam esse. Si enim in aliquo erraret Ecclesia, in hoc non teneret veritatem; et falsum esset affirmare Spiritum Sanctum eam *omnia* docuisse, *omnem* veritatem. Qui vero ita ab omni errore, promissione divina absoluta, immunis redditur et servatur, eo ipso infallibilis est. Ista enim immunitas ab errore absoluta id ipsum est quod nomine *infallibilitatis* vocamus.

41. Probatur pars *secunda* (n. 36), nempe, hanc assistentiam esse continuam et perennem, ex verbis, "Ut maneat vobiscum in æternum—apud vos *manebit*, et *in vobis* erit" (xiv. 16, 17); quæ præsentiam continuam et stabilem plane significant.

42. Probatur pars *tertia*, nempe, hanc præsentiam et assistentiam usque ad finem mundi continuandam esse. 1°. "Ille testimonium perhibebit de me:" xv. 26. Hoc testimonium de Christo perhibendum est usque ad finem mundi. "Cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de justitia et de judicio:" xvi. 8. Hoc modo arguendus est mundus usque ad finem. "Ille me clarificabit:"

xvi. 14. Ad finem mundi Christus est clarificandus. Hæc omnia in finem mundi in Ecclesia et per Ecclesiam præstanda sunt. Spiritus Sanctus ergo, qui Ecclesiæ datur ut eam ad hæc præstanda adjuvet, quamdiu præstanda sunt, i. e. in finem mundi, eam adjuvabit. 2°. Ex verbis, "ut maneat vobiscum in æternum," εις τον αιωνα. Vocabulum αιων plures habet significationes et in Bibliis et in scriptoribus Græcis. Incredibile est quantum multi adversariorum a nostra hujus vocabuli interpretatione (cum qua concinit versio Anglica Protestantica: "for ever") refugiunt et abhorrent; dicentes εις τον αιωνα hic significare tantummodo "vitam Apostolorum" seu "ævum apostolicum." Argumenta in contrarium invicta vid. D. 11, n. 99, &c.

43. *Argumentum* IV. "Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito; si autem tardavero, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis: ἱνα εἰδῃς πῶς δει εν οικῳ Θεου αναστρεφεσθαι, ἠτις εστιν Εκκλησια Θεου ζωντος, στυλος και ἑδραιωμα της αληθειας:" 1 Tim. iii. 14, 15.

Ut ex hoc textu argumentum conficiatur, quatuor sunt probanda; 1°, sermonem hic esse de Ecclesia universali; 2°, de Ecclesia affirmari eam esse columnam et firmamentum veritatis; 3°, Ecclesiam esse perpetuo columnam, &c.; 4°, his appellationibus seu appositis Ecclesiæ significari ejusdem infallibilitatem.

44. Probatur pars *prima*, quam negat CHILLINGWORTH, c. 3, n. 8. 1°. Ubicumque vocabulum "Ecclesia" in N. T. adhibetur simpliciter et sine addito ad significandum coetum fidelium, semper significat totum coetum seu universam Ecclesiam. 2°. Id hic de Ecclesia affirmatur quod, in quacumque interpretatione verborum, "columna

&c.," apud Protestantes recepta, soli Ecclesiæ universali convenire potest. 3°. Adeo singularis, nova et manifesto commenticia est hæc interpretatio, ut nonnisi paucissimi eam, ante vel post CHILLINGW., suam fecerunt.

45. Probatur pars *secunda*, quam negant ROSENMULLER, BENGEL, ROBINSON, in voc. στυλος, et alii, verba " columna et firmamentum veritatis" a præcedentibus separantes, et cum sequentibus nectentes, hoc modo:—" ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna et firmamentum veritatis, et manifeste magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne," &c. Ad hanc interpunctionem inclinat HINDS, *Scripture and the Authorized Version*, pag. 47, et WHATELY, in concione quadam infra citanda. Sed contra—

46. 1°. Ista interpretatio ex Patribus ne unum quidem habet patronum. Etsi enim, nemine autem nominato, affirmet BLOOMFIELD aliquos antiquos (" some ancient expositors") eam tenuisse (forsan de interpretibus antiquis Protestanticis loquitur), censeo tamen eam, ante ortum Protestantismi, omnino inauditam fuisse et in mentem nullius venisse. 2°. Auctores hujus interpretationis Protestantici fere omnes, testante eodem BLOOMFIELD, sunt recentes: et hi ad eam amplectendam adducti sunt ut fundamentum nostri argumenti everterent, prout opinatur idem. 3°. Interpretatio ista si vera esset, *anticlimax* hic existeret, qualis, non solum in scriptis S. Pauli, sed, ut idem testatur, in universa Scriptura nullibi invenitur [" involves an *anticlimax*, nowhere found in Scripture"] —" *Columna* et *firmamentum* veritatis et manifeste *magnum* est pietatis sacramentum." Non ita sane scripsit Paulus. D. 11, n. 111.

47. Probatur pars *tertia*, nempe, Ecclesiam esse perpetuo columnam &c. 1°. Simpliciter vocatur "columna, &c." "Ecclesia Dei viventis," sine ullo addito, quo vel implicite vel explicite significaretur S. Paulum, non de Ecclesia simpliciter et in perpetuum, sed de Ecclesia sui temporis sola loqui. 2°. Appellationes columnæ et firmanenti, ut jam videbitur, firmitatem et stabilitatem, et ergo perpetuitatem, significant. 3°. Hæc pars, ut puto, a nemine adversariorum, eorum saltem qui interpunctionem communem sequuntur, in dubium vocatur.

48. Probatur pars *quarta*, nempe, ex his sequi infallibilitatem. De Ecclesia hic simpliciter et absolute affirmatur eam esse fulcrum—firmamentum—statumen, qua veritas sustentatur—fulcitur—firmatur. Atqui id non esset Ecclesia, nisi infallibilis esset.

49. Probo Majorem. 1°. Ex manifesto verborum sensu. "Ἑδραιωμα, proprie: *basis, fundamentum, cui ædificium innititur, stabilimentum, sedes*, ab ἑδραιοω, *stabilio, firmo*." SCHLEUSNER, in voc. "Στυλος . . . . metaphorice *omne, quo aliquid innititur, vel firmitatem aut auctoritatem aut securitatem accipit*. . . . 1 Tim. iii. 16, σ. κ. ἑ. τ. α. doctrina primaria ac præcipua religionis Christianæ." *Idem*, in voc. Ubi nota auctorem istum, etsi perverse hunc *locum* Pauli, secundum interpunctionem supra, n. 45, relatam, interpretetur, sensum tamen verum *vocabulorum* ἑδ. et στ. proferre. "Ἑδραιωμα, from ἑδραιοω, *to establish*, which from ἑδραιος [*settled, steady, steadfast*, in voc.]—*A support, stay, ground*," PARKHURST, in voc. "Στυλος, *A pillar*, in a figurative sense, i. e. that on which something else leans for support." PARKH. et ROSE, in voc. "Στ. κ. ἑ. per Hendyadin: *firmissimum fundamentum*." ROSENMULLER, in loc.

50. 2°. Ex usu Scripturæ. Vocabulum ἑδραιωμα nonnisi in hoc loco N. T. invenitur: sed ἑδραιος invenitur 1 Cor. vii. 37; xv. 58; Coloss. i. 23; et in singulis istis textibus *firmum* significat; imo in Cor. xv. et Coloss. i. inculcatur firmitas summa et immobilis:—"Stabiles estote et immobiles;" "Si tamen permanetis in fide fundati, et stabiles, et immobiles a spe evangelii." Στυλος in sequentibus locis, sensu metaphorico, invenitur: Psalm. lxxiv. 4; Ecclesiastic. xxvi. 23 (al. 18); Galat. ii. 9; Apocal. iii. 12; x. 1. In omnibus istis locis conceptus firmitatis magis minusve diserte significatur.

51. Probo Minorem. Per *veritatem* in textu significari, non unum et alterum dogma, sed totum fidei Christianæ corpus, a nemine, puto, adversariorum in dubium vocatur. Et hoc quidem nomine *veritatis*, simpliciter et absque ulla restrictione prolato, aptissime significatur. Veritas enim hæc est veritas seu fides Christiana, veritas a Christo revelata; qua aperte significatur, non pars ejus hæc vel illa, sed tota veritas. Qui vero hic interponerent distinctionem essentialium et nonessentialium, videant dicta, c. 6.

52. Si autem Ecclesia quemvis errorem in fide teneret vel doceret, non esset columna et firmamentum, quibus fulcitur et firmatur et ideo tutatur veritas; sed esset id per quod labitur et demolitur. Non esset custos veritatis, sed proditor. Non esset columna sustentans, et firmamentum firmans; sed esset sustentans, quæ cedit, et firmans quæ infirmat. Metaphora *columnæ* et *firmamenti* eadem est, quoad rem, cum metaphora *petræ* (Matth. xvi.), et eandem ideam ingerit, nempe, columna et firmamentum esse in se firma, et quod in iis repositum est firmare, et tutum a detrimento et ruina servare. Cum sint columna

et firmamentum totius veritatis, ergo totam eam, et non solum partem ejus firmant.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

53. Variis modis infallibilitatem Ecclesiæ declarant Patres. Aliquando enim Ecclesiæ ab omni errore immunitatem essentialem, i. e. infallibilitatem, expresse docent; aliquando indefectibilitatem et inexpugnabilitatem Ecclesiæ omnimodam et absolutam, in qua necessario, imo præcipue, includitur infallibilitas, affirmant; aliquando ea proferunt quæ fallibilitati omnino repugnant. Ex longa serie textuum, D. 11, n. 123, allatorum paucos tantum hic exscribere possumus, seu potius quasdam particulas paucorum textuum.

54. "Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia: Spiritus autem veritas." S. Irenæus, l. 3, c. 24, n. 1.

55. "Ecclesiæ prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur." *Idem*, l. 5, c. 20, n. 1.

56. "Sicut sol et luna illuminant corpora nostra, ita et a Christo atque Ecclesia illuminantur mentes nostræ." Origenes, in Genesim Homilia 1, n. 7.

57. "Non debemus attendere eis qui dicunt, 'Ecce Christus,' non autem ostendunt eam in Ecclesia quæ plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem, quæ plena est lumine vero, quæ est columna et firmamentum veritatis." *Idem*, in Matth. n. 46.

58. "Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit." S. Cyprianus, de Unitate Ecclesiæ.

59. "Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est et pudica." *Idem*, ibid.

60. "Confitemur . . . unam ac solam Catholicam, apostolicam Ecclesiam: quæ semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet: victrix autem est omnis impiæ factionis hæreticorum, qui adversus ipsam consurgunt. Quippe Sponsus illius animos nostros confirmavit his verbis: 'Confidite, ego vici mundum.'" S. ALEXANDER ALEXANDRIN. Epist. de Ariana Hæresi ad Alexandr. Constantinop. n. 12.

S. Episcopus hic de inexpugnabilitate Ecclesiæ in *doctrina* definite, contra Arianos, loquitur. Insuper, Ecclesia victrix est contra *hæreticos* definite, et contra *omnes* hæreticos: hæreticorum vero est primario et ante omnia fidem depravare.

61. "Sola Ecclesia est quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei." LACTANTIUS, Divinæ Institutiones, l. 4, c. 30.

62. "Catholica vocatur [Ecclesia] . . . . quia universe et absque defectu docet omnia quæ in hominum notitiam venire debent dogmata." S. CYRILLUS HIEROS. Catechesis 13, n. 23.

63. "Neque sol ita splendidus, neque lux ita clara est, ut sunt res ad Ecclesiam pertinentes." S. JOANNES CHRYSOST. in Isai. ii. n. 2.

64. "Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra *omnes* hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses *omnes* de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. Portæ inferorum non vincent eam." S. AUGUSTINUS, de Symbolo, Sermo ad Catechumenos, n. 14.

65. "Christum ubique sequitur Ecclesia, sanctaque illa

multitudo credentium, ab eo qui vocat in salutem, nunquam disjungitur." S. CYRILLUS ALEXAND. de Adoratione in Spiritu et Veritate, l. 5.

66. "Christi Ecclesia, quæ dogmatum rectitudine imprimis gloriatur." *Idem*, in Joan. Evang. viii. 35.

67. "Illa est virgo Ecclesia, sponsa unius viri Christi, quæ nullo se patitur errore vitiari." S. LEO M. Epist. 80, ad Anatolium, n. 1.

68. "Christi Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit." VINCENTIUS LIRINENSIS, Commonitorium, n. 23.

69. "Quis unquam hæreses instituit nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ universitatis et antiquitatis consensione discreverit." *Idem*, ibid. n. 24.

70. Etsi non omnes et singuli illorum locorum infallibilitatem aperte et formaliter declarent, attamen haud pauci clarissime doctrinam nostram docent, ceteri, ut initio dixi (n. 53), eam non minus clare variis modis insinuant, implicant, significant. Cum vero toties in Scriptura et a tot tantisque Patribus, supernaturalis illa Ecclesiæ firmitas et securitas eximia et vere miranda declaratur (hoc enim ad minus admittant adversarii necesse est), declarari pariter debuit, quasi per modum moniti et ad errorem lethalem præcavendum, Ecclesiam *etsi* adeo luce plenam, adeo divinitus custoditam et munitam in fide, et omnino adeo inconcussam, *attamen* errori obnoxiam esse, imo superstitiones et errores multos gravissimos et turpissimos non solum tenere posse, sed per plura secula, ut dogmata fidei definita, per universum orbem Christianum, tenere, docere, prædicare. Jamvero, *in universa Scriptura, in universa Traditione, nec unus*

locus est, nec unum incisum, nec una locutio, nec unum vocabulum, nec "iota unum aut unus apex," quo Ecclesiam in aliquem vel minimum errorem unquam, etiam per unum diem, usque in finem mundi, delabi posse, vel declaretur, vel implicetur, vel quovis modo significetur aut insinuetur. Hoc est argumentum nostrum, argumentum vere Catholicum et invictum, cælo meridiano clarius, firmamento cæli firmius.

Sectio Tertia.—*Solvuntur Objectiones.*

Solvuntur Objectiones contra Argumenta.

71. *Contra Argumentum* I. n. 21, ex Matth. xvi. *Object.* 1. Particularis ecclesia in errorem incidere potest, et, hoc non obstante, manere verum membrum Ecclesiæ universalis. Ergo, a pari, Ecclesia universalis errare potest, manens vera Ecclesia Christi. Chillingworth, c. 3, n. 70. Hæc objectio hic a Chillingw. allata, hic a nobis solvitur, etsi non impetat Argumentum sed Propositionem solam directe.

72. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem. Ecclesia particularis, &c., si sine pertinacia erret, quia dogma non est adhuc definitum, vel non sufficienter propositum: Concedo: Si erret pertinaciter: Nego. 2°. Quoad secundam propositionem: Nego paritatem: vel Distinguo: Si portæ inferi prævalere possent adversus Ecclesiam universalem, sicut adversus particularem, errare posset: Concedo: Si non possunt prævalere, errare potest: Nego. Objectio Chillingworthii idem sonat ac si dixisset:—Ecclesia fallibibilis errare potest, ergo et infallibilis; vel:—Ecclesia contra quam prævalere possunt portæ inferi, errare

potest, ergo et Ecclesia, contra quam prævalere non possunt.

73. *Object.* 2. Principium argumenti est, Ecclesiam quæ errorem docet, non amplius Ecclesiam esse. Atqui hoc non magis verum est quam si diceres hominem qui morbo aliquo laborat, non esse hominem. CHILLINGWORTH, *Discourse against the Infallibility of the Roman Church* (pag. 545, ed. 1845).

74. *Resp.* 1°. Distinguo primam proposit. Ecclesia errans, secundum nos, non est Ecclesia, i. e. Ecclesia Christi, *contra quam portæ inferi* (*i. e. inter alia, errores*) *prævalere non possunt*: Concedo: Alio sensu: Transeat. 2°. Dist. secundam prop. Homo morbo laborans non est homo ille, *contra quem, ex promissione Dei, morbus prævalere non potest:* hoc verum et manifestum est: Non est homo aliquo alia sub conceptu: Transeat.

75. *Object.* 3. Absque infallibilitate, et per media alia divinitus constituta, secura conservari potest Ecclesia adversus portas inferi. Ita fere TENISON, apud GIBSON, IV. 239.

76. *Resp.* Ecclesia errare non potest, quia portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. Hoc solum affirmamus, quidquid sit nomen quo medium ad id assequendum a Deo statutum vocare velis.

77. *Object.* 4. Si rite concludatur argumentum, Ergo Ecclesia est impeccabilis: si enim adversus eam prævaleret peccatum, adversus eam prævalerent portæ inferi. SHERLOCK, apud GIBSON, XI. 150, et alii.

78. *Resp.* 1°. Concedo totum. Ecclesia enim nec errare nec peccare potest, etsi membra ejus individua et errare e peccare possunt. 2°. Quoad conjunctionem vero individuorum cum Ecclesia, antea ostendimus unitatem fidei

vinculum esse hujus conjunctionis essentiale, non autem sanctitatem.

79. *Object.* 5. Theologorum Catholicorum argumentum hoc est:—Portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam: ergo Ecclesia Romana infallibilis est. ROBINS, pag. 441. Simili forma cetera ex N. T. argumenta Catholica exhibet. Ita et alii plures, imo communissime.

80. *Resp.* In volvendis operibus Theologorum nostrorum fere senui, et in nullo eorum argumentum istud vidi. Sed in volvendis operibus Theologorum Protestanticorum depravationes et calumnias innumerabiles inveni, ei similes quam hic profert ROBINS.

81. *Object.* 6. Secundum principia Catholicorum, de facto portæ inferi adversus Ecclesiam prævaluerunt. Secundum ista enim principia, Ecclesia Catholica sola est Ecclesia Christi. Atqui adversus istam Ecclesiam, tempore defectionis Protestanticæ, prævaluerunt hostes illi qui, secundum Catholicos, portis inferi significantur. ELLIOT, L. 1, C. 4, pag. 58.

82. *Resp.* Distinguo minorem. Si per istam defectionem Ecclesia suum attributum catholicitatis, vel aliud aliquod attributum amiserit: Concedo: Si non: Nego. Defecerunt quidem immensæ hominum multitudines, et se ad portas inferi junxerunt. Sed Ecclesia ipsa non solum illæsa stetit, sed novis multis et mirabilibus incrementis et splendoribus aucta est. Ista hic vel etiam summatim narrare nimis longum esset. Pauca quædam breviter indicata vid. D. 11, n. 144.

83. *Contra Argumentum* II. n. 23, &c., ex Matth. xxviii. *Object.* 7. Non valet argumentum, nisi Christus promiserit adjuvare non solum sufficienter sed et irresistibiliter, et ad ductum ejus sequendum necessitare. CHILLINGWORTH, *Discourse*, &c. (pag. 545).

84. *Resp.* 1°. Christum promisisse adjutorium efficax nostrum argumentum invicte demonstrat. Promissum ergo hoc præstat; quidquid sit medium quo ad id præstandum, pro sapientia sua infinita, utatur. 2°. Quomodo autem, absque ulla necessitatione seu libertatis humanæ peremptione, finem hunc assequitur, ex doctrina Catholica de Gratia facile constat. An adempta est libertas Moysis, Josue, et ceterorum quibus, in his et illis negotiis gerendis, successum infallibilem promisit Deus? Vid. infra, n. 93.

85. *Object.* 8. Ut valeat argumentum, debuit esse promissio custodiendi Ecclesiam non solum ab omnibus erroribus damnabilibus et perniciosis ["from all damnable and destructive errors"], sed ab omni omnino errore doctrinali. Atqui talis data non est promissio. CHILLINGW. ibid., et alii passim.

86. *Resp.* 1°. Concedo majorem. 2°. Distinguo minorem: Totidem istis verbis: Concedo: Quoad rem, aliis verbis: Nego, ut ex argumento nostro patet. En iterum iterumque istam fundamentalium et nonfundamentalium distinctionem, quæ, quod attinet ad unitatem et integritatem et puritatem fidei, totius systematis Protestantici unica est ultima ratio et fundamentum et propugnaculum.

87. *Object.* 9. Si hic promittatur infallibilitas, omnes Episcopi et Presbyteri, omnes qui a Christo ad baptizandum et prædicandum Evangelium mittuntur, sunt singuli infallibiles. CHILLINGW. ibid., et alii.

88. *Resp.* Distinguo. Si singulis hic promissa sit assistentia: Conc.: Si non singulis, sed ipsi corpori Ecclesiæ docentis: Nego. Singulis autem non esse factam promissionem sed cœtui, patet ex eo quod 1°, verba Christi ad Apostolos simul congregatos et conjunctos habita sunt;

2°, sonant hoc fere singula vocabula—"eun*tes*, doce*te*," &c.; 3°, munia hic mandata non a singulis seorsum peragi potuerunt, vel peracta sunt—"docete *omnes* gentes," &c.; 4°, assistentia denique non singulis sed omnibus conjunctim, ut corpori uni, promissa est—"Ego *vobiscum* sum."

89. *Object.* 10. Conditionalis erat promissio Christi: apposita enim erat conditio ut Apostoli et eorum successores docerent omnes gentes, &c. Atqui non est impleta hæc conditio: aliqui enim successores Apostolorum muneri suo defuere; ut Episcopus Ecclesiæ Sardis, Apoc. iii. 1–3. TENISON, ubi supra, n. 75.

90. *Resp.* 1°. Nego majorem, cujus falsitas apertissima est. Non solum enim nullam conditionem vel diserte vel implicite apposuit Christus; sed e contrario absolute mandatum dedit, "euntes ergo docete," &c., absolute assistentiam promisit, "*et* ecce ego vobiscum *sum*," et absolute promisit pro "omnibus diebus, usque ad consummationem seculi." Non solum ergo non erat quid conditionatum et dubium an docerent, &c., sed promissa est assistentia, qua certum redderetur et infallibiliter certum, quod docerent, et in perpetuum docerent, et in perpetuum infallibiliter docerent. 2°. Distinguo min. Atqui non est confectum hoc mandatum (conditio enim non fuit) ab omnibus et singulis Apostolorum successoribus, imo a non paucis, præter illum de de quo Apocal. iii. 1, omissum: Concedo: Ab ipso corpore vel plerisque in eo: Nego.

91. *Contra Argumentum* III. n. 35, &c., ex Joan. xiv. &c. *Object.* 11. Potest cum aliquo esse Spiritus Sanctus illumque omnem veritatem docere, adhuc tamen errori obnoxium, si ista *omnis veritas* non sit omnis omnino

veritas, sed tantum omnis cujusdam speciei. CHILLINGWORTH, C. 3, n. 71.

92. *Resp.* Distinguo. Qui ita docetur errori obnoxius est in eo genere veritatis in quo non docetur: Concedo: Ergo, in quo docetur: Nego. Nos non dicimus Ecclesiam esse in omnibus infallibilem; vid. supra, n. 8, 11.

93. *Object.* 12. Errare potest nisi qui ea eruditione instituatur cui resisti non potest i. e. eruditione seu magisterio necessitanti. Atqui non eo modo Ecclesia a Spiritu Sancto edocetur; alioquin enim auferretur ejus libertas. CHILLINGW. ibid., et alii.

94. *Resp.* 1°. Nego majorem. Existit medium inter auxilium mere sufficiens et necessitans, nempe efficax. Quomodo autem Deus infinite sapiens et potens finem suum, illæsa libertate humana, efficaciter et infallibiliter assequatur, declarare non tenemur, nec nisi, ut creaturas vilissimas decet, cum altissima et voluntatis et intellectus humilitate, investigare debemus. 2°. Distinguo minorem. Singula membra seorsum sumpta non edocentur irresistibiliter: Concedo: Corpus totum per modum unius: Transeat. Quidam Theologi dicunt totam Ecclesiam per modum unius esse liberam physice, non autem moraliter Ita HENNO: De Virtutibus, D. 2, Q. 3, A. 4. Alii alio modo distinguunt. 3°. Ex argumento CHILLINGWORTHII sequeretur Apostolos qui certo in publica prædicatione et institutione, ut ipse concedit adversarius, infallibiles fuerunt, libertate orbatos fuisse; et Deum non posse creaturæ cuivis liberæ immunitatem ab errore impertiri.

95. *Object.* 13. Potest aliquis doceri et non discere. CHILLINGW. ibid. *Resp.* Ecclesiam a Spiritu Sancto efficaciter eruditam et edoctam esse verba Christi patentissime significant: ut ex dictis, n. 37, &c., patet; quæque non est opus ut hic repetamus.

96. *Urgetur* 1. Spiritus Sanctus ὁδηγησει, i. e. dux erit et director. Sed potest aliquis in viam rectam duci, et tamen ab ea errare. CHILLINGW. ibid.

97. *Resp.* 1°. ad major. Ecclesiam non solum ducit Spiritus Sanctus, sed ducit *in* omnem veritatem; ὁδηγησει εις πασαν τ. α. Sed dici nequit magistrum ducere discipulum in aliquam scientiam, si discipulus eam non calleat. 2°. Ad minor. Spiritus Sanctus non solum ducit in veritatem omnem, sed ducit *in æternum;* ut patet ex xiv. 16:—"ut maneat vobiscum in æternum:" nunquam ergo potest Ecclesia a via recta errare. 3°. Non ex solo cap. xvi. sed etiam, imo potius et præcipue, ex cap. xiv. argumentum nostrum conficitur.

98. *Urgetur* 2. Nisi Christi institutio ea esset quæ rejici et deseri posset, non esset cur de iis quereretur Deus, qui aures obturarunt ne audirent, qui, cum lux venit in mundum, magis dilexerunt tenebras quam lucem. CHILLINGW. ibid.

99. *Resp.* Qui aures obturarunt et dilexerunt tenebras &c., ii non sunt quibus a Patre datur Spiritus Sanctus *ut cum illis maneret in æternum, docens eos et suggerens iis omnem veritatem,* &c.: sed ii sunt qui discipulos Spiritus Sancti odio habent et persequuntur; de quibus in hoc eodem sermone dicit Christus:—"Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit." Mundus, i. e. qui obturant aures et diligunt tenebras, Christo resistunt: *ergo* Ecclesia sancta Dei, cum qua in æternum manet Deus, eam omnem veritatem docens, Christo resistit vel resistere potest!

100. *Object.* 14. Quædam sunt in hoc sermone Christi quæ manifesto ad solos Apostolos pertinent: v. g.: "Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum:"

xvi. 6. Similiter, xiv. 25, 28, 29; xv. 27; &c. Ergo textus in nostro argumento allati ad solos Apostolos pertinent. CHILLINGW. ibid. n 72, et alii.

101. *Resp.* Totus sermo *ad* Apostolos solos, i. e. coram Apostolis solis, habitus est; et quædam in eo hic illic pauca, imo paucissima, ad Apostolos solos pertinent, i. e. de illis solis vera sunt. Ergo, cetera omnia in sermone, *ea etiam, quæ, invictis argumentis, non ad solos Apostolos sed etiam ad eorum successores pertinere demonstratum est,* ad solos Apostolos pertinent! vid. supra, n. 42.

102. *Object.* 15. Si textus probent Ecclesiam esse infallibilem, probant etiam eam habere spiritum prophetiæ et scientiam futurorum contingentium: dicitur enim, xvi. 13:—"Et quæ ventura sunt annuntiabit vobis." Atqui Ecclesia nunquam sibi vindicavit spiritum propheticum. CHILLINGW. ibid., et alii.

103. *Resp.* Dist. major. Si, &c. probant Ecclesiam habere scientiam futurorum illam eamdem, quam Apostolis elargitus est Spiritus Sanctus, et, per eos, eorum successoribus, in Ecclesia, usque in finem seculorum, conservandam: Concedo: Probant Ecclesiam habere aliam scientiam revelatam sive futurorum sive præteritorum extra depositum fidei Apostolis concreditum: Nego. Multa a Christo et Spiritu Sancto Apostolis de futuris revelata sunt, de fatis Ecclesiæ futuris, de fine mundi, de ultimo judicio, &c.: quæ omnia ab Apostolis pura et integra accepta in perpetuum pura et integra tenet Ecclesia.

Alias ejusdem furfuris objectiones contra hoc Argumentum vid. D. 11, n. 173, &c.

104. *Contra Argumentum* IV., n. 43, &c., ex 1 Tim. iii. *Object.* 16. Ecclesia est "columna et firmamentum veri-

tatis," in eo solo quod Scripturam, quæ errare non potest, conservet. Ita multi.

105. *Resp.* 1°. Etsi in N. Testamento vocabulum *veritas* ultra centies inveniatur, et sæpius significet veritatem divinam seu dogmata Christianæ religionis, nullibi significat S. Scripturam, aut librum vel quodvis scriptum in quo vera doctrina continetur. 2°. Ista interpretatio non solum extra usum Scripturæ, sed extra omnem usum loquendi est: nunquam enim apud homines extitit usus vocandi *librum*, in quo veritas continetur, nomine *veritatis*. 3°. Nunquam, sive in Scriptura sive extra, sustentare et tutari veritatem idem sonavit ac conservare librum in quo vera continentur. 4°. Ecclesia quidem S. Scripturæ conservatrix infallibilis est. Sed hoc non sufficit ut vocetur "columna et firmamentum *veritatis*." Non repugnat enim in aliqua societate incorruptam Scripturam, per multa secula, conservari, et tamen seculis istis in ea societate plurimos et gravissimos errores universe grassari. Et quidem si in familia aliqua, per plures generationes, Bibliorum exemplar diligenter et reverenter conservaretur, familia ista eatenus et eo tempore esset columna &c.

106. *Object.* 17. "Columna" &c. ad ipsum Timotheum referri possunt, ita ut sensus sit:—"Ut scias quomodo oporteat te, ut columna et firmamentum veritatis, in domo Dei conversari. Chillingworth, c. 3, n. 76. Stanley, *On the Apostolic Age*, post Serm. 2, p. 120. Ita et alii paucissimi recentiores. Hanc interpretationem probare videtur Suicer, in voc. στυλος.

107. *Resp.* 1°. Posita ista interpretatione, in textu esset metaphora, ut vocatur, *mixta*, S. Paulo indignissima.

Bene de aliquo dici potest, eum *esse* vel *factum esse* columnam: vel bene moneri potest aliquis, ut *sit* vel *fiat* columna. Quoniam vero ἀναστρεφεσθαι, sicut et Latinum *conversari*, implicat non simpliciter in aliquo loco esse, vel ibi esse ut quid immotum, sed ut agens, plane improprius et durus valde esset modus loquendi, aliquem exhortari ut se gerat, ut agat, tanquam columna. 2°. Hæc interpretatio communi et communissimæ interpretationi non solum Catholicorum sed etiam Protestantium adversatur. 3°. Contra hanc interpretationem objectiones quasdam intrinsecas profert Alford, quas graves esse censet et quidem peremptorias ["To the sentence itself thus arranged and understood, there are weighty, and I conceive, fatal objections"]. Istas objectiones apud eundem auctorem videas.

108. *Urgetur* 1. Verisimile videtur S. Paulum, Ecclesiam cum domo comparantem, moniturum Timotheum, ut tanquam columna in domo illa se gereret. Chillingw. ibid.

109. *Resp.* 1°. Jam ostendimus verisimile non esse S. Paulum istam metaphoram adhibuisse. 2°. Non loquitur S. Paulus de columna *in domo*, i. e. sustentante domum vel tectum ejus, sed de columna *veritatis*, i. e. sustentante veritatem.

110. *Urgetur* 2. Id saltem (dictum, n. 108) verisimilius est quam S. Paulum, cum Ecclesiam vocasset *domum*, eam statim vocare *columnam*, quæ duo nomina heterogenea sunt. Chillingw. ibid.

111. *Resp.* Nihil magis usu apud omnes receptum est quam ut eadem res, propter diversas ejus qualitates &c., diversis et "heterogeneis," vel translatis vel propriis, nominibus, in eadem etiam periodo vel inciso, vocetur.

Sic, si aliquis sit astutus simul et rapax et crudelis, non solum his nominibus propriis eodem ore vocari potest, sed etiam nominibus translatis quæ iis respondent, vulpis, lupi, tigris. Sic, Matth. v. 13–15 :—"Vos estis *sal* terræ. . . Vos estis *lux* mundi. Non potest *civitas* abscondi supra montem posita; neque accendunt *lucernam*," &c. Vid. et Matth. xiii. passim. "Dedi te hodie in *civitatem* munitam, et in *columnam* ferream, et in *murum* æreum:" Jerem. i. 18. Vide infra, n. 113.

112. *Urgetur* 3. Durum est eandem rem nomine ædificii (domûs Dei) vocare, et statim nomine partis ædificii (columnæ) vocare. STANLEY, l. c. n. 197.

113. *Resp.* Nego columnam esse hic partem domus Dei. Ecclesia est domus Dei, quatenus continet familiam Dei: est columna veritatis, quatenus veritatem sustentat. Spectantur a S. Paulo hæc duo ut omnino distincta. Etsi templum in civitate et civitas in regno contineatur, Ecclesia est regnum et civitas et templum: et istæ tres imagines seu similitudines a se invicem omnino distinctæ sunt et independentes.

114. *Urgetur* 4. Titulis *columnæ* semper individuis apponitur, nunquam rebus abstractis ["abstractions"]. *Idem*, ibid.

115. *Resp.* 1°. Nego Ecclesiam esse quid abstractum. Imo non est nec esse potest in mundo alius hominum cœtus, adeo quid immobiliter concretum ac est Ecclesia: D. 3, n. 43. 2°. Si individui vocentur columnæ, quia in quibusdam de facto columnæ sunt, quanto potiori jure hoc nomine potest Ecclesia vocari, quæ, ex promissione divina, columna est firmissima, et in omnibus, et in æternum?

115.* *Urgetur* 5. Patres hisce titulis, *columnæ et firmamenti*, individuos haud raro insigniunt. *Idem*, ibid., et alii.

116. *Resp.* Non solum Patres sed alii communissime usque ad nos hodie, in concionibus et scriptis, verba et textus rebus et personis sui temporis *accommodarunt*, nullomodo significare volentes verba et textus illos idem aut simile in S. Scriptura sonare. De re adeo nota non est opus ut verbum addamus.

117. *Object.* 18. In textu non affirmatur Ecclesiam *esse essentialiter et necessario*, sed *esse debere* columnam, &c. Eodem modo, Matth. v. 13, affirmatur discipulos esse sal terræ ("Vos estis sal terræ") : id tamen non erant necessario, sed esse debebant. Statim enim additur :—"Quod si sal evanuerit, in quo salietur? &c." Ita et Ecclesia, ex officio debito columna, &c. est; sed hoc officium deserere potest. CHILLINGW. ibid. n. 77.

118. *Resp.* 1°. Non affirmatur Ecclesiam esse debere, sed *esse* columnam. Duo significantur in textu, nempe, monitio ad Timotheum, et declaratio quædam de Ecclesia, ut ratio gravitatis illius monitionis, et incitamentum ad ei obsequendum. Sensus est :—Quoniam Ecclesia est Dei vivi Ecclesia, domus Dei, columna et firmamentum veritatis, hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat te in tanta domo conversari, ut tui sacri muneris, in Ecclesia a Deo tantum ornata et dilecta, ministrum per omnia fidelem. 2°. Hoc luce clarius fit ex eo quod, loquens de Timotheo, S. Paulus utitur verbo *oportet;* loquens de Ecclesia, nullo tali verbo utitur, sed simplici appositione, quam vocant Grammatici, de ea loquitur ut columna—in priori inciso declarans id quod esse *debet*, in altero, id quod *est*. 3°. Quod ex Matth. v. additur nostram interpretationem

non infirmat, imo firmat. Sicut in 1 Tim. iii., ita et in Matth. v., duo inveniuntur. 1°. Affirmatur discipulos esse sal terræ; 2°, monentur discipuli, ut singuli, ad retinendam in seipsis naturam salis indeficientem. Sensus est :— Sicut salis est cibos condire et a corruptione conservare; ita et vos a Deo constituti estis ad homines puros a peccato conservandos. Videat ergo unusquisque vestrum ut in se teneat vim et virtutem istam sanctificandi, quâ corpus ad quod pertinet insignitur.

119. Hanc veram esse interpretationem patet. 1°. "*Vos* estis sal terræ:" non hic et ille, non singuli seorsum, sed *vos*. 2°. "Vos *estis*:" non dixit, Sitis vos, Debetis esse, sed *estis*. 3°. "Vos estis sal *terræ* . . . lux *mundi*:" non unus et alter, non singuli seorsum saliunt *terram* et illuminant *mundum*, sed singuli suas particulas: singuli conjuncti in unum, omnes simul, ut quid totum et unum, saliunt *terram*, illuminant *mundum*. 4°. "Vos estis sal terræ . . . Vos estis lux mundi. Non potest *civitas* abscondi supra montem posita." Qui dicuntur *esse* sal et lux, sunt etiam civitas, et civitas supra montem posita, et civitas quæ abscondi non potest: non sunt ergo hic et ille, non sunt singuli seorsum. 5°. Hæc de discipulis conjunctim, ut corpore uno. Verba autem objecta, "Quod si sal evanuerit," &c., de Ecclesia intelligi non possunt, sed de singulis membris seorsum, de hoc et illo. Censeo neminem adversariorum audere dicere Ecclesiam Christi eam unquam fieri posse, quæ, judicio Dei, ad nihilum valeret, nisi ut mitteretur foras et, ut lutum et sordes, hominum pedibus conculcaretur. Si vero quis hoc insinuare auderet, inspiciat textus ex Scriptura et Patribus, in hac et præcedentibus Disputationibus prolatos, qui Eccle-

siam omnino aliam et fata ejus perennia omnino alia, promittunt et annunciant.

120. Videas c. 5, n. 94, ubi expositionem invenies argumentationis ex Ephes. iv. ei similis quæ Matth. v. et 1 Tim. iii. habetur: in qua nempe absolute declaratur attributum quoddam Ecclesiæ, et exinde educitur monitio quædem salutaris, et incitamentum ad virtutem quandam Christianam exercendam.

Videantur aliæ objectiones, D. 11, n. 217, &c.

Solvuntur Objectiones contra Propositionem.

121. Objectiones istæ cum earum solutionibus centum et viginti paginas in opere majori occupant. Formâ longe contractiori hic ponendæ sunt. Quædam vero ex iis quæ ibidem ad calcem illarum objectionum (n. 528–9) adnectuntur sequentibus præmitto:—De objectionibus istis duo hic notare vellem. 1°. Alia vix in argumento de Ecclesia datur quæstio in qua excutienda studiosius enisi sunt Anglici Theologi Protestantici, et antiqui et recentes . . . . . Nunc primum, quod sciam, fere omnia illa argumenta, quæ Anglicorum Protestantium propria sunt, forma et sermone scholastico proponuntur et ponderantur. 2°. Pleræque ex objectionibus quæ Propositionem ipsam impetunt, ejus sunt generis quod *a priori* vocatur. Hujusmodi objectiones, quæ, si firmæ essent, probarent non solum Deum non constituisse, sed non posse constituere, Ecclesiam infallibilem, summe periculosæ sunt, et haud raro semina sunt rationalismi et deismi.

122. *Nota.* In multis scriptis Protestanticis contra infallibilitatem Ecclesiæ editis, dantur hic illic objectiones quæ infallibilitatem non impetunt, sed auctoritatem sim-

pliciter et per se. Has objectiones ad secundam hujus operis partem excutiendas reservamus.

123. *Object.* 19. Si Ecclesia infallibilis esset in docendo, non tantam faceret moram in definiendo, non tantas et tam productas haberet deliberationes et conquisitiones, ut v. g. in definienda Conceptione Virginis Immaculata. Ita auctores Protestantici communissime.

124. *Resp.* 1°. Distinguo. Si sit infallibilis infallibilitate inspirationis et quidem perennis: Transeat, vel Concedo: Si infallibilitate assistentiæ tantum: Nego. Præter inspirationem, duplex concipi potest auxilium Ecclesiæ promissum; 1, auxilium quo excitetur efficaciter ut in hoc vel illo argumento definiat, et quid ab omnibus tenendum sit statuat; 2, auxilium quo in definitione condenda ab errore immunis conservetur. Non est quæstio hic de inspiratione, uti manifestum est. Quoad auxilium illud *excitans;* vel bonum Ecclesiæ essentiale postulat ut hic et nunc edatur definitio, v. g. ad eliminandam et extinguendam novam aliquam hæresim, sive furtim sive palam grassantem, præsertim si ab aliquo qui hactenus pro Catholico habitus est excogitatam; vel bonum Ecclesiæ essentiale hoc non postulat. In casu primo, semper, in quantum requiratur, præsto est auxilium illud excitans efficax. Id enim in indefectibilitate omnimodâ promissâ promittitur. In secundo casu, v. g. in controversiis pure domesticis, ut de auxiliis, de probabilismo, &c. datur vel non datur, secundum beneplacitum Dei, vel secundum preces et merita sanctorum in Ecclesia. Quoad auxilium *assistens,* hoc semper in ipsa definitione condenda datur. Supponit tamen industriam præmissam ex parte Ecclesiæ: non enim datur per modum inspirationis, sed per modum cooperationis; et supponit Ecclesiam

humano modo agere, et idcirco, pro opportunitate, pro rei natura mysteriosa et profunda, &c. media necessaria et opportuna ad veritatem comparandam adhibere.

125. *Resp.* 2°. Ecclesiæ hodie aut quovis alio tempore existenti, perfectiorem sane non postulamus assistentiam eâ quam ipso ævo apostolico habuit, quam habuerunt ipsi Apostoli. Atqui in re satis urgenti et, ut nobis forsan leviter eam spectantibus videretur, haud ita implicata, ante editam definitionem, non solum coactum est in Jerusalem concilium Apostolorum et seniorum, sed in ipso concilio gravis adhibita est deliberatio et examen:—"Conveneruntque Apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem *magna conquisitio* fieret [πολλης δε συζητησεως γενομενης], surgens Petrus dixit ad eos:" &c. Act. xv. 6, 7.

126. *Object.* 20. Si Ecclesia sit infallibilis, certum esse debet et omnibus exploratum ubinam sedem habeat ista infallibilitas. Atqui hoc apud ipsos Catholicos prorsus incertum est, &c. Ita communissime, imo fere omnes Protestantici auctores, majores et minores, veteres et recentiores, usque ad hunc diem.

127. *Resp.* Etsi expositione aliqua indigeat major, eam tamen hic simpliciter Concedo. Minorem absolute et simpliciter Nego. Omnes enim omnino Catholici, uno ore, tanquam dogmata fidei definita, tenent semperque tenuerunt, profitentur semperque professi sunt 1°, Ecclesiam ipsam universalem nunquam posse vel minimum errorem in fide tenere vel profiteri; 2°, Episcopos cum Summo Pontifice esse Ecclesiam Docentem, quæ in docendo et definiendo infallibilis est; 3°, Concilium Generale, a Summo Pontifice confirmatum, in iis quæ dogmatice docet

135. *Object.* 24. Esto puero jam certum esse se via auctoritatis esse ducendum, et solam Ecclesiam Catholicam hac auctoritate potiri: quoniam organo isto *generali* doceri non potest immediate, sed solo organo *particulari*, nempe, parocho, parente, &c. certus nunquam esse potest per eos sibi veram doctrinam Ecclesiæ communicari. Fieri enim potest eos illam doctrinam non esse recte et accurate edoctos; vel, etsi vere in hac disciplina eruditos, ex negligentia aut malitia alios non recte erudire. Puer ergo certus esse non potest, dogmata sibi ab illis proposita, ut dogmata Ecclesiæ, ea revera esse. Viâ igitur auctoritatis majorem habere non potest certitudinem, quam via examinis privati.

Hæc ultima objectio ea est quæ magis proprie ad argumentum hujus Disputationis pertinet.

136. *Principia Generalia ad istas objectiones solvendas. Primo.* Supponendum est 1°, puerum habere usum rationis sufficientem, ita ut possit et doctrinam propositam intelligere, et ei assensum rationabilem præbere: 2°, eum esse rite institutum, seu doctrinam Ecclesiæ ei debito et idoneo modo esse propositam.

137. Ut vero ista propositio doctrinæ et eruditio modo idoneo fiat, necesse est 1°, ut doctrina ab aliquo proponatur cui naturaliter et rationabiliter reverentiam et fidem præstare debet puer. Talis est imprimis parochus vel alius in parochia sacerdos coadjutor parochi probatus, et parens. 2°. Ut non existat ratio aliqua specialis vim testimonii hujus proponentis infirmans, v. g. si parens sese proderet mente captum, manifesto suspectum in fide, &c. De hac vero conditione nota, non requiri ut proponens se in aliis rebus veracem exhibeat: sunt enim homines qui colloquiis quotidianis fabulas fictas perpetuo

intermiscent, qui tamen in liberis de rebus fidei erudiendis a minimo mendacio deliberato vehementissime abhorrerent. Necesse est 3°, ut parens (quod in hoc argumento de parente dicitur, idem, mutatis mutandis, si quæ sint mutanda, de parocho, catechista, &c., dictum supponitur) doctrinam proponat, non ut suam vel aliorum, sed ut doctrinam Ecclesiæ definitam; ut partes testis tantum agat. Testimonium parentis, ut *testimonium*, nempe, fidei Ecclesiæ, sufficit, ut infra demonstrabitur; sed, ut *auctoritas*, nullomodo sufficit.

138. Horum omnium ratio est quæ sequitur. Nos nullomodo affirmamus, imo omnino negamus, puerum ex quavis institutione certitudinem fidei habere posse. Ex ea sola institutione, quæ, conditione pueri et aliis circumstantiis inspectis, firmum in illo assensum rationabiliter (i. e. secundum ordinem in hoc mundo, ad notitiam veritatis comparandam, a Deo de facto constitutum) parere debet, haberi potest certitudo fidei. Hinc, si in aliquo casu deficeret aliqua ex conditionibus jam datis, casus ille extra rem prorsus esset.

139. *Secundo.* Necesse diximus esse, n. 136, ut puer usum rationis eum habeat, quo possit et doctrinam propositam intelligere, et ei assensum rationabilem præstare. Ad istum vero usum rationis habendum necesse est ut mens ejus speciali quadam disciplina formetur et disponatur. Ratio manifesta est. Ad scientias enim naturales discendas, et quibus in ludis literarum pueros vulgo erudiunt ludi magistri, quædam mentis præparatio requiritur. Sic, ut discat tiro elementa matheseos, geographiæ, &c. imaginatio ejus aliquatenus excitari debet et applicari. Quanto magis necesse est ut, ad veritates supernaturales discendas, mens suo modo aliquatenus

excolatur et expoliatur? Præcipua et primaria præparatio ad has discendas moralis est. Inter dispositiones ergo ad fidem habendam necessariæ sunt humilitas et pietas quædam mentis, in quibus comprehenditur inclinatio sincera intellectum in obsequium fidei subjiciendi. Si enim superbus sit puer et impius, hic jam viam auctoritatis deseruit.

140. *Tertio.* Quoniam sermo est de fide divina et salutari, supponitur puerum interiori gratia illuminante et roborante adjuvari. Sine gratia enim nemo potest fidem divinam et salutarem, vel etiam initium ejus, habere; prout Theologi omnes in tractatu de Gratia demonstrant. Insuper, quoniam sermo hic est de puero Catholico, supponitur puerum esse baptizatum, et ideo habitum fidei tenere. Hæc præ oculis in iis quæ sequuntur perpetuo habenda sunt. Eorum autem ratio ei similis est jam datæ, n. 138, nempe, nos nullomodo doctrinam nostram de quovis puero affirmare, quantumvis indisposito, et in quibusvis circumstantiis constituto, sed de eo solo qui, secundum ordinationem divinam, aptus et idoneus est, debitas habens dispositiones naturales et supernaturales.

141. *Quarto.* Sermo hic est de credenditate non de veritate doctrinæ, de certitudine subjectiva non de certitudine objectiva. Certitudo autem subjectiva requirit assensum firmum et rationabilem, ut talem apprehensum: D. 1, n. 65. Quæstio ergo est:—An assensum firmissimum præstare possit puer doctrinis ipsi a parente vel parocho, tamquam doctrinis Ecclesiæ Catholicæ, propositis? Vid. Lugo, D. 5, n. 28.

142. *Quinto.* Quidam Theologi certitudinem distinguunt in absolutam et respectivam: alii multo melius, non certitudinem, sed evidentiam credibilitatis in abso-

lutam et respectivam distinguunt. Sed nobis optimum esse videtur hæc tria a se invicem dispescere, et singula separatim spectare, nempe 1°, ipsa motiva credibilitatis, seu argumenta quibus probatur veritas Christianæ religionis et Ecclesiæ Catholicæ; 2°, medium per quod veritas et vis istorum argumentorum a singulis apprehenditur; 3°, medium per quod singulis proponuntur seu communicantur dogmata Ecclesiæ, *ut* dogmata Ecclesiæ.

143. 1°. Quoad motiva credibilitatis: innumera sunt argumenta, quæ et captui omnium accommodantur, et evidentiâ credibilitatis *absolutâ* (i. e. evidentiâ cuivis intellectui, quantumvis maturo et exculto, ad assensum extorquendum omnino sufficienti et idonea), Christianæ religionis et Catholicæ Ecclesiæ veritatem demonstrant. Hujusmodi sunt sanctitas doctrinæ, unitas universalis et indeficiens, &c. &c.

144. Motiva credibilitatis *respectiva*, ea sunt quæ evidentiam credibilitatis sufficientem pariunt ad assensum quorundam, v. g. puerorum, extorquendum, non autem omnium. Mihi autem videtur motiva (si non omnia, saltem fere omnia, censeo tamen omnia) quæ primo aspectu pure respectiva viderentur, attentius inspecta non esse nisi ipsa motiva absoluta, diverso et accommodato modo proposita, et imperfecte et ex parte tantum spectata, vel initia quædam ad ista motiva absoluta ducentia: D. 11, n. 264.

145. 2°. Medii, per quod notitia istorum motivorum communicatur, duplex est vis testificandi, seu vis probandi ista motiva, ut *facta*, vere existere; nempe, absoluta et respectiva. Vim *absolutam* habet testimonium, quod cuivis, etiam doctissimo et sollertissimo, satis esse debet ad invicte persuadendum facta vere tenere. Sic,

omnes in his regionibus, et quidem ubique terrarum, adulti Catholici aliquatenus docti, et etiam omnes aut fere omnes adulti indocti, absolutam, ex testimonio hominum, evidentiam summam habent, Ecclesiam quæ nomine Catholica est et re eamdem esse, et esse unam in fide, in regimine et in cultu, &c. Idem et ex observatione compertum haberi potest. Si quis enim varias terræ regiones lustraret, ubique ejusdem unitatis in catholicitate signa videret patentissima et clarissima. Ex his factis efficitur nota Ecclesiæ positiva et negativa, seu potius notarum numerus, quibus, menti rite dispositæ, luce clarior effulget gloria divina Ecclesiæ unice veræ. Evidentia istorum motivorum *respectiva* in puero esset, cui, v. g. extra propriæ familiæ sinum, vix aliqua cum hominibus esset consuetudo, unde veritatem factorum absolutâ evidentiâ perspectam haberet.

146. 3°. Evidentia quæ habetur facti, hoc vel illud dogma, quod ut dogma Ecclesiæ definitum proponitur, id revera esse, similiter absoluta est vel respectiva. Respectiva est in puero, qui solum testimonium parochi vel parentum habet: absoluta, in eo qui testimonio absolute certo nititur. Hanc absolutam evidentiam de omnibus aperte definitis habet doctus Theologus. Eandem evidentiam de explicite credendis habent omnes fideles adulti, saltem qui sacra Ecclesiæ, catechisticas institutiones, &c., diligentiâ ordinariâ frequentant.

Hæc sunt principia generalia, quæ ad statum controversiæ explanandum, et ut objectionibus clarius et expeditius solvendis inserviant, præponenda esse duximus. Alia vero principia generalia infra suis locis invenientur. Nunc afferendæ sunt—

147. *Solutiones Objectionum speciales.* Quoad *Objec-*

tionem primam (n. 132), quæ affirmat puero constare debere primùm se viâ auctoritatis ducendum esse; ei ergo examinanda esse argumenta pro ista methodo: cui labori impar est.

148. *Resp.* Absque ulla argumentorum indagatione, ipsa natura ducente et docente, ex ipso lumine rationis claro et manifesto, puero planum et evidens est, se, in iis præsertim quæ sensibus non occurrunt, viâ auctoritatis, câque *solâ*, ducendum esse. Et quo magis imbecillus est rerumque imperitus, et quo magis ea quæ ipsi credenda proponuntur extra ordinem pure sensibilium ponuntur, eo magis evidens ipsi est, sibi non propriæ rationi et experientiæ fidendum esse, sed auctoritati unicæ cedendum. Quicquid de adultis dicatur, hoc de pueris certum et indubitatum est.

149. Quoad *Objectionem secundam* (n. 133), nempe, puero constare debere Ecclesiam Catholicam esse illam Ecclesiam unice veram, quæ auctoritate ista divinitus data, et quidem infallibili, potitur. Hoc autem illi nullomodo constare potest.

150. Quoad id quod interponitur de necessitate cognoscendi Ecclesiam *ut infallibilem* in docendo, vid. supra, n. 18, et D. 11, n. 303, &c. Hoc igitur prætermisso, *Resp.* Distinguo majorem: Puero constare debet evidentia morali et ipsius captui accommodata, i. e. respectiva: Concedo: Evidentia metaphysica vel absoluta: Nego. Simili modo distinguo minorem: Constare non potest evidentia metaphysica et absoluta: Transeat: Evidentia morali et respectiva: Nego.

151. Puero Catholico rite disposito (n. 136, &c.) non solum constare potest, sed facillime et clarissime constare potest, Ecclesiam Catholicam esse unice veram Ecclesiam

Christi, et, quoniam puero isti jam constare supponitur viâ auctoritatis solâ incedendum esse, hanc ergo Ecclesiam auctoritate ista solam pollere. Spectata per se manifestat, collata cum sectis sola manifestat, et alterutro modo spectata lucidissime manifestat signa illa divina, quæ ortum suum cœlestem vitamque supernaturalem, perennem et inextinguibilem demonstrant—antiquitatem, unitatem, sanctitatem, catholicitatem.

152. Scio hæc omnia a Protestantibus negari. Sed 1°. quæstio hic de iis non est quæ a Protestantibus negantur et contra illos argumentis firmanda sunt; sed quæstio est, An possit puer Catholicus, secundum principia Catholica, iisque solis inhærens, actum fidei rationabiliter elicere? Quæstio est, non quomodo Protestanti, extraneo, inimico, omnigenisque erroribus et præjudiciis imbuto, appareat atque se ostendat Ecclesia cum sua gloria divina; sed quomodo puero Catholico, Ecclesiæ domestico, baptizato, rite disposito, appareat seseque prodat? Hujus nostræ responsionis principium de omni evidentia morali verissimum et certissimum est, nempe, quod ab uno omnino rationabiliter tanquam verum accipitur et creditur, ab alio tanquam falsum omnino irrationabiliter rejici posse; nec hujus infidelitate vel minimum lædi rationabilitatem assensûs illius. Omnes quos hic habemus adversarios Protestantes tenent et docent motiva credibilitatis Christianæ Religionis (vitas et miracula Christi et Apostolorum, mirabilem hujus Religionis propagationem, &c.) summe firma esse ad persuadendum, et decretoria: et tamen quot sunt qui, a concupiscentiis suis abstracti et illecti, istis etiam motivis inspectis et ponderatis (sed male), ea ut infirma respuunt!

153. Suo loco demonstrabitur Ecclesiam Catholicam esse unice unam, sanctam, &c.; et notas istas unitatis,

sanctitatis, &c., eam esse unicam veram Ecclesiam Christi invicte declarare. Breviter ergo hic sequentia notamus. Duo in ista argumentatione continentur: 1°, *factum*, nempe, Ecclesiam esse unam, sanctam, &c.; 2°, ejusdem facti *vis probandi*. Utrumque puero nostro, nullo negotio, manifestum reddi potest.

154. Ut, brevitatis causa, de sola unitate loquamur; *primo*, nihil *facto* apertius notuque facilius. Unitate regiminis Ecclesiæ Catholicæ, conjunctione illâ arctissimâ cum Capite Ecclesiæ omnium ubique fidelium, pastorum et populorum omnium, non magis certa et comperta est existentia ipsius Pontificis, Pii IX., non magis nota et manifesta est existentia urbis Romæ. Non minus aperta et perspecta est unitas in fide et cultu universalis et absoluta: quod ex signis infinitis et positivis et negativis constat. Ex signis positivis: omnes enim eadem symbola habemus, easdem definitiones Conciliorum et Pontificum Romanorum corde et ore amplectimur. Romæ, ex omnibus terræ regionibus, convenientibus viris ecclesiasticis et laicis, eadem fides est inter se, eadem cum Roma. Ex signis negativis: quicunque ubicunque vel discipulum vel magistrum erroris pertinacem se aperte prodat, statim ab Ecclesia excidit, et alienus est: et, si ad præcavendam injuriam fidelium opus sit, sententia speciali percellitur. Cujus rei exempla nostris diebus extiterunt plures in Germania, Lamennais et Laborde in Gallia, Vigil in America Meridiana, Taurinensis iste hæreticus Nuytz, et alii multi. Hæc quoad factum. Jamvero factum hoc, seu factorum numerus, valde sensibilis et publicus est, et summi momenti; cujus ergo notitia puero facile communicari potest, eodem modo eademque certitudine, qua quodvis aliud factum publicum et grave significatur.

155. *Secundo.* Hujus facti *vis probativa* æque suo modo aperta est ac ipsum factum. Factum enim manifesto divinum est unitas illa in cultu et fide et regimine tot populorum per universum orbem dispersorum, in ceteris fere omnibus, in quibus disjungi possent, disjunctorum, in his arctissime conjunctorum—unitas illa, semper perfecta, immota, invicta—unitas illa quæ, ceteris omnibus mutatis, sola semper eadem in æternum manet—unitas illa quæ, si unquam, hisce nostris diebus, tantâ gloriâ effulget, ut non minus in Ecclesia eluceat providentia Dei ut auctoris gratiæ, quam ut auctoris naturæ in mundo visibili elucet. Vim istam probativam posse a puero, positis conditionibus, n. 136, &c. (quod semper præ mente tenendum est), bene et rationabiliter percipi et æstimari negare non potes, nisi ex principiis quæ in purum scepticismum ineluctabiliter ducerent.

156. Quoad *Objectionem tertiam* (n. 134), nempe, puerum, in istis dogmatibus exquirendis et comparandis (se viâ auctoritatis ducendum esse, Ecclesiam habere jus docendi, &c.), non viâ auctoritatis sed viâ examinis privati incedere.

157. *Resp.* Hanc objectionem et quæ ad eam firmandam a variis auctoribus Protestanticis prolata sunt, posthac, ubi de auctoritate Ecclesiæ, plene excutiemus. Hic igitur breviter dicimus 1°, puero ut sibi compertum habeat se via auctoritatis ducendum esse, examen *privatum* (i. e. ex judicio uniuscujusque proprio et independenti) non solum necessarium non esse, sed ei in hoc negotio locum non esse nec esse posse. Nititur enim conclusio ista judicio universali manifeste vero et quasi omnium innato; ut patet ex dictis, n. 148, et ex dicendis infra n. 166, &c. Nec necessarium est examen *privatum* ut ei certum sit Eccle-

siam Catholicam esse Ecclesiam unice veram, &c. ut n. 151, &c. Hæc enim habet ex factis, quorum existentiam ex testimonio patenti novit, et ex principiis moraliter evidentibus.

158. *Resp.* 2°. Nullomodo usum judicii individui (a vocabulo isto male sonante *privato* declino) reprobat Ecclesia Catholica, nisi auctoritati adversetur: imo si in argumento utili et cum mente docili habeatur, eum laudat et probat; ut patet ex operibus Theologorum probatorum, in quibus infinita sunt ejusmodi usûs exempla. Ante fidem adeptam (pueri vero nostri habitu fidei gaudent), motiva credibilitatis, modo cuique accommodato, expendere non solum licet sed oportet: vid. D. 1, n. 90, et n. 69, not. Jamvero longe aliud est ratione individua in isto argumento, per se adeo brevi et facili, de necessitate auctoritatis, et signis quæ ubi vera inveniatur indicant, uti; aliud autem est ex S. Scriptura universum corpus doctrinæ Christianæ, omni auctoritate dominante et coactiva abjecta, eadem ratione individua, certitudine quæ ad veram fidem divinam requiritur, comparare et statuere. Sicut, aliud est quis sit in aliqua scientia difficili et obscura doctissimus magister comperire (nota sedulo præsentem objectionem necessario supponere hypothesim auctoritatis Ecclesiæ, ut *hypothesim;* impetit enim, affirmando, ex hypothesi quod detur illa auctoritas, hæc et illa inconvenientia sequi); aliud vero scientiam ipsam, ex libro difficili et obscuro, ratione et studio individuo, discere.

159. Nec minimum obstat quod in contrarium a Rogers, cum aliis multis, *Urgetur* 1. Si impossibile sit corpus doctrinæ, judicio privato, ex Scriptura conficere, non minus impossibile est quis sit verus magister et judex

(i. e. quæ sit vera Ecclesia) statuere ["If a man be incompetent for the latter" (finding Gospel doctrine), "he is equally incompetent for the former" (finding out the Gospel teacher): vol. 2, pag. 29].

160. *Resp.* 1°. Petrus non potest plura, ergo non potest unum! Petro impossibile est, studio privato, scientiam comparare v. g. medicinæ vel juris, ergo ei æque impossibile est invenire an sit et quis sit doctus medicus vel jurisperitus qui eum doceat! *Resp.* 2°. Distinguo: Non minus impossibile est quis sit verus magister statuere, secundum principia Protestantica, et si non dentur notæ certæ et claræ quæ magistrum illum indicent: Esto et Transeat: Si, secundum principia Catholica, dentur tales notæ: Nego. Dari autem istas notas suo loco invicte demonstrabitur.

161. *Urgetur* 2. Eodem modo ratiocinantur Catholici (Puseyitas directe hic impugnat ROGERS), quo pater qui filio diceret:—Idoneus non es qui quæ a te discenda sunt statuas, et ideo qui *scholam* in qua erudiaris eligeres, omnino vero idoneus es qui *ludimagistrum* eligas ["The reasoning is about as good as would be that of a father who should say to his child, 'Though it is true you are not competent to say what it is fit for you to learn, and, therefore, cannot select for yourself a *school* (sic), yet you are perfectly welcome to choose your *schoolmaster* (sic):'" ibid.].

162. *Resp.* Falsa est ista similitudo: justa autem esset hoc modo proposita:—Idoneus quidem non es qui hanc vel illam scientiam, v. g. medicinæ, studio privato discas; idoneus es vero qui scholam et magistrum eligas: Distinguo: Si existant signa certa tibique accommodata, quibus potes scholam in qua et magistrum, huic muneri

aptissimum, a quo optime erudiaris, scire et eligere; et si tibi hæc signa satis proponantur: Concedo: Aliter: Nego. Hac similitudine non solum non illustratur objectio adversarii, sed nostræ doctrinæ lux major affertur: est enim exemplum aptissimum ad hanc doctrinam explanandam. Sicut enim filius ille potens non est ad discendam medicinam studio privato, ita et puer noster ad discendas doctrinas Christianæ religionis: et sicut sunt scholæ et professores medicinæ optimi, apud quos eam dicere potest; et sicut hi facile inveniri possunt, v. g. testimoniis publicis, et aliis quæcunque sint signis quibus professores docti ab indoctis discerni possunt; ita scholam et magistram optimam habet puer noster, nempe, Ecclesiam Christi, ad quam indicandam signa seu notæ sunt claræ et certæ et omnibus accommodatæ.

163. Quoad *Objectionem quartam* (n. 135), quæ, ut dictum est ibidem, argumento hujus Disputationis magis propria est; nempe, puerum, qui vocem Ecclesiæ ipsius immediate non audit, sed tantum mediante testimonio fallibili parentis, &c., certum esse non posse se veram doctrinam Ecclesiæ accipere.

164. *Resp.* Positis principiis datis, n. 136, &c., dico puerum nostrum non solum habere posse, sed semper de facto habere assensum fidei firmissimum, et vere et omnino rationabiliter firmissimum.

165. *Primo.* Assensum habet firmissimum. De hoc nullum dubium moveri potest, nec id adversarii, quod sciam, negant. *Factum* est, quod omnium Catholicorum testimonio firmatur, quodque cuivis inspicienti patet, pueros Catholicos rite institutos firmitate summa et inconcussa fidei suæ adhærere, omnemque hæresim vehementissime horrere et detestari.

166. *Secundo.* Assensus ille fidei omnino rationabilis est. Fit enim secundum ordinem universalem, a Deo ipso constitutum, ad comparandam notitiam certam omnium cognoscibilium, quæ nec intellectui nec sensibus, ut ex evidentia intrinseca manifesto certa, obversantur. Ex solo enim testimonio parentum et proximorum omnia hujusmodi scibilia a puero noscuntur et creduntur: v. g. existentia Romæ; plerosque Hibernos esse Catholicos, plerosque Anglos esse Protestantes; hæc et illa prælia facta esse; hunc et illum esse peritum medicum; hunc cibum et potum salubrem esse, nocivum illum; hanc viam ad Dublinium tendere, ad Corcagiam illam; PIUM IX. esse Summum Pontificem nostrum, VICTORIAM Reginam nostram; et alia similia infinita.

167. Vel ergo dicendum est pueros omnes, quibus non est testimonium absolutum vel evidentia intrinseca, de omnibus et singulis sibi ad credendum propositis assensum rationabiliter cohibere, et, si assensum præbeant, irrationabiliter præbere; vel dicendum est eos rationabiliter credere, nisi forsan in casu aliquo particulari ratio esset specialis assensum cohibendi. Si prius dicas, omnes pueros illos scepticos facis; principia ponis scepticismi universalis. Hæc faciendo in duobus directe et formaliter impetis, et, quantum in te est, systema evertis a Deo manifesto constitutum. 1°. Manifesto Deus ita naturam et indolem nostram condidit, ut isti ætati insitum esset, quasi quid proprium et singulare, et esse et se gerere docilem, morigeram, obedientem (quod etiam ex multis locis S. Scripturæ demonstrari potest); ita ut pueruli qui habitualiter se difficiles et duros ad credendum gerunt, tanquam monstra quædam communi omnium sensu habentur. Tu vero eos, ab ipsa luce prima rationis, morosos facis et superbos; et primos eorum actus liberos, actus

facis obstinationis et superbiæ. 2°. Manifesto vult Deus pueros illos certitudine vera gaudere, in iis saltem quæ omnium illorum bona necessaria sive corporis sive animæ communiter respiciunt, v. g. in iis quæ vel corpori vel animæ nociva sunt vitandis, in mente formanda et excolenda, &c. Si enim de his haberi non posset certitudo, tunc in singulis fere actibus, etsi a parentibus eruditi et ducti, dubii et anxii hærere debent pueri—inter certitudinem enim et dubium non datur medium; qui non est certus, vi termini, incertus est. Jamvero non aliud præstat Deus medium certitudinis præter auctoritatem parentum et proximorum: supponitur enim in casu puerum non habere evidentiam intrinsecam; et, ut sæpius dictum est, de hujusmodi puero solo hic sermo est vel esse potest. Tu vero, ut certitudine gaudeat, alia requiris certitudinis media, quæ nec habet nec potens est ad habendum. Inconcussa ergo stat conclusio, puerum de rebus innumeris, ex solo testimonio parentum vel aliorum, certitudinem habere veram et vere rationabilem.

168. Si autem testimonium illud, de omni alia re non visa, firmissimi assensûs rationabile sit fundamentum, non solum nihil obstat quominus id esset in argumento præsenti, sed et suadent rationes speciales et graves (positis conditionibus, n. 136, &c.), ut sit potissimùm rationabile fundamentum. 1°. Res est hic summi momenti, ad finem supernaturalem et vitam æternam pertinens—res gravissima præsertim apud Catholicos, quibus, ex principiis Catholicis, quæ omnibus nota sunt et ab omnibus summo pretio habentur, tanti est omnimoda puritas fidei. Hinc longe majorem curam adhiberent parentes, ne vel ipsi decipiantur vel alios decipiant. 2°. Sermo hic est de dogmatibus non solum aperte definitis, sed ab omnibus

explicite credendis vel etiam explicite creditis. De his ita nota et clara est fides Ecclesiæ, ita directa, lata et lucida est via doctrinæ sanæ, ut ipsi stulti per eam errare non possint (Isai. xxxv. 8). Quis est in universa Hibernia cui magis notum et certum est existere Romam, quam notum et certum est Ecclesiæ Catholicæ dogmata definita esse, existentiam unius Dei, Trinitatem, Incarnationem, realem præsentiam Christi in Eucharistia, potestatam absolvendi a peccatis, primatum Romani Pontificis, &c.? Quæ cum ita sint, patet periculum errandi esse quasi pure metaphysicum. 3°. De aliis rebus adesse possunt motiva parum de vero accurate discendo curandi, vel illud aliis accurate tradendi. Parentes vero, in hac materia, nullum motivum habent non discendi et docendi veritatem diligenter et accurate: ad oppositum vero motivis gravissimis urgentur; salus enim et propria et filiorum ex eorum veriloquio forsan pendet.

De argumentis quæ contra præfata urgentur vid. supra, n. 131.

169. *Object.* 25. Vindicare infallibilitatem Ecclesiæ, nihil aliud est quam ponere causam positivam hæresium. Tunc enim acceptandæ essent definitiones Ecclesiæ etsi falsæ et contradictoriæ. CHILLINGWORTH, Præfat. n. 10, et alii.

170. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Vindicare falso et sine causa: Esto: Jure et cum causa: Nego. 2°. Secunda propositio implicat in terminis: vi termini enim infallibile essentialiter excludit et falsum et contradictorium.

171. *Object.* 26. Si Ecclesia esset infallibilis, non essent in ea opiniones, dubia, dissidia; omnia clare definita essent. CHILLINGW. c. 2, n. 94; MAURICE, apud GIBSON,

IV. 274; GAYER, *The Church*, § 10 (vol. 6, pag. 101); et alii passim.

172. *Resp.* 1°. Distinguo: Non essent opiniones de jam definitis, quatenus definitis: Concedo: de non definitis: Subdistinguo: Si singulis fidelibus et non ipsi Ecclesiæ promissa est ista illuminatio plenaria Spiritus Sancti, et assistentia perpetua Christi: Transeat (sensu quodam, et sub distinctione, Concederem): Si soli Ecclesiæ, i. e. corpori docenti, promissa est: Nego.

173. *Resp.* 2°. Infallibilitatem Ecclesiæ non exigere ut omnia statim et semel pro semper definiantur, patet ex exemplo jam dato, n. 125. Usum legalium non esse necessarium ad salutem, dogma fidei est in Concilio Hierosolymitano definitum: Act. XV. Habitum autem est illud Concilium plures post annos a converso Paulo, ut legentibus Actus Apostolorum patebit (secundum communem computationem, circiter 15 annos). Apostoli, saltem ut corpus, infallibiles erant, prout omnes quos vidi Protestantes admittunt (de Protestantibus loquor præsertim Ecclesiæ Constitutæ, et qui rationalistæ non sunt), erant Ecclesia Docens infallibilis: et tamen toto hoc tempore, dogma illud indefinitum mansit; et, quantum videtur, non exorsis istis dissidiis, quæ initio cap. XV. commemorantur, multo longius forsan indefinitum mansisset.

174. *Urgetur* 1°. Infallibilitati Ecclesiæ repugnat in ea errores esse. Atqui ubi sunt opiniones inter se discrepantes, sunt errores: istæ enim opiniones omnes veræ esse non possunt.

175. *Resp.* Distinguo majorem: Si errores ab ipsa Ecclesia teneantur: Concedo: Si ab individuis in Ecclesia: Subdistinguo: Si errores sint contra jam definita, et publice et pertinaciter teneantur: Concedo: Si sint

pure materiales, vel ex defectu definitionis, vel ex defectu pertinaciæ: Nego: alioquin enim sequeretur Deum omnipotentem non posse efficere Ecclesiam infallibilem, nisi singula membra infallibilia efficeret.

176. *Urgetur* 2°. Si fides e. g. Immaculatæ Conceptionis perpetuo firma mansit in Ecclesia, quomodo factum est ut per tot secula tantum de ea in Ecclesia agitatum est? Ita multi.

177. *Resp.* Si Apostoli infallibiles fuerint, Spiritu Sancto repleti, ab ipso Christo immediate et facie ad faciem edocti, quomodo factum est ut, ad dogma illud, in fide Christiana quasi elementarium, definiendum, Concilium celebrarent, et cum senioribus ad deliberandum convenirent ["Conveneruntque apostoli et seniores *videre de verbo hoc*"], et magnam conquisitionem facerent? Longas aliquando moras in definiendo trahit Ecclesia, quia ita Spiritui Sancto et ipsi videtur, et in hoc suo exemplo docens omnes quam caute et considerate in rebus summi momenti procedere debemus: "Homo sapiens tacebit usque ad tempus:" Ecclesiastic. xx. 7: sed vid. supra, n. 124.

178. *Urgetur* 3°. Ecclesia definibilia non definiens ei similis est, qui lucernam accensam ponit sub modio, vel qui talentum suum abscondit in terra: Matth. v. 15; xxv. 25. CHILLINGW. c. 2, n. 94.

179. *Resp.* Nego. 1°. Qui isto modo lucernam vel talentum abscondit, ea omnino invisibilia et inutilia reddit; et donum Dei omni prorsus fructu privat. Ecclesia vero, per ea quæ definita sunt, omnes abundantissime illuminat; ita quidem ut paucissimi tantum, nempe, Theologi valde docti, totum illud lumen in se recipere possint. 2°. Si infirmitas fidelium ratio fuerit

justa quare Apostolus non omnia eos doceret (1 Cor. iii. 1, &c.; Hebr. v. 11, &c.), optimæ possunt esse rationes quare non omnia definiat Ecclesia.

180. *Urgetur* 4°. Si Ecclesia infallibilis fuit in permittendo diversitatem opinionum de Immaculata Conceptione, et etiam infallibilis in definitionem per tot secula differendo, quomodo hodie definiendo infallibilis sit? *Quarterly Review*, n. 193, (June, 1855) pag. 177.

181. *Resp.* Ne de verbis concertemus (ista enim permissio et dilatio non tam pertinet ad infallibilitatem in docendo, de qua sola hic sermo est, quam ad prudentiam in agendo), dico Ecclesiam in his omnibus infallibilem fuisse. 1°. Recte permisit diversitatem opinionum, antequam statuto expresso eam prohibuit: hoc enim nihil aliud est quam permittere quod nulla lege prohibetur. 2°. Recte distulit definitionem, donec, ad instar Concilii Apostolici, videret de verbo hoc, et magnam faceret conquisitionem. 3°. Omnibus ad definitionem aptis et maturis, recte definivit.

182. *Object.* 27. Si Ecclesia sit infallibilis, inutilis est Scriptura ["If God has vouchsafed an infallible living witness of the truth, what is the need of Scripture?]. *Idem*, ibid. pag. 176. Loquitur hic auctor de S. Pontifice, sed objectio revera impetit infallibilitatem Ecclesiæ.

183. *Resp.* 1°. Distinguo: Si Ecclesia non solum infallibilis, sed quoad omnia dogmata Christianæ religionis inspirata esset, inutilis esset Scriptura: Transeat: Si solum infallibilis sit: Nego: vid. supra, n. 124. 2°. Infallibilitas Ecclesiæ id ipsum ante et super omnia est, quod Scripturam vere et summe utilem reddit. Sine illa enim infallibilitate, Scriptura fons esset, hominum culpa et infir-

mitate, errorum omnigenorum et innumerorum; ut suo loco c. 12, demonstrabitur.

184. *Object.* 28. Si Ecclesia infallibilis esset, testimonia minoris auctoritatis in suis decretis dogmaticis non proferret; quod fecit PIUS IX. in Constitutione *Ineffabilis Deus.* ["If the present Pope is infallible, why quote authorities of far inferior pretensions?"] *Idem*, ibid.

185. *Resp.* Distinguo: Testimonia non afferret, quasi ullomodo necessaria ad suam auctoritatem vel veritatem definitionis astruendam: Concedo: Ut firmitas et gloria fidei clarius elucescat; ut fidelium fides et devotio augeatur; ut os adversariorum occludatur: Nego. Exemplum insigne habes hujus rei in Epistola S. LEONIS ad Concilium Chalcedonense, cui subnexa sunt plura testimonia Patrum. Christus ipse, secundum Protestanticam interpretationem Joannis v. 39, suam auctoritatem contra adversarios, hujusmodi testimonio allato, firmavit:—"Scrutamini scripturas, quia vos putatis, &c."

186. *Object.* 29. Ecclesia, appellando sensum fidelium, incidit in circulum vitiosum: doctrinam enim definit, quia creditur a fidelibus; et fideles eam credere tenentur, quia definitur ab Ecclesia ["Why quote the *consensus populi*—the popular belief? Is it meant that the Pope sanctions the belief because it is held by the people, and the people must hold the belief because it is sanctioned by the Pope? Is this vicious circle all we can obtain from infallibility?"] *Idem*, ibid.

187. *Resp.* Nego Ecclesiam in circulo versari. Unum ex mediis, quibus comparatur notitia revelationis alicujus doctrinæ, est sensus fidelium, seu fides generalis Ecclesiæ credentis doctrinam esse revelatam: n. 9, &c. Jamvero,

ut exemplo utar ab ipso adversario adducto, cum Pontifex de definienda Immaculata Conceptione deliberaret, et magnam conquisitionem faceret, sensum illum, inter alia, diligenter exquisivit: quo facto, ceterisque omnibus exploratis, jam Pontifici constabat doctrinam illam esse revelatam et ergo *definibilem* de fide. His ita se habentibus, ad definitionem condendam et edendam se accinxit Pontifex, et ultimo doctrinam *definivit:* quæ definitio ab omnibus Catholicis summa obedientia et summo gaudio, ut definitio irreformabilis et infallibilis, accepta est. Circulus, ut norunt omnes, est idem per idem eodem modo probare: v. g. probare propositionem A ex propositione B, et B ex A. Pontifex, ut testis et judex divinitus constitutus, ex sensu fidelium, ex testimoniis Patrum, &c. compertum habet hanc doctrinam, adhuc non definitam, *definibilem* esse: fideles eam a Pontifice accipiunt ut *definitam,* et obligatorie credendam. In hoc non magis intercedit circulus, quam in casu in quo legislator aliquis, ante legem latam, sensum populi exploraret, et deinde, secundum hunc sensum, legem conderet.

188. *Nota.* Anno 1847 opusculum edidit D. Whately, Archiepiscopus Dubliniensis Protestanticus († 1863), inscriptum, "The Search after Infallibility, &c.," in quo confectum est argumentum negativum ex Act. xx. contra infallibilitatem Ecclesiæ. Huic argumento commentariolum, Anglico sermone conscriptum, anno 1851, opposui; cui, anno 1852, opposita est altera responsio cujusdam theologi Protestantici. In opere majori, D. 11, n. 388–422, et argumentum D. Whately et quæ ad id firmandum ab auctore anonymo prolata sunt minutim et late excussi, et, ut credo, penitus extinxi. Totam hanc controversiam hic prætermitto, quam si velit curiosus lector ibidem

videre potest. Alia vero argumenta ejusdem D. WHATELY in eodem opusculo data sunt quæ sequuntur.

189. *Objectio.* 30. Qui magistrum infallibilem infallibiliter sequitur, ipse infallibilis est. Atqui omnis qui accurate et exacte fidem magistri infallibilis tenet, hunc magistrum infallibiliter sequitur. WHATELY, ibid. pag. 15, et alii. Ergo qui credunt se accurate sequi magistram infallibilem Ecclesiam, debent credere seipsos infallibiles esse.

190. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: qui infallibiliter sequitur, i. e. cui facta est promissio divina absoluta se semper magistrum infallibilem secuturum esse, quoad hoc infallibilis est: Concedo: Qui, sine hujusmodi promissione, certo sequitur: Subdistinguo: Infallibiliter sequitur, et infallibilis est: Nego: Certo sequitur, et certus est: Concedo. Aliud est certum esse, aliud infallibilem esse. Qui certus est, vel ex evidentia intrinseca vel ex evidentia credibilitatis summa et absoluta, non errat hic et nunc, sed potest in errorem postea incidere et veritatem penitus abjicere. Qui infallibilis est non solum non errat, sed errare non potest. Omnes qui Christiane rite instituti fuerant, et postea apostatæ facti sunt, dum fidem tenuerunt, certi erant, sed sane non infallibiles. Responsio ad minorem in jam dictis et dicendis, n. 194, continetur. *Resp.* 2°. Apostoli infallibiles erant. Ergo qui eos accurate secuti sunt, infallibiliter secuti sunt, et infallibiles erant! Et qui hos accurate secuti sunt, infallibiliter secuti sunt, et infallibiles erant! Et ita porro in infinitum!

191. *Urgetur.* 1°. Si sequens magistrum infallibilem idem in omnibus doctrinis cum eo sentiat; ergo omnes illius doctrinæ immunes sunt ab errore. Ergo ipse in-

fallibilis est ["It is evident that he who is infallibly following an infallible guide, is himself infallible. If his decisions on each point coincide exactly with those of an authority which is exempt from error, that *his* (sic) decisions are exempt from error, is not only an undeniable, but almost an identical proposition"]. *Idem*, ibid.

192. *Resp.* Distinguo: Quæ eædem sunt cum doctrinis infallibilis auctoritatis, veræ sunt, et quidem infallibiliter veræ: Concedo: Qui illas tenet, infallibilis est: Nego. Potest enim eas deserere, ut multi deseruerunt.

193. *Urgetur* 2°. Qui sequitur infallibilem auctoritatem credit quidem se fallibilem esse, i. e. se, per se, fallibilem esse; et suam immunitatem a possibilitate erroris inhærentem non esse, sed derivatam. Sed actu et practice se infallibilem esse credit ["His meaning must be, that he *would* (sic) be fallible if left to himself; that his exemption from the possibility of error is not inherent, but derived. But actually and practically he does consider himself infallible"]. *Idem*, ibid.

194. *Resp.* 1°. Præter ea quæ explicite credenda sunt, et institutione universali omnibus traduntur, multa sunt quæ a plerisque ignorantur, et quidem necessario ignorantur—nisi dicas omnes et singulos fideles doctissimos Theologos esse debere. 2°. Nemo Catholicorum unquam credidit se esse immunem a *possibilitate* erroris ["from the possibility of error"], i. e. a possibilitate incidendi in errorem, vel etiam ipsam fidem abjiciendi. Sed credunt omnes se, in credendis iis quæ ab Ecclesia definiuntur, errori obnoxios non esse; quia credunt sic definita infallibiliter vera esse. Nonne credit D. WHATELY se esse immunem a possibilitate erroris, credens existere Dublinium, credens veritates mathematicas et physicas et

multa facta historica, credens existere Deum et Christum esse divinitus missum? Credit hæc omnia non solum vera esse, sed non posse non vera esse: an ideo se credit infallibilem esse? Sicut ille credit, propter evidentiam vel metaphysicam vel physicam vel moralem, se in istis credendis errare non posse, et tamen se fallibilem esse credit; ita et ego, in credendis doctrinis fidei propter infallibilem auctoritatem Ecclesiæ.

195. *Urgetur* 3°. Sicut gnomon solarii umbram infallibiliter ejaculatur, secundum directionem radii solis; ita qui in fide idem semper exacte sentit cum Ecclesia infallibili, infallibilis est ["Though the gnomon of a sundial has no power in itself to indicate the hour, yet when the sun shines on it, the motions of its shadow must be as correct as those of the sun's rays which it follows. And, in like manner, he is infallible, practically, in his belief, who always believes exactly what an infallible Church or leader believes"]. *Idem*, ibid.

196. *Resp.* Comparatio justa esset, si, sicut gnomon solarii non potest non ejaculari umbram secundum directionem solis, ita et fidelis non posset non credere secundum institutionem Ecclesiæ. Ast homo non est gnomon solarii, sed liber ad lumen fidei recipiendum et non recipiendum, retinendum et non retinendum.

197. *Object.* 31. Si ad conservandam puritatem doctrinæ data Ecclesiæ fuerit infallibilitas, ergo doctrina pura conservata fuisset. Atqui longe aliter se res habuit; ab initio enim extiterunt hæreses. ROBINS, pag. 438, et alii passim. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Doctrina pura conservata fuisset in Ecclesia: Concedo: Extra: Nego. 2°. Distinguo minorem: Hæreses extiterunt extra Ecclesiam: Concedo: In Ecclesia: Nego. 3°. Quo tempore in

terris vivebant ipsi Apostoli infallibiles, extiterunt hæreses et hæretici, ut testatur Scriptura.

198. *Object.* 32. Si Deus Ecclesiam infallibilem constituisset, infallibilitas hæc manifesto constituta fuisset, nec de ejus existentia moverentur controversiæ. Atqui ita se res non habet. SHERLOCK, apud ROBINS, ibid. *Resp.* Distinguo majorem: Manifesto &c. omnibus, etiam negligentibus, superbis, contumacibus, impiis: Nego: Humilibus et mitibus corde, qui, adjuvante gratia, quod in se est faciunt ad veritatem inveniendam: Subdistinguo: Eo genere claritatis quod fidei proprium est, D. 1, S. 7, et 8: Concedo: Alio claritatis genere, vel evidenter: Nego.

199. *Object.* 33. Infallibilitas nihil aliud est quam universalis certitudo scientiæ. SHERLOCK, ap. eundem, ibid. *Resp.* Distinguo: In Deo: Concedo: In creaturis: Nego. Auderentne adversarii affirmare vel insinuare Deum omnipotentem non posse permanentem immunitatem ab errore, in hac vel illa re, hoc vel illo modo, creaturæ cuivis vel creaturarum numero cuivis, impertiri?

200. *Object.* 34. Ut certi simus aliquem esse infallibilem, vel ut ejus infallibilitas nobis utilis sit, et nos infallibiles esse debemus. ROBINS, pag. 439. *Resp.* Ut certi simus Ecclesiam esse constitutam a Deo infallibilem, non magis requiritur in nobis infallibilitas, quam requiratur ut certi simus de aliquo alio dogmate revelato, v. g. Christum esse Deum. Positis motivis debitis certitudinis, in quacunque materia sive revelata sive non revelata, certi sumus; sed infallibiles non sumus, quia certitudinem istam abjicere possumus: supra, n. 190.

201. *Object.* 35. Si Ecclesia esset infallibilis, non

exerceretur et probaretur fides nostra. *Idem,* ibid. ex BUTLER et aliis, et ex WATERLAND, pag. 443. *Resp.* Distinguo: Si fides, non obscura, sed evidens esset, vel si singuli essent infallibiles: Transeat: Si fides, non evidens, sed obscura sit, et singuli fallibiles sint, et liberi ad credendum vel non credendum: Nego. Solutio ex sæpius dictis patet.

202. *Object.* 36. Plures olim diversis temporibus ortæ sunt hæreses, v. g. Gnostica, Manichæa, Ariana, Sabelliana, Nestoriana, Eutychiana, Pelagiana, &c. quæ non a Romano Pontifice (vel Ecclesia) expugnatæ sunt, sed vel a privatis scriptoribus exagitatæ, vel alio aliquo modo interierunt. Ergo Ecclesia infallibilis non est medium divinitus constitutum, ad fidem conservandam et hæresim propulsandam. *Idem,* pag. 480, &c.

203. *Resp.* 1°. Exempla supra data ea sunt quæ nominatim, incredibili temeritate, hic auctor proferre ausus est. Nihil in historia ecclesiastica notius est summo studio Romanorum Pontificum in illis et aliis omnibus hæresibus persequendis et conterendis—ita ut quidam adversariorum huic studio, quasi uno ex ejus fontibus humanis, accepta referant initia primatûs illorum Pontificum. Sed ne historicis disceptationibus hic detineamur—

204. *Resp.* 2°. Distinguo consequens: Ecclesia infallibilis non est medium &c. ita ut, in omnibus et singulis casibus, tota acies Ecclesiæ Docentis, uno agmine facto, per se et immediate, hæreses omnes, scriptis et definitionibus editis, impugnare debeat: Concedo: Ita ut hoc vel per se faciat, vel per Theologos pura et profunda doctrina insignes, vel per cœtus talium Theologorum, qui, probante Ecclesia, ascendunt ex adverso inimicorum ejus, et se opponunt murum pro domo Israel, ut stent in prælio

in die Domini (Ezech. xiii. 5): Nego. Duplex est hæresium et hæreticorum impugnatio. *Prima* est damnatio, per sententiam disertam et expressam, istarum hæresium, et definitio doctrinæ Catholicæ. Hoc Ecclesiæ Docentis munus est; quæ, semper ac opus sit, munere hoc certo fungitur. Dixi "semper ac opus sit:" sæpe enim opus non est ejusmodi sententia et definitione, v. g. si hæresis aperta sit, et manifesto fidei Ecclesiæ opposita. *Secunda* est impugnatio per argumenta theologica, quibus fidei veritas et hærcsium vanitas invicte demonstretur. Hoc opus individuis Theologis efficiendum plerumque remittit Ecclesia. Nec in hoc Deus ei unquam deest, a seculo in seculum sanctos et præclaros defensores fidei et morum in Ecclesia sua suscitans, qui, particularibus malis et periculis occurrentes, eam ornant, defendunt, amplificant. Ita (inter alia multa) ad tollendum e medio rigorismum intolerabilem, præsertim Jansenisticum, seculo elapso suscitari videtur S. Alphonsus Liguori. Ita etiam ordines religiosi suscitati sunt:—"Ethnicæ superstitioni hæresique bellum indixit [S. Ignatius], eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero, ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium, et institutam ab eo Societatem objecisse." Breviar. Roman. 31 Julii, Lectio 5.

205. *Object.* 37. Infallibilis Ecclesia non indiget ut ab ullo dirigatur. Atque Summi Pontifices duces sæpius habuerunt, v. g. Damasus Hieronymum, Zacharias Bonifacium, Eugenius Bernardum, &c. *Idem*, pag. 486.

206. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Si esse infallibilem idem sonaret ac esse perpetuo inspiratum, seu a Deo perpetuo et immediate per modum inspirationis

doceri: Concedo: Si Ecclesia infallibilis ea est quæ, propria industria et diligentia utens, perpetuo ab errore immunis *conservatur:* Subdistinguo: Non indiget duce, necessitate absoluta; nec indiget duce, a quo auctoritative dirigatur: Concedo: Non potest nec debet uti duce, i. e. sapientia et prudentia et doctrina privatorum Theologorum et aliorum, quasi uno ex mediis divinitus datis ut in definiendo &c. recte et prudenter se gerat: Nego.

207. *Object.* 38. Auctoritas ista infallibilis, utpote nobis externa, dubia et anxietates mentis, utpote internas, sedare non potest. *Idem*, pag. 488, et alii. *Resp.* Distinguo: In superbis, et aliis non credentibus nec credere paratis: Concedo: In humilibus fidelibus, præveniente et prosequente gratia Dei: Nego.

208. *Object.* 39. Doctrina infallibilitatis in universalem scepticismum et infidelitatem ducit. Qui enim infallibili auctoritati nituntur, inventa falsitate hujus doctrinæ, omne abjiciunt motivum certitudinis. STILLINGFLEET, P. 1, C. 5, (vol. 1, pag. 175); ROBINS, pag. 490; et alii passim. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Si falsa esset doctrina illa: Esto: Si vera sit: Nego. Vivis Apostolis, aderat auctoritas infallibilis: an doctrina infallibilitatis Apostolorum eo tempore in infidelitatem ducebat?

209. *Dicent* forsan doctrinam affirmantem infallibilitatem Ecclesiæ post ævum Apostolicum falsam esse. *Resp.* Hæc ergo quæstio vera et quidem, quod attinet ad infallibilitatem, unica est quæstio nos inter et adversarios. Demonstrent, si possint, nostra argumenta infirma esse. Id donec effecerint, omnes hujusmodi objectiones, etsi, a veteribus et recentioribus Protestanticis Theologis, to-

tie set tam jactanter decantatæ, vanissimæ sunt et omnino extra rem.

210. *Object.* 40. Doctrina Catholica infallibilitatem loco evidentiæ moralis ponit; et ideo, vim testimonii infirmando, viam infidelitati pandit. ROBINS, pag. 490, et alii multi.

211. *Resp.* Hæc omnia et singula Nego. 1°. Evidentiam moralem e medio non solum non tollit, sed in hac materia auget et firmat, eam a fallibili infallibilem faciens. 2°. Vim testimonii infirmat: Distinguo: Vim testimonii judicii privati definitionibus Ecclesiæ, quæ a Deo infallibilis constituta est, oppositi, infirmat: Concedo; imo abjicit, anathematizat, extinguit: Vim testimonii, quoad objectum ejus proprium, et intra limites ei a Deo constitutos, infirmat: Nego. Vellem ut adversarius nominatim indicaret vel unum ex illis, in quibus vim testimonii humani veram et justam infirmet doctrina infallibilitatis Ecclesiæ.

212. 3°. Doctrina Catholica viam pandit infidelitati: Distinguo: Abjicientibus supremam auctoritatem Ecclesiæ, et hanc abjectionem, tanquam præmissam, logice sequentibus, non datur via media, ut vocatur, inter auctoritatem et infidelitatem; et ideo qui illam respuunt logice hanc amplectuntur: Concedo et affirmo: Alio modo pandit viam infidelitati: Nego. Eodem modo, sibi auctoritatem infallibilem vindicando, viam infidelitati aperit Ecclesia, quo Christus Dominus, sibi auctoritatem divinam vindicando, Judæis credere nolentibus eandem viam aperuit; eodem modo quo lex, iis qui eam nolunt servare, vel gratia, iis qui eâ nolunt bene uti, viam aperit peccatis: non hæc sane causans, sed occasionem præbens, quâ vel bene vel male uti possunt libere agentes, et qui male utuntur ex propria sua malitia sola id agunt. Sys-

tema vero Protestanticum, non tanquam mera occasio, sed ut causa positiva et directa, in infidelitatem ducit: infra, n. 216.

213. *Urgetur* 1°. Ubi cæca exigitur obedientia, ineluctabiliter in infidelitatem tenditur ["When blind obedience has been exacted, the reaction is inevitable."] Atqui in Ecclesia Catholica, ex eo quod se pro infallibili habet, cæca exigitur obedientia. *Idem*, ibid. et alii passim.

214. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Ubi cæca exigitur obedientia, absque motivis solidis eam ut omnino rationabiliter debitam suadentibus: Esto: Cum istis motivis: Nego. An non Moysi a Judæis debita erat obedientia cæca? Annon Prophetis ceterisque qui suam missionem divinam miraculis firmarunt? Annon Christo? Annon Apostolis? Num in iis qui illis cæce obedierunt obedientia cæca viam infidelitati aperuit? Nonne, e contrario, *quo cæcior et humilior erat eorum obedientia, eo firmior erat eorum fides?* 2°. Distinguo minorem: In Ecclesia Catholica exigitur obedientia cæca, ex eo quod se pro infallibili habet et jure merito, invictis propositis argumentis: Concedo: Immerito: Nego. Ista argumenta esse infirma demonstrent, si possint, adversarii.

215. *Urgetur* 2°. Infidelitas (i. e. deismus, pantheismus, atheismus, &c.) præcipuum auxilium ex Ecclesia Catholica habet ["Rome has rendered most effectual aid to the assailants of all religious truth"]: et in sinu ejus ortum habuit, ut hodie constat exemplis Italiæ et Hispaniæ. *Idem*, pag. 491, et alii multi.

216. *Resp.* Utramque propositionem impudentissime mendacem non solum absolute Nego; sed insuper affirmo infidelitatem ex Protestantismo *solo* ortum suum habuisse,

et exinde, præter id quod ex se et ex aliis portis inferi habeat et habuerit, vires suas totas totumque præsidium habere semperque habuisse. Quod probatum videatur, D. 11, n. 464–5.

217. *Object.* 41. Ecclesia Judaica infallibilis non erat: ergo nec Ecclesia Christi infallibilis est. Ita multi Protestantes veteres et recentiores.

218. *Resp.* Transeat antecedens: Nego consequentiam. Vel, data veritate antecedentis, Distinguo consequens: Si Ecclesiæ Christi factæ non sint promissiones infallibilitatis, prout Ecclesiæ Judaicæ factæ non sunt: Concedo: Si factæ sint: Nego. 1°. Si Ecclesia Judaica fallibilis fuit, ideo talis fuit quia ei infallibilitatem non promisit Deus. Hanc promissionem Ecclesiæ Christi factam fuisse jam demonstravimus. Ex eo quod Joannes non sit sacerdos, quia non est ordinatus, non sequitur Petrum valide ordinatum non esse sacerdotem. 2°. Dixi, *Transeat antecedens.* De infallibilitate enim Ecclesiæ Judaicæ inter Theologos disputatur; vid. D. 11, n. 467, &c.

219. *Object.* 42. Christus et Apostoli, etsi infallibilem auctoritatem habentes, non tamen *ut* eam habentes docuerunt. Doctrinas enim suas argumentis et rationibus adductis firmant: v. g. Christus ad Scripturas provocat, Joan. v. 39:—"Scrutamini scripturas, &c.," et ad opera sua miraculosa, ibid 36, et xiv. 12:—"Ipsa opera quæ ego facio. testimonium perhibent de me:" "Propter opera ipsa credite." S. Paulus (1 Cor. xv.) argumentis probat resurrectionem mortuorum, et (Galat.) legalium abrogationem: &c. &c. Ex hoc modo agendi concluditur Ecclesiam docere non debere ut magistram infallibilem, et ergo non esse infalli-

bilem. MAURICE, apud GIBSON, iv. pag. 284, &c. SHERLOCK, ibid. pag. 338, &c., et alii.

220. *Resp.* Nego primam propositionem, vel Distinguo: Ob fines sapientes, non *semper* nec *omnibus* suam auctoritatem infallibilem, ut rationem credendi solam, proposuerunt: Concedo: Vel semel etiam, ut auctoritate infallibili carentes, se vel implicite vel explicite, vel directe vel indirecte, gesserunt: nec regulariter, nec, cum non existerent isti fines, semper se ut infallibiles gesserunt: Nego. Ad hanc objectionem penitus profligandam, sequentia in contrarium dicimus et demonstramus. I. Christus, Joan. v. 36 et 39, argumenta illa profert ut Judæos ad auctoritatem suam divinam, quam negabant, accipiendam adduceret. Ipsa hæc ejus divina auctoritas sola erat, vel saltem ordine prima doctrina hic ad credendum proposita, quæ sane, contra eam negantes et respuentes, si argumentis firmanda esset, non potuit se ipsâ nudâ firmari.

221. II. Quoad Joan. xiv. 12, verba quidem ibi prolata ad ipsos Apostolos habita sunt, sed 1°, priusquam robur illud in fide magnum et invictum accepissent, imo quo tempore, passione Domini jam instante, infirmi et pavidi erant et, statim ante auditâ prædictione Christi de negatione Petri, mœsti et turbati: xiii. 37, 38; xiv. 1. In iis statim versandi erant adjunctis summe periculosis, in quibus omni ope et præsidio indigerent (vid. infra, n. 222, 2°). Sedulo notandum est 2°, Christum hic loqui de operibus, i. e. miraculis, non ut argumentis quibus proxime et directe, seu seclusa auctoritate et magisterio Christi miracula operantis, et quasi per se, aliqua doctrina firmaretur (hoc enim miracula non efficiunt, nec efficere possunt); sed ut argumentis quæ *suam in docendo auctoritatem in-*

fallibilem et divinam demonstrarent: q. d. si verbo meo per se non credatis, credite propter auctoritatem meam miraculis confirmatam. Tantum ergo abest ut hujusmodi loci propositionem objectionis firment, ut directe oppositum plane firment, nempe, Christum suam auctoritatem infallibilem non solum non seposuisse, sed eam ut unicum vel saltem ut summum et ultimum motivum credendi proposuisse.

222. III. Non solum in epist. ad Romanos et ad Galatas sed et in aliis suis epistolis, præter auctoritatem suam, ad doctrinam Catholicam suadendam et firmandam, alia plurima argumenta profert S. Paulus: idque quadruplicem ob finem. 1°. Argumenta profert contra hæreticos, et præsertim contra falsos illos doctores et lupos rapaces, qui fideles ad suos errores recipiendos seducere omnibus modis conati sunt. 2°. Fideles eo tempore extiterunt, prout hodie semperque existunt, qui, etsi habitum fidei tenuerint verique fideles fuerint, plus tamen minusve in fide infirmi erant. Iis qui hujusmodi sunt perutile est varia proponere argumenta, eorum captui et conditioni accommodata, quibus doctrina Catholica confirmatur, et vanitas errorum ei contrariorum demonstratur. Hisce argumentis fidelium fides roboratur, patefiunt fraudes hæreticorum insidiantium, eorumque incursus depelluntur, ipsaque docentis auctoritas multum firmatur. 3°. Fides, sicut et ceteræ virtutes theologicæ, quasi in infinitum augeri potest: et qui fidem habet firmissimam, firmiorem adhuc habere potest. Jamvero argumenta varia, quæ suis singula modis veritates fidei firmant et illustrant, pie saltem animatorum assensum fidei magis magisque firmum reddere plane nata sunt. Etsi enim argumenta ista non efficiant ipsum fidei motivum, tot sunt tamen quasi motiva

credibilitatis, quæ rationabilitatem credendi magis magisque declarant, et ratiunculas in contrarium magis magisque dissolvunt et dissipant. 4°. Non solum assensûs firmitatem augere possunt istiusmodi argumenta, sed etiam ut anima altius a terrenis ad Deum attollatur et amore ejus accendatur, in iisdem pie animatis, haud parum adjuvant. Vid. PERRONE, de Locis, P. 3, n. 274, &c.

223. IV. Christum et Apostolos *regulariter* docuisse ut auctoritatem supremam habentes, ex sermonibus Christi in Evangeliis, ex Actibus Apostolorum et ex Epistolis, adeo manifestum est, ut nullus hoc, quod sciam, in dubium revocare ausus sit.

224. *Object.* 43. Certus esse non possum aliquem esse infallibilem, nisi, propria mea examinatione, certus sim eum nihil docere quod verbo Dei adversetur. SHERLOCK, ibid. pag. 340, &c. et alii passim. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Si testimonium Dei affirmantis eum esse infallibilem non habeam: Transeat: Si testimonium illud habeam certum et clarum: Nego. Eo ipso enim quod a Deo declaretur esse infallibilem, declaratur eum nihil docere nec posse docere quod verbo Dei non cohæreat.

225. *Object.* 44. Qui credit et profitetur infallibilem auctoritatem Ecclesiæ, de dogmatibus particularibus congruenter disputare non potest, v. g. de transubstantiatione, de cultu imaginum, &c.: hæc enim dogmata ab Ecclesiâ solâ accipiuntur. SHERLOCK, apud GIBSON, xi. 110, et alii.

226. *Resp.* 1°. Distinguo: Non potest disputare: quasi argumenta specialia pro dogmatibus istis particularibus, et non auctoritas Ecclesiæ, ratio unica ipsi essent dogmata credendi: Concedo: Quasi argumenta illa non essent utilia ad fidelium fidem firmandam, &c. (n. 222);

vel utilia ad aperiendos oculos acatholicorum, qui scintillas istas et radiolos veritatis videntes, forsan ad ipsum lumen gradatim pervenient; vel efficacia ad refellenda sophismata et calumnias eorum qui nonnisi de dogmatibus illis particularibus disputare volunt: Nego. *Resp.* 2°. ad ratiunculam subjunctam. Distinguo: Dogmata ab Ecclesiâ solâ accipiuntur, quæ fide Catholica creduntur: Concedo: Ut veritates revelatæ, non alio argumento, præter auctoritatem infallibilem Ecclesiæ, demonstrari et defendi possunt: Nego.

227. *Object.* 45. Ecclesia infallibilis usum et exercitationem rationis individuæ necessario perimit. *Idem*, ibid. pag. 113, et alii antiquiores et recentiores communissime.

228. *Resp.* Distinguo: Auctoritate infallibili a Deo constitutâ, non solum auctoritas hæc necessario prohibet, sed ipsa ratio clare docet sibi prohibitum esse, ne contra judicia et definitiones illius auctoritatis exurgere audeat, sed eas simpliciter summaque reverentia et obsequio accipiat: Concedo: Ultra hoc, auctoritate infallibili perimitur, vel etiam ullomodo coercetur usus rationis: Nego. Ad hanc adversariorum cantilenam perabsurdam omnino comprimendam, sequentia breviter noto. 1°. Non solum in scientiis pure naturalibus, mathematicis, mechanicis, astronomicis, &c. &c. veritates numero fere infinitas invenire potest, prout revera jam invenit, humana ratio; verum etiam in religione naturali veritates haud paucas, tum dogmaticas tum morales, eas præsertim quæ primariæ vocantur, certo cognoscere potest. Statim vero atque enititur ut veritates ordinis supernaturalis vel ordinis naturalis difficiliores, propriis suis viribus, cognoscat, prima quam in ista contentione discit veritas, sua est infirmitas

et cæcitas, sua est impotentia, quoad veritates supernaturales prorsus absoluta, quoad naturales ad minus moralis. Pro comperto habet se non posse, nisi medio quodam extrinseco, et has et illas cognoscere. 2°. Jamvero ex principiis illis ordinis naturalis quæ novit, pariter compertum habet ratio Deum *posse* veritates has indeprehensibiles patefacere ; et *posse* per aliquem cœtum selectum successionem perpetuam habentem, ut sic in finem mundi omnibus inquirentibus communicentur, eas patefacere ; et *posse*, decreto absoluto, hunc cœtum, in iis tradendis, ab omni errore perpetuò immunem conservare ; et *posse* hominibus revelare se hunc cœtum, eumque ab errore immunem, constituisse ; et *posse* signa statuere, quibus in perpetuum hic cœtus ab aliis ficticiis cœtibus certo discernatur. Nullum ex his nisi a puro deista vel atheo negari potest. Porro eadem ratio recta, ex iisdem principiis, similiter pro comperto habet quod, *si* reapse Deus hæc omnia præstiterit, eatenus usus ejusdem rationis coerceri debeat quatenus omnia ab eo cœtu tradita et definita, omni seposita inquisitione et judicio privato, absolute accipienda sunt. Assensus sic datus non solum rationi non adversatur, sed ei summe consentaneus est : *inter omnes actus rationabiles, ipsa ratione duce, alius non datur nec dari potest actus rationabilior.* 3°. Salvis illis traditis et definitis, et quidem, sicut et in omni alio genere agendi, salva justitia, charitate, prudentia, &c., filiis suis libertatem plenam et expeditam permittit, et universum mundum disputationi eorum relinquit Ecclesia (Ecclesiastes, iii. 11). 4°. Imo systema Catholicum mirifice rationem et intellectum humanum exercere, excolere et perficere, ejusque incrementa evehere, non solum in iis quæ extra ipsum dogma sunt, sed etiam in ipsis doctrinis

revelatis et definitis enucleandis et illustrandis, late et invicte demonstrat PERRONE, in commentatione illa vere aurea, "De Analogia Rationis et Fidei," quæ Tertia pars est tractatûs "De Locis Theologicis."*

229. 5°. Hoc ultimum argumento, ut aiunt, *ex facto*, et quidem certo et aperto, extra omne dubium ponitur. Ex una parte, recenseas, non dico omnes Theologos nóstros qui a tempore schismatis Protestantici floruerunt, sed paucos tantum eorum qui inter illos Theologos eminuerunt. Recenseas, ex altera parte, omnes qui in castris Protestantium Anglicorum et ceterorum ex eodem tempore insigniores et præstantiores extiterunt. Remota omni cogitatione et ratione veritatis doctrinæ ex utraque parte, solis inspectis, perpensis et inter se collatis animi et ingenii facultatibus, rationis viribus, ratiocinationis claræ, justæ et solidæ exercitationibus; sciens certusque affirmo illos super hos excellere atque eminere, sicut super pusiones viri robusti, sicut super pygmæos gigantes.

230. *Object.* 46. Plurima congesserunt adversarii facta particularia, ex historia ecclesiastica et ex scriptis antiquorum, ut ostenderent Ecclesiam de facto errasse. Omnes illæ objectiones vel in nostris doctrinis male intellectis et depravatis, vel, quod longe communius fit, in mendaciis turpissimis fundantur. Unam tantum ex illis, quæ apud adversarios celeberrima est, brevissime hic perstringemus. Ceteras apud Auctores videas.

Universalem fuisse, post Concilium Ariminense habitum (anno 359), a fide orthodoxa defectionem diserte affirmat S. HIERONYMUS:—"Tunc *usiæ* nomen abolitum est: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Inge-

* Vid. Conc. Vaticanum, Constit. Dei Filius, c. 4. 1874.

muit totus orbis, et Arianum se esse miratus est." Dialogus adversus Luciferianos, n. 19.

231. *Resp.* 1°. Certum est Arianos cum Catholicis collatos numero paucos semper fuisse. 2°. Ariminensis Concilii Patres Arianæ hæreseos labe nunquam esse fœdatos ex ipso HIERONYMO demonstrat NATALIS ALEXANDER, Diss. 33, in 4 sec. 3°. Plane ergo exaggerata sunt verba S. HIERONYMI. Hujusmodi superlationis usus in colloquiis familiaribus ubique communis est: et in S. Scriptura exempla habentur:—"Ecce, mundus totus post eum abiit:" Joan. xii. 19: "Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros:" ibid. xxi. 25. 4°. Formula in Concilio Ariminensi probata, ab Ecclesia rejecta fuit, non quia sensu Ariana, sed quia non satis plena et perfecta fuit, et quia ideo Ariani veteratorii eam sensu pravo, ipsis favente, et a mente Concilii prorsus alieno, interpretati sunt. 5°. Non affirmat HIERONYMUS totum orbem *esse* Arianum, sed *mirari* se esse i. e. pro Ariano haberi, et Arianum apud Arianos, et *secundum eorum calumniam*, esse, cum revera non sit. Et hic mihi videtur verus esse sensus hujus loci: nemo enim miratur se id esse, quod proprio opere et omnino voluntarie factum est.

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

PARS SECUNDA:

DE REGULA FIDEI ET ECCLESIA DOCENTE.

CAPUT UNDECIMUM.

DE TRADITIONE.

Sectio Prima.—*Introductoria.*

1. Duplicem sensum habet vocabulum *Traditio*: significat enim vel ipsam rem traditam, quatenus traditam, vel medium quo tradita est. Dogma (idem in posterum de legibus, factis et ceteris quæcunque traduntur dicendum est) in S. Scriptura diserte et manifesto contentum, v. g. resurrectio Christi, revera, ut hoc modo transmissum, dogma traditum est, et traditio vocari potuit. Usu tamen antiquissimo venit, ut traditiones non vocentur nisi dogmata quæ (sive in S. Scriptura clare contineantur, sive non) aliâ viâ transmissa sunt, vel *quatenus* aliâ viâ transmissa sunt. Traditio ergo ipsum dogma traditum significans, definiri potest *Dogma alio medio præter Scripturam transmissum*, vel *quatenus alio medio transmissum*. Traditio medium tradendi significans est, *Medium a Scriptura diversum, quo transmittuntur dogmata*.

2. Traditio rem traditam sonans, multiplex est. *Divina* est traditio quæ Deum ipsum auctorem habet, quale est omne dogma revelatum et lex divina. *Apostolica* est quæ Apostolos habet auctores, qualis est, ex sententia communi, obligatio jejunii quadrigesimalis. Traditio divina aliquando

apostolica vocatur, utpote per Apostolos primum evulgata. Quæ autem pure apostolica est ab Apostolis, ut pastoribus Ecclesiæ, sine divino mandato, ortum habuit: sola auctoritate apostolica nititur, et eadem auctoritate, quæ integra et perpetuo in sede B. Petri manet, temperari vel penitus tolli potest. *Ecclesiastica* traditio ex veteri Ecclesiæ consuetudine oritur. Patet traditiones pure Ecclesiasticas non posse in materia fidei versari.

3. Hujus capitis unicum argumentum erit de traditione dogmatum fidei: *tum* quia de ista traditione, si non tota, saltem præcipua nos inter et Protestantes agitatur controversia; *tum* quia, soluta quæstione de traditione dogmatica, ceteræ quæ moveri possunt vel moventur quæstiones, eo ipso solvuntur.

4. "Sacrosancta, œcumenica et generalis Tridentina Synodus . . . hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis, Dominus Noster Jesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinæ, omni creaturæ prædcari jussit: perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia sus-

cipit ac veneratur. [Hic datur index librorum S. Scripturæ] . . . Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit; anathema sit." Concil. Trident. Sess. 4.

5. Tria sequentia vel diserte vel æquivalenter plane docet Tridentinum :—1°. De facto dantur traditiones, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, quæ in S. Scriptura non continentur. 2°. Traditiones istæ pari pietatis affectu et reverentia, cum S. Scriptura, suscipiendæ et venerandæ sunt. 3°. Ideoque quod traditiones ad nos usque, non per S. Scripturam, sed quasi per manus traditæ, pervenerunt, omnino sufficit ut eadem suscipiantur reverentia quæ S. Scripturæ debetur. Vel, forma contraria, nulla doctrina ideo abjici potest, quia mera traditio est, seu, quia in Scriptura non continetur.

6. Quidam Protestantes, ut Whitaker, pag. 501–2; Wake, apud Gibson, xii. 216; Goode, vol. 1, pag. 1, 14; Browne, in Art. 6, S. 1, § 2, n. 1 (pag. 179), concedunt dogma quodvis, *si* demonstraretur illud viâ traditionis esse transmissum, eo ipso esse recipiendum. Sed negant Christum aliud præter Scripturam constituisse vel probasse medium, quo dogmata transmitterentur: et ideo omnia dogmata tradita, quatenus pure tradita, rejiciunt. Negant ergo factum, *quia* negant jus.

7. Imo non pauci Theologi Protestantici pro fundamento et crepidine Protestantismi habent propositionem, quæ affirmat Scripturam esse regulam fidei solam et unicam a Deo constitutam: cui quidam doctrinam addunt aliam in hac revera implicatam, nempe, doctrinam Protestanticam de judicio privato :—quædam de hoc testimonia vid. D 12, n. 11.

SECTIO SECUNDA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO.—*Præter Sacram Scripturam, ut regulam fidei Christianæ remotam, et Traditionem constituit Deus.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura, et ex Rationibus Theologicis.

8. Argumentum I. Quod in ipso initio mundi divinitus constitutum est, ut medium non solum aptum sed, usque ad Moysen, *unicum*, quo per universum orbem disseminarentur et transmitterentur omnes omnino veritates, et revelatæ et non revelatæ, a loco in locum, ab ævo in ævum—hoc sane medium, nisi divinæ isti ordinationi derogatum fuerit diserte, ad finem mundi permanet medium ad eadem exsequenda aptum. Atqui Traditio ut medium hujusmodi universale ipso initio mundi constituta est a Deo: neque huic ordinationi unquam derogatum fuit. Ergo.

9. Major propositio per se manifesta est: quod enim semel a Deo ut medium constitutum est universale, ad omnes omnino veritates a loco in locum, a seculo in seculum, transmittendas, nisi id Deus ipse vel sublatum esse vel infirmatum significaverit, in vigore suo permanet. Quæ autem in contrarium urgeri possunt infra, n. 29, &c. dissolventur.

10. Minor ex duabus constat partibus; nempe, traditionem ab initio, ut medium &c., fuisse constitutam a Deo; et huic constitutioni nunquam esse derogatum.

Primo: probatur pars prima. Sedulo hic notandum est, et perpetuo in tota hac materia excutienda præ oculis tenendum, per traditionem hic significari omnia alia media

transmittendi veritates, præter scriptum *inspiratum*, seu S. Scripturam: hanc enim medium unicum esse transmittendi revelata divinitus constitutum tenent adversarii, omne aliud medium rejicientes. Jamvero vel dicendum est nullum a Deo constitutum fuisse medium ad veritatem quamcunque, usque ad Moysen transmittendam, vel dicendum est traditionem toto eo tempore medium, et quidem universale et unicum, extitisse: ante Moysen enim nullum erat scriptum inspiratum. Imo vel admittenda est traditio, ut simpliciter medium transmittendi veritates universale et perpetuum, vel dicendum est omnes veritates, quæ extra S. Scripturam inveniuntur, et quarum notitiam non nos pro nobis ex evidentia intrinseca comparavimus, sed quas a majoribus ut testibus accepimus, prorsus incertas esse. Hujus generis ex sua natura et essentialiter sunt omnia facta præterita, facta historica, facta biographica; hæc et illa imperia, reges, populos olim extitisse, hæc et illa prælia facta fuisse; vitæ, mores, sententiæ hominum, regum, philosophorum, qui olim floruerunt, &c. &c. Hæc omnia sola via traditionis transmissa sunt. Sunt quidem quæ ad nos traditione falsâ vel dubiâ pervenerunt, sicut et sunt quæ testimonio falso vel dubio coætaneo nituntur; de quibus, intra, n. 42, &c.

11. *Secundo:* probatur secunda pars. Huic ordinationi nunquam derogatum est: derogatum enim fuisset vel explicite, nempe, diserte in S. Scriptura (adversarii enim omne aliud revelationis vehiculum abjiciunt), affirmando traditionem, ut medium transmittendi revelata, abolitam esse, et in ejus locum succedere S. Scripturam; vel implicite, ea nempe affirmando ex quibus plane sequeretur traditionis abrogatio. Atqui neutro modo ordinationi ill

derogatum fuisse, ex disjectis quæ in contrarium afferri possunt, n. 60, &c., patebit.

12. Ex his manifestum est (contra SHUTTLEWORTH, præfat. pag. vi.) onus probandi Protestantibus omnino incumbere. Traditio enim est, ut aiunt, in possessione; et in possessione ab ipso Deo constituta est; quam ergo jure retinet, donec in contrarium proferantur documenta certa et clara.

13. ARGUMENTUM II. Si S. Scriptura depositarium fidei sit unicum et solum, dogma hoc in ipsa Scriptura clare significari debet; vel saltem ita in Scriptura significari debet, ut certo et clare ex ea demonstrari posset. Atqui non solum non clare in Scriptura declaratur, sed in ea nec minimum fundamentum habet.

14. Minor propositio, ex natura rei, probatur demonstrando nullum in universa Scriptura existere textum, in quo dogma illud declaratur, vel ex quo erui potest. Et quoniam, si talis existat textus, credi sane non potest eum, per tota hæc tria secula, tot Theologorum Protestanticorum aciem et industriam effugisse, et adhuc inveniendum esse; si ergo in nullo ex textibus ad doctrinam Protestanticam firmandam prolatis, doctrina illa declaretur vel insinuetur, causa finita est. Minor igitur probatur evertendis objectionibus, n. 59, &c., quæ textus istos exhibent et urgent.

15. Probatur major. *Primo* 1°. Si S. Scriptura sit regula fidei sola, dogma hoc apud Protestantes fundamentale esse debet, imo inter fundamentalia fundamentalissimum: supra, n 7. Si ergo dogma hoc in Scriptura non contineatur necessario, dogma ipsum aperta est contradictio in terminis: affirmatur enim omnia dogmata fundamentalia in Scriptura contineri, et simul conceditur ipsum dogma hoc affirmans in ea non contineri. 2°. Sive dogma hoc

fundamentale vocent, sive non, affirmant nihil esse ut dogma fidei credendum, nisi in Scriptura legatur vel ex ea probari possit. Ergo vel dogma hoc in Scriptura continetur, vel non est credendum ut dogma fidei.

16. *Secundo.* Scripturam esse unicum depositarium fidei in ea significari debet, si in ea pluries diserte significetur, non Scripturam solam, sed Scripturam et traditionem esse regulam fidei completam. Unum tantum et alterum textum hic proferemus: ceteri videantur, D. 12, n, 47, &c.

17. "Itaque, fratres, state: et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram:" 2 Thessal. ii. 15. Hic non solum proponitur et commendatur traditio, ut regula fidei, ut medium conservandi revelata, sed ipsi Scripturæ diserte et absque ulla conditione æquiparatur. Sermonem vero hic esse, inter cetera, de doctrinis patet 1°, "traditiones, *quas didicistis*:" sane inter has primario fuere doctrinæ: 2°, "*sive* per sermonem, *sive*," &c. quæ forma disjunctiva omnia significat—quasi dixisset "omnes omnino traditiones a me acceptas:" 3°, ex antecedentibus et consequentibus. Sed in re adeo patenti non est opus argumenta congerere.

18. "Denunciamus autem vobis . . . ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem [παραδοσιν], quam acceperunt a nobis:" ibid. iii. 6. Hanc traditionem eandem esse cum traditionibus, de quibus jam antea, seu potius earundem partem, nempe, quæ ad regulam morum pertinet, manifestum est. Præcepta autem divina morum in doctrina includuntur.

19. "O Timothee, depositum [παραθηκην] custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt:"

1 Tim. vi. 20, 21. Per "depositum" hic significari corpus doctrinæ quam Timotheo Paulus custodiendam tradidit, patet:—

"1°. Quia ita se explicat Paulus subdens:—'Devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ:' ubi profanas novitates, et falsi nominis scientiam quasi deposito oppositam et contrariam vitari jubet. Si ergo falsi nominis scientia opponitur deposito, sequitur depositum esse veri nominis scientiam, puta sanam doctrinam, quæ vera est sapientia et scientia. 2°. Id ipsum patet ex Epist. ii. ubi hoc depositum iterum atque iterum commendat Timotheo, et iisdem pene verbis, quibus hic utitur, cum ait, i. 13:—'Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu: bonum depositum custodi:' et ii. 2:—'Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus:' et infra, vers. 15, 16:—'Solicite cura teipsum . . . recte tractantem verbum veritatis: profana autem et vaniloquia devita:' ecce tibi idem quod hic ait, 'devitans profanas vocum novitates.'" A. Lapide.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

20. "Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest [i.e. facile seu patens est] respicere, omnibus qui vera velint videre." S. Irenæus, l. 3, c. 3, n. 1.

21. "Ad hanc Ecclesiam [Romanam] propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis Traditio." *Idem*, ibid. n. 3.

22. "Servetur ecclesiastica prædicatio per successionis

ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione." ORIGENES, de Principiis, Præfat. n. 2.

23. "Sufficit his duntaxat verbis ad illa [quasdam novas hæreses] respondere: Hæc Catholicæ Ecclesiæ non sunt, neque ea est patrum sententia." S. ATHANASIUS, Epistola ad Epictetum, n. 3.

24. "Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem quod habeamus a patribus venientem ad nos traditionem, velut hæreditatem quamdam per successionem et Apostolis per sanctos sequentes transmissam." S. GREGORIUS NYSSENUS, contra Eunomium, l. 4.

25. "Traditione quoque opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat:—'Quemadmodum tradidi vobis' [1 Cor. xii. 2]." S. EPIPHANIUS. Hæres. 61, n. 6.

26. "Hinc [ex 2 Thessal. ii. 14] est perspicuum quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio: nihil quæras amplius." S. JOANNES CHRYSOSTOMUS, in 2 Thessal. Homilia 4, n. 2.

27. "Multa quæ non inveniuntur in litteris eorum [Apostolorum], neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur." S. AUGUSTINUS, de Baptismo contra Donatistes, l. 2, n. 12. Idem iisdem fere verbis affirmat, ibid. l. 4, n. 31.

28. "In ipsa item Ecclesia Catholica magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod

ab omnibus creditum est." VINCENTIUS LIRINENSIS, Commonitorium, n. 2.

Vid. argumentum ex actis Conciliorum antiquorum in opere majori a n. 103 ad n. 113.

SECTIO TERTIA.—*Solvuntur Objectiones.*

Objectiones contra Argumenta.

29. *Contra Argumentum* 1. n. 8, &c. *Object* 1. Traditio fuit olim vehiculum sufficiens, ante editam Scripturam. Sed non sequitur eam nunc, post editam Scripturam, sufficere. WHITAKER, q. 6, c. 7, pag. 517; BROWNE, vol. 1, pag. 184; et alii communissime.

30. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Quasi sufficientia traditionis ad illa tempora antiqua fuerit coarctata, et mansura tantum esset usque ad editam Scripturam: Nego: Quasi suam intrinsecam, et a Deo ut auctore naturæ constitutam, sufficientiam tunc habuerit, quam semper habuit habetque: Concedo. Traditionem, ab initio mundi usque ad hunc diem et usque ad finem mundi, *vi termini*, unicum et universale esse medium ab ævo in ævum transmittendi omnes quascunque veritates (saltem quæ ex evidentia extrinseca notæ sunt), in Scriptura non contentas, a nemine negari potest. Neque, exceptis subsidiis accidentalibus decursu temporis comparatis, quorum præcipuum est ars typographica, ullam sufficientiam recentioribus seculis habet, quam antiquis illis seculis non habuit.

31. 2°. Distinguo secundam propositionem: Si ex se, seu ex natura sua, sit vehiculum ineptum; vel si, etsi ex se et per se aptum (etsi inefficax, n. 36), decreto divino

positivo seponatur: Nego. Solutio patet ex dictis in ipso Argumento.

32. *Object.* 2. Deus, dando S. Scripturam, eo ipso, significat traditionem ex tunc sepositam esse. WHITAKER, ibid.; BROWNE, pag. 180, et alii communiter.

33. *Resp.* Distinguo: Si, in genere signi, novum beneficium dando, novum adjumentum, novum medium ad aliquid assequendum, eo ipso, et absque ulla alia significatione, declaretur priora beneficia, adjumenta, media auferri: Concedo: Si non: Nego. Tantum abest ut vel minima scintilla sit momenti in illa objectione, ut, e contrario, seposita omni alia ratione, et sola spectata analogia, ut ita dicam, operum Dei et exundantis et effusissimæ bonitatis ejus et amoris erga Ecclesiam suam, non solum in Nova sed etiam in Veteri Lege, directe oppositum ei quod affirmat objectio vehementissime suaderetur, nempe, Deum, dando hoc speciale adjumentum S. Scripturæ, non illud aliud universale, permanens, et in ipsa lege naturali fundatum (supra, n. 30) abstulisse, sed firmasse et perfecisse.

34. *Urgetur* 1. Deus, cum voluerit revelationem Christianam puram conservari, medium efficacius ad hunc finem assequendum constituit, et medium inefficax sustulit. Atqui medium traditione longe efficacius est Scriptura. Ergo &c. Traditionem vero esse medium valde inefficax, ex eo probatur quod, ante Scripturam datam, cito depravata fuerit fides, et nonnisi apud paucos integra servata. WHITAKER, ibid. et alii.

35. *Resp.* primo: Concedo majorem, ex qua sequitur conclusio gravissima, nullomodo ab auctore intenta: vid. D. 11, n. 118-9.

36. *Resp.* secundo: Nego minorem. Nec traditio nec Scriptura, per se, et sine auxilio divino et speciali, efficax

est medium revelationem Christianam integram et puram per omnia secula et generationes transmittendi. Non traditio, ut nobiscum tenent adversarii. Non S. Scriptura. Non in cortice nudo verborum Scripturæ, sed in sensu eorum vero, dogmata revelata continentur. Etsi ergo eadem ipsa verba ab auctoribus inspiratis scripta transmittantur, si sensus ex iis non verus sed pravus exprimatur, manifestum est in isto casu Scripturâ non transmitti fidem veram. Ommnes Protestantes, tum intra tum extra Ecclesiam Constitutam, Scripturam pro sola regula fidei habent; eamque se sæpius præ manibus habere, et nonnisi contenta in ea vel educta ex ea ut dogmata fidei se credere gloriantur. Quæro ab aliquo Protestante docto et candido, An credat veram fidem Christi omnibus sectis Protestanticis conjunctim Scripturâ transmissam esse? Affirmative respondere non potest, nisi affirmando veram fidem Christi colluviem esse omnium dogmatum fidei inter se adeo repugnantium, quæ in gurgite illo vasto commiscentur. An cuidam ex illis sectis particulari, vel cuidam sectarum illarum numero? Cuinam ergo? an Puseyitis? an Evangelicalibus? an Methodistis? an Ecclesiæ inferiori? an Presbyterianis? &c. &c. &c. *Factum* est ergo apertum, apud Protestantes ipsos veram fidem Christi Scripturâ non esse certo et tuto transmissam.

37. *Resp.* tertio: Nego minorem vel minimum illa specie facti allati firmari, nempe, fidem magis aut citius ante Scripturam datam depravari, quam post; i. e. in iisdem adjunctis et, ut aiunt, ceteris paribus. Hoc præ mente sedulo tenendum est: si enim circumstantiæ sint diversæ, non rite comparari potest vis traditionis cum vi Scripturæ, in fide conservanda et transmittenda.

Moyses, quod sciamus, primus fuit scriptor inspiratus, vel saltem, nemine negante, inter primos. Ante Moysis

tempora ergo, sola traditione conservata et transmissa est fides: a Moyse ad Christum Scripturâ conservata et transmissa est (Scripturâ *solâ*, argumenti gratia, concedamus: quod tamen ut verum nullomodo tenemus). Ab Abraham ad Moysen, extra familiam et cognatos Abrahæ et posteros ejus per Isaac, veros extitisse fideles, valde probabile est. De Melchisedech, Abrahæ coætaneo, (Genes. xiv.) nullum dubium moveri potest: et valde probabile est Job paulo ante Moysen vixisse. Sed quoniam de fidelibus qui, sive ante sive post Moysen, inter Gentes extiterint, paucissima nota sunt, de solis Judæis ante et post Moysen, i. e. ante et post Scripturam datam, inquiramus.

38. Prima quæstio est, An idem fuerit, quod attinet ad conservationem fidei, status rerum apud Judæos ante et post Moysen? Post Moysen, præsertim usque ad reditum a captivitate et aliquandiu ultra, longa extitit series prophetarum et aliorum quos Deus suscitavit, qui miraculis et prædicatione et scriptis inspiratis populum lapsum vel labentem erigerent. De statu rerum apud Judæos, post obitum filiorum Jacob usque ad natum Moysen, fere nihil in Scriptura habetur.

39. Secunda quæstio est, An securius et purius conservata sit fides in populo Judaico post Moysen quam ante? *Resp.* Omnia documenta quæ hodie extant negativum declarant. Nullibi insinuatur fidem, ante egressum Judæorum ex Ægypto, depravatam esse: dum in seculis insequentibus, vivo etiam ipso Moyse, eos toties tamque turpiter in idololatriam deflexisse ex S. Scriptura adeo omnibus notum est, ut de hoc plura facere verba prorsus supervacaneum esset. Et sic prolapsi sunt, etsi seculis decurrentibus thesaurus Scripturæ plura et pretiosissima

acceperit incrementa, psalmorum, historiarum, prophetiarum, &c.; et ita vox Dei per labia inspirata quasi perpetuo in aures eorum sonuerit.

40. *Urgetur* 2. Ante diluvium et primis seculis post diluvium, propter longas patriarcharum vitas, traditione multo securius transmitti potuit fides pura. Idem dicendum quamdiu his in terris vixerunt Christus et Apostoli. Postea vero necessaria facta est Scriptura. WILLIAMS, apud GIBSON, v. 285; BROWNE, pag. 180–1, et alii communissime.

41. *Resp.* Jam demonstravimus (n. 36, 39), id quod in traditione deficere censeatur Scripturâ nullomodo suppleri posse; et nec traditione nec Scripturâ, sive conjunctim sive separatim, per se et sine auxilio speciali et perenni, conservari et transmitti potuisse integram et puram fidem Christi. Insuper, toto quod ponitur in Objectione concesso (quod tamen ut verum nullomodo concedimus), sequitur tantùm Scripturam fuisse necessariam, non autem, datâ Scripturâ, *eo ipso* sublatam et extinctam esse traditionem: quod tamen non demonstrant adversarii, nec demonstrare possunt. Id nisi demonstrent, nihil, quod ad presentem materiam attinet, demonstrant, et in vanum laborant.

42. *Object.* 3. Traditionis viâ ab initio falsa et vera commixta sunt transmissa. Ergo medium transmittendi incertum est traditio: ergo rejicienda. Ita Protestantes communissime.

43. *Resp.* 1°. Falsa dari potest Scriptura, sicut et falsa traditio: prout insinuat S. PAULUS:—"Ut non cito moveamini a vestro sensu . . . . neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam:" 2 Thessal. ii. 2. Quoad utramque, quod verum est a falso distinguitur

eodem medio, nempe, testimonio et definitione infallibilis Ecclesiæ. 2°. Et viâ Scripturæ, spiritu aut judicio privato interpretatæ et independenter a magisterio Ecclesiæ, falsa transmissa sunt—nisi omnia dogmata omnium sectarum et individuorum qui, seposita auctoritate Ecclesiæ infallibili, ex sola Scriptura suam fidem habere professi sunt, æque vera esse affirmes : vid. n. 36.

44. 3°. Distinguo primam propositionem : Extra Ecclesiam Christi : Concedo : Intra : Subdistinguo : Opiniones individuorum, et alia ad fidem Ecclesiæ non pertinentia : Concedo : In iis quæ ad fidem Ecclesiæ pertinent : Nego. 4°. Distinguo secundam propositionem : Si non accedat assistentia perpetua et efficax Spiritus Sancti, traditio medium incertum esset transmittendi omnia et singula pura et integra : Concedo : Si accedat : Nego. "Bonum depositum custodi *per Spiritum Sanctum*, qui habitat in nobis :" 2 Tim. i. 14.

45. *Contra Argumentum* II. n. 13, &c. *Object.* 4. Contra majorem syllogismi, n. 13. Scriptura unum non est ex materialibus objectis fidei, sed medium tantum seu instrumentum, quo ad nos transmittuntur objecta illa. Ergo dogma affirmans eam esse regulam fidei unicam, necessario non est in ea continendum. CHILLINGWORTH, c. 2, n. 32 et 159.

46. *Resp.* Quoniam, omni adhibita industria, quis sit sensus antecedentis, saltem quod ad præsentem attinet materiam, nullomodo cognoscere potui : igitur Transeat antecedens : Nego consequens. Vel enim explicite aut saltem implicite revelata est hæc propositio, "Scriptura unica est regula fidei," vel nullomodo revelata est. Si sit revelata, et in Scriptura non sit contenta ; ergo existit doctrina revelata, et quidem gravissima, quæ in S. Scrip-

tura non continetur; ergo implicat in terminis doctrina Protestantica. Si hæc doctrina non sit revelata vel ex revelatis educta, ergo figmentum pure humanum est.

47. *Urgetur.* Potest quis salvari, etsi nesciat Scripturam esse regulam fidei ["*a* rule of faith"], vel etiam esse verbum Dei. Ergo Scriptura potius instrumentum est transmittendi objecta fidei, quam unum ex illis. *Idem*, n. 159.

48. *Resp.* Distinguo consequens: Ergo doctrina affirmans Scripturam esse regulam fidei, &c. non est de necessitate salutis *explicite* credenda: Concedo: Ergo non est revelatum Scripturam esse regulam fidei et verbum Dei; vel, si sit unica regula fidei, hoc non debet esse revelatum: Nego. 1°. Non sequitur ex eo quod hæc et illa non sunt in ordine ad salutem necessario credenda explicite, sive necessitate medii sive præcepti, ergo ea non esse revelata, vel non debere inter revelata inveniri. Omnia in Bibliis contenta revelata sunt; sed nonnisi paucissima ex iis explicite credenda sunt in ordine ad salutem. Quæstio non est an doctrina Protestantica sit inter explicite credenda; sed an debeat esse, vel sit inter revelata. 2°. Insuper omnes Protestantes explicite tenent hanc doctrinam, nempe, S. Scripturam esse unicam regulam fidei. Quæro utrum hæc doctrina revelata sit, an non? Si dicant eam esse revelatam; quæro, ubinam inter revelata inveniatur? Si non, &c. ut supra.

Cetera quæ urget CHILLINGWORTH, isto principio sophistico omnia nixa, non opus est ut explicite disjiciantur.

49. *Object.* 5. In Scriptura evidenter continentur omnia necessario credenda; et quod ibi evidenter non continetur non est necessario credendum. *Idem*, n. 156.

50. *Resp.* Distinguo: Omnia necessario credenda in ordine ad salutem: Transeat: Omnia revelata: Subdistinguo: Si vera sit doctrina Protestantica de regula fidei: Transeat: Si falsa, qualem eam esse demonstravimus: Nego.

51. *Urgetur.* Nihil necessario credendum est, nisi quod a Christo ad nos primitiva et universali traditione descendit. Atqui sola Scriptura hoc modo ad nos descendit. Ergo sola Scriptura necessario credenda est. *Idem,* ibid.

52. *Resp.* 1°. Transeat totum: non enim hic quæstio est de *facto*, An Scriptura contineat omnia revelata; sed An sit unicum medium divinitus constitutum ad omnia transmittenda. 2°. Nego minorem, quæ pura est affirmatio. 3°. A Protestantibus affirmari non potest vel ipsam Scripturam, i. e. dogmata contenta in Scripturâ, ad nos pura descendisse: vid. supra, n. 36,

53. *Object.* 6. Non affirmatur in N. Testamento Scripturas V. et N. T. esse solam regulam fidei: quia ante N. Testamentum completum, et dum variæ ejus partes ederentur, hoc verum non esset. GOODE, vol. 2, pag. 70.

54. *Resp.* 1°. Ergo ex N. Testamento demonstrari non potest Scripturam esse solam regulam fidei: et nullum in N. T. fundamentum demonstrabile habet doctrina hæc Protestantismi fundamentalis et cardinalis. 2°. Quæcunque rei reddatur ratio, ipsa *res* nobis sufficit, nempe, doctrinam Protestanticam de regula fidei non contineri in Scripturâ nec ex ea educi, et ergo, secundum hanc ipsam regulam, non esse dogma revelatum obligatorie tenendum.

55. *Urgetur:* 1°. Dum viverent Apostoli, eorum verba, non scripta, regula erant fidei, æque ac scripta. Impossibile ergo erat ["was it, indeed, possible . . . ?"] tempus

definitum statuere, quo verbum scriptum omnibus inciperet esse regula unica : quamdiu enim viverent docti ab ipsis Apostolis, non esset unica regula. *Idem*, ibid.

56. *Resp.* 1°. Impossibile ! et id Deo infinite sapienti et potenti per Apostolos operanti ! 2°. Nonne optime statui potuit, omnibus qui ab Apostolis immediate docti sunt, et doctrinam sic acceptam *et* Scripturam esse debere regulam fidei ; ceteris omnibus in finem mundi, solam Scripturam : vel traditionem quodam præfinito tempore, ut regulam fidei, penitus extinguendam esse, et, usque ad tempus illud, vel totam suam auctoritatem retinere, vel ab ea sensim excidere—eodem fere modo quo Lex Mosaica extincta est, vel aliis modis infinite sapienti clare cognitis.

57. *Urgetur*. 2°. Etsi non declaretur in N. T. Scripturam esse unicam regulam fidei, id tamen ex eo equivalenter educitur hoc modo :—Ex variis dictis Christi et Apostolorum constat Scripturas V. Testamenti solam fuisse Judæis eo tempore regulam fidei : ita et nobis Scriptura sola est regula fidei. *Idem*, pag. 71–3.

58. *Resp.* 1°. Vel conclusio ista ex dictis Christi et Apostolorum rite effici potuit, vel non. Si non, ergo instantia hæc falso nititur, et nulla est. Si rite effici potuerit ergo vere—etsi æquivalenter, indirecte, illative—in N. Testamento, et etiam ab ipso Christo, haud paucis annis ante ullam editam hujus Testamenti Scripturam, et dum adhuc nulla facta est mentio nec, quod sciamus, ulla inter homines extitit suspicio de hujusmodi Scriptura postea edenda, significatur Scripturam esse solam fidei regulam. Ergo falsum est quod affirmat objectio, nempe, nec vere nec convenienter hoc significatum fuisse, imo nec possibile fuisse id significari : n. 53, 55. Ergo illam ipsam objectionem quam urget, ei aperte contradicens, disjicit et peri-

mit hæc instantia. 2°. Diserte fatetur GOODE in V. Testamento non affirmari directe illud unicam fidei regulam fuisse ["We thus find, then, that though there is no direct testimony in the Old Testament to its perfection as the sole infallible rule of faith to the Jews in the time of our Lord," &c. pag. 73]. 3°. Nego antecedens, nempe V. Testamentum Judæis unquam fuisse solam regulam fidei. Nego saltem hoc argumentis a GOODIO vel ab aliis allatis demonstrari. Et, dato antecedente, nego consequens.

Objectiones contra Propositionem.

59. Objectiones quas contra nostram Propositionem proferunt Protestantes, ipsa sunt argumenta positiva, quibus suam doctrinam, nempe, Scripturam esse solam regulam fidei, firmare commoliuntur. Quoniam vero onus probandi Protestantibus totum incumbit, uti demonstravimus; et ergo nullomodo satis est ut nostra *argumenta* objectionibus convellant, sed insuper tenentur propriam *doctrinam* argumentis positivis, præsertim ex S. Scriptura derivatis, firmare; idcirco hæc eorum argumenta positiva, præsertim ex S. Scriptura derivata, diligenter exploranda sunt. Duæ hic ponentur partes. In prima proferemus argumenta quæ ex S. Scriptura conficiuntur; in secunda quæ ex ratione. Argumenta ex SS. Patribus vid. D. 12, n. 364, &c.

§ 1. *Objectiones ex S. Scriptura.*

60. *Object.* 7. Traditio aliquid est Scripturæ additum. Atqui non licet aliquid Scripturæ addere.

61. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Traditio est aliquid additum, ut aliud depositarium et vehiculum fidei distinc-

tum a Scriptura: Concedo: Est aliquid *ipsi* Scripturæ, quasi alia Scriptura inspirita, additum: Nego. 2°. Distinguo minorem: Non licet aliquid addere Scripturæ, quasi partem illius Scripturæ, quod non est pars ejus: Concedo: Non licet addere, i. e., aliud depositarium fidei, præter Scripturam, habere: Subdistinguo: Si Deus aliud depositarium veritatis, nec lege naturali nec lege positiva, constituerit; vel constitutum sustulerit: Concedo: Si, vel lege naturali vel lege positiva vel utraque conjunctim, depositarium aliud constituerit; et constitutum non sustulerit: Nego: secundum demonstrata in argumentis nostris.

62. *Urgetur* minor 1. Si Judæis interdictum fuerit ne aliquid Pentateucho adderent nobis a fortiori interdictum est ne aliquid Scripturæ addamus. Atqui id Judæis interdictum est: ut patet ex Deuteron. iv. 2:—"Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;" et ibid xii. 32:—"Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas." WHITAKER, c. 14, pag. 615, et alii passim. *Nota.* Hic auctor argumenta quæ ex Scriptura profert omnium longe firmissima esse pronunciat ["First, we will produce our arguments from Scripture, as being far the strongest of all"].

63. *Resp.* 1°. Nego majorem: vid. infra, n. 65. 2°. Distinguo minorem: Judæis interdictum est ne ipsi *Legi* —i. e., præceptorum corpori moralium, ceremonialium, judicialium, simplicium aut mixtorum, quæ a Deo illis per Moysen data sunt—quasi partem ejus aliquid adderent; et id auctoritate humana: Concedo: Interdictum aliud *in textibus allatis* continetur: Nego. *Primo.* In illis textibus de sola Lege sermo est. Scio Judæorum moris fuisse totum Pentateuchum nomine Legis vocare, nimirum, ex ea

ejus parte, quæ ad ipsos omnes immediate et usu quotidiano, in rebus cultûs divini, morum, litium, &c. pertinebant. Sed in textibus allatis non integer Pentateuchus sed sola Lex significatur ut ex ipsis textibus clarissime patet, *præcepta*, *mandata*, *facietis*, *implebitis*, &c. Deut. iv. 1, 2, 5, 6, 8; xii. 1, 32. Hæc omnia manifesto Legem solam sonant. Non sequitur, quia novæ *leges* legibus jam datis non essent addendæ, ergo alia non esse addenda; vel solam Scripturam esse regulam fidei.

64. *Secundo.* Non affirmatur, nec ullomodo insinuatur huic verbo nulla licite addi posse, vel addita vel addenda esse: sed *hominibus* seu humana auctoritate ei addere aliquid non licere. "Non addetis," i. e., *vos* non addetis: "nec addas," i. e. *tu*, Israel, non addas. Sane multa postea, auctoritate quidem divina, Pentateucho addita sunt, historica et prophetica. Esto ergo sermonem in illis textibus esse non de Lege sola, sed de toto Pentateucho. Non sequitur 1°, alia non esse a Deo addita vel addenda; 2°, vel quæ in eo scriptæ sunt veritates ex eo solo habendas esse, seu Pentateuchum fuisse solam regulam fidei.

65. *Tertio.* Imo, posita veritate minoris propositionis objectionis, nempe, S. Scripturam V. Testamenti fuisse Judæis unicam regulam fidei, et dogma hoc in textibus allatis, Deuteron. iv. et xii., significari; videretur exinde argumentum haud leve pro causa nostra cogi posse. Si enim, ex significatis in textibus Deut., concludas Scripturam Judæis solam fuisse regulam fidei; ergo, ex eo quod nihil tale significetur in Scriptura N. Testamenti vel de ea, oppositum de hac Scriptura concludas oportet. Sic, si inter nuntio mandata, quædam modo uno et statuto tradi jubeas, nihil de modo tradendi cetera dicens; eo ipso tacite

significas liberum esse nuntio hæc quo placuerit modo apto tradere.

66. *Urgetur* 2. Ratio ob quam prohibitum est addere Pentateucho, erat quia in eo continetur corpus doctrinæ plenum atque perfectum. Ergo a fortiori prohibetur addere Bibliis, ut nunc existunt, utpote continentibus Scripturas et V. et N. Testamenti, et ergo corpus doctrinæ perfectissimum. *Idem*, pag. 615–16.

67. *Resp.* Nego hæc quod omnes et singulas particulas. 1°. Nullibi significatur Pentateuchum continere plenum et perfectum corpus *doctrinæ*. 2°. Nullibi significatur illa ratio prohibitionis. 3°. In textibus Deut. iv. et xii. non est sermo de Pentateucho integro, nec de corpore aliquo doctrinæ, sed de sola lege; ut supra, n. 63, probatum est.

68. *Urgetur* 3. Contra n. 64. Summa fidei Christianæ, et singuli articuli Symboli probari possunt ex Pentateucho. Ergo nihil doctrinale a Prophetis vel Apostolis additum est. *Idem*, pag. 618.

69. Etsi, fundamento totius objectionis convulso, eo ipso convulsæ sint omnes hujusmodi instantiæ, breviter tamen *Resp.* Transeat antecedens, quæ verò falsissima est. Nego consequentiam. Quæstio non est, An ea quæ explicite credenda sunt, necessitate vel medii vel præcepti, ex Pentateucho probari possint; nec, An articuli Symboli; nec, An fundamentalia Protestantium (ut de ista distinctione eversa hic taceam); sed An Pentateuchus vel tota Scriptura sit solum depositarium *totius* fidei Christianæ; ita ut nullum aliud sit ejus depositarium; vel, si velis, ita ut *omnia* dogmata illius fidei in Scriptura contineantur.

70. *Object.* 8. "Contestor enim omni audienti verba

prophetiæ libri hujus: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ," &c. Apocal. xxii. 18. Ergo nullum est dogma extra S. Scripturam. *Idem*, pag. 621, et alii veteres et recentes communissime.

71. *Resp.* Loquitur S. Joannes de ipso libro Apocalypseos *solo*, ut ex ejus verbis nimis apertum est: "verbo *prophetiæ* libri *hujus:* si quis apposuerit ad *hæc.*"

72. *Urgetur* 1. Ex data responsione non sequitur traditiones Romanas hoc textu non prohiberi. *Idem*, pag. 622.

73. *Resp.* 1°. Quæstio non est an tradita nostra vera sint, sed an traditio sit regula fidei. 2°. Nego. Plane enim sequitur, nec nostras traditiones, nec alias quascunque hoc textu prohiberi. Loquitur enim S. Joannes de adulteratione hujus libri Apocalypseos, et de hoc solo loquitur: nihil dicit de traditione, vel pro vel contra.

74. *Urgetur* 2. Ex eadem ratione, ex qua non licet Apocalypsi addere, nec alii cuicunque libro Scripturæ licet addere. Ergo libri illi plenum et perfectum corpus doctrinæ continent, extra quod nullum est dogma quærendum. *Idem*, ibid.

75. *Resp.* 1°. Distinguo antecedens: Non licet alii cuicunque libro addere aliquid, quasi partem ejus, et quasi ab auctore scriptum: et ratio hujus prohibitionis quoad Apocalypsim, urget et quoad ceteros libros: Concedo: Non licet aliquid addere, non isto modo, sed ut quid omnino distinctum: Subdistinguo: Si Deus id prohibuerit; vel si sic additum ut revelatum, non sit vere revelatum: Concedo: Si Deus id non prohibuerit; vel si additum ut revelatum, vere sit revelatum: Nego. Solutio ex dic-

tis patet. 2°. Nego consequens et consequentiam, quæ plane nulla est.

76. *Urgetur* 3. Hæc prohibitio, in fine N. Testamenti posita, videtur ad totum N. Testamentum pertinere. Ita vulgo auctores et prædicatores Protestantici minus docti.

77. *Resp.* 1°. Jam demonstravimus S. Joannem de solo libro Apocalypseos loqui. 2°. Vocabulum *βιβλιον*, etsi sæpius in N. Testamento usurpatum, nullibi significat totum corpus scriptorum sive N. sive V. Testamenti: sed in omni loco in quo invenitur, significat scriptum particulare, sive sacrum sive profanum, de quo in loco sermo est. Hæc, quibus alia adjici possent, sufficiant.

78. *Object.* 9. "Licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit;" Galat. i. 8, 9. Qui aliud prædicant evangelium, præter evangelium Pauli, anathematizantur. Atqui propugnatores traditionis aliud prædicant evangelium, præter evangelium Pauli: totum enim evangelium Pauli in Scriptura continetur. WHITAKER, pag. 623; qui dicit hunc insignem esse locum, et ab omnibus Theologis, qui contra traditiones Romanas scribunt, prolatum.

79. *Resp.* primo. Distinguo majorem: Qui aliud prædicant evangelium, præter, i. e. contra, vel extra simul et contra (quod enim contra est, eo ipso extra est): Concedo: Præter, i. e. extra ea quæ in evangelio S. Pauli contenta sunt: Subdistinguo: Quæ Paulus Ecclesiis prædicavit easque docuit, et scripto et ore, præsertim ore: Transeat (quæstio enim est de iis quæ extra Scripturam prædicarentur); etsi rite intellecta concedi potest: Quæ scripto solo docuit: Nego. I. Præter, *παρα*, hic significare

contra (sive sensus hic ipso vocabulo, sive contextu significetur, modo verus sit loci sensus, nihil refert), quod et alibi in N. Testamento significat (Act. xviii. 13; Rom. i. 26; iv. 18; xi. 24; xvi. 17), patet 1°, ex contextu:—"Miror quod sic tam cito *transferimini, ab eo* qui vos vocavit in gratiam Christi, in *aliud* evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt *convertere* [evertere, depravare] evangelium Christi. Sed licet nos," &c. vers. 6, 7. Ex his constat S. Paulum de alio evangelio ficto et ementito loqui, a pseudoapostolis prædicato, quod erat depravatio evangelii Christi, quodque accipientes eo ipso a Christo exciderunt. Idem patet ex modo quo, vers. 11, 12, de suo evangelio loquitur, ut cum isto alio pseudoapostolorum evangelio collato:—"Notum enim vobis facio, fratres, evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est *secundum hominem:* neque enim ego *ab homine* accepi illud," &c. Quibus verbis insinuatur illud aliud evangelium pure humanum fuisse. 2°. Ita multi Protestantes, SCHLEUSNER, PARKHURST, (ROSE), ROBINSON, iii. 4, in voc. ROSENMULLER, BLOOMFIELD, ALFORD, &c.

80. II. Etiamsi vocabulum illud significet *ultra* seu *extra;* 1°, Quidquid voluerit S. Paulus, certe non voluit nihil aliud acceptandum esse, undecunque propositum, ultra ea quæ ipse evangelizavit. Non enim evangelizavit Apocalypsim, quæ postea data est. 2°. Vel S. Paulus Galatis evangelizavit totam revelationem Christi, vel non. Si 1^{um} dicas; et nos concedimus et tenemus nihil evangelio illi addi posse per traditionem: traditio enim non verbo Dei, sed verbo Dei *scripto*, addit. Adversariorum est demonstrare omnia esse scripta. Si 2^{um} dicas (quod mihi multo probabilius videtur: vide ESTIUM, in loc.);

illos sane non anathematizavit S. Paulus, qui revelata, ab eo non prædicata, prædicarent.

81. *Resp.* secundo. Nego minorem, in sensu distinctionum jam datarum : et absolute nego rationem ei subjunctam, nempe, totum evangelium S. Pauli in Scriptura contineri. Hoc sine ullo fundamento affirmatur.

82. *Urgetur* 1°. Probatur minor. Totum evangelium S. Pauli in Scriptura continetur. Beroenses enim (Act. xvii. 11) evangelium et doctrinam S. Pauli cum Scriptura nempe, V. Testamento, comparabant. Ergo evangelium et doctrina illa in S. Scriptura continentur. *Idem*, ibid.

83. *Resp.* 1°. Ergo tota fides Christiana, saltem tota illa quam Galatis prædicabat S. Paulus, in V. Testamento continetur! 2°. Quo fine Beroenses scrutati sunt Scripturas, infra videbitur, c. 12.

84. *Urgetur* 2. S. Paulus affirmat se evangelium in integritate sua tota et absoluta Galatis tradidisse. Ergo addita non solum *contra* sed *extra* prohibentur. *Idem*, pag. 626.

85. *Resp.* 1°. Nego antecedens. Nihil tale affirmat vel insinuat. 2°. Dato antecedenti, Nego consequens, vel Distinguo : Ergo nihil addendum traditis a S. Paulo : Concedo : Nihil addendum scriptis ad eo, vel Scripturæ integræ : Nego. Galatas enim, non dando scripta inspirata, sed ore, docuit. Quomodo probatur omnia hæc tradita, postea scripta fuisse ?

86. *Object.* 10. "Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus:" Joan. xx. 21. Ex iis quæ scripta sunt plena et perfecta fides gigni potest. Ergo omnia necessaria in scriptis continentur. *Idem*, pag. 628.

87. *Resp.* 1°. Distinguo antecedens : Plena et perfecta

fides, quam diserte commemorat Apostolus, nempe, Jesum esse vere Filium Dei (et quod in hac fide necessario comprehenditur, videlicet, ei esse in *omnibus* a se revelatis credendum, et in omnibus a se præceptis obediendum): Concedo: Fides plena et perfecta quoad *objectum*, i. e., fides objectiva (de qua sola est quæstio in hac materia) plena et perfecta, seu quæ comprehendit omnia revelata: Nego.

88. 2°. Distinguo consequens: Ergo in Scriptura sunt omnia necessaria ut credatur Christum esse Filium Dei, et ut credentes habeant vitam (si præscripta ab eo, ut vita habeatur, observent, v. g.:—"Si autem vis ad vitam ingredi serva mandata:" Matth. xix. 17): Concedo: Ergo in Scriptura sunt omnia revelata, et traditio non est regula fidei: Imo, ergo in Evangelio Joannis (de hoc enim scripto solo sermo est in textu) continentur omnia revelata: Nego.

89. Etsi Theologi Protestantici, fere ad nostros hos usque dies, multos ex S. Scriptura protulerunt textus, ut absolute firmos ad demonstrandum, vel directe vel indirecte, Scripturam esse regulam fidei unicam; recentiores tamen quidam, ægre et animo invito, hæc argumenta vel omnia vel maxima ex parte, saltem tanquam decretoria, aperte dimiserunt, ut Goode, supra, n. 53; Browne, pag. 177; &c. alii vero plures, præsertim ex interpretibus S. Scripturæ, ea prætermittentes, tacite abjecerunt. Verumtamen in libris et aliis scriptis Protestanticis, non solum trivialibus sed permultis majora sonantibus, farrago hæc argumentorum, pariter ac si omnino firma essent, et illæsa et intacta stetissent, hodie per has regiones perpetuo obtruditur. His inspectis, alia quædam argumenta Protestantium ex Scriptura educta prolata sunt, D. 12, n. 297, &c., quæ ibidem disjecta videantur.

90. Textus allati passim nobis ab aliis Theologis Protestantibus, ut ibidem insinuavi, objiciuntur. WHITAKERUM vero solum hic nominatim citavi, quia præ ceteris late et laboriose de hac materia disserit; nec opus esse duxi, in iis quæ omnibus vel fere omnibus communia sunt, plurium nomina proferre.

§ 2. *Objectiones ex Ratione.*

91. Objectiones, quæ contra primum Argumentum nostrum urgentur (n. 29, &c.), pleræque ex ratione sunt, et contra ipsam propositionem a multis urgentur: has, utpote jam disjectas, hic prætermittimus. Aliæ sunt objectiones ex ratione, quæ ex inspectis principiis quæ, in nostris argumentis conficiendis, vel in præcedentibus objectionibus solvendis, hic illic traduntur, statim facile solvuntur: has quoque, ad molestas repetitiones vitandas, hic plerumque prætermittimus.

92. *Object.* 11. Quæ scriptis non mandantur facile perduntur: e. g. leges LYCURGI, instituta PYTHAGORÆ, disciplina Druidarum; quæ omnia penitus perierunt et extincta sunt. WHITAKER, pag. 654, et alii communissime.

93. *Resp.* Distinguo: Quæ non mandantur scriptis *inspiratis:* Nego: alioquin omnia extra S. Scripturam periissent et perirent: Quæ non mandantur scriptis vel aliis monumentis tutis, etsi non inspiratis: Subdistinguo: Si res sint nullius pretii, vel quæ nullo pretio habentur, vel quæ pretio aut usu obsoletæ sunt, vel quæ socordibus aut negligentibus custodiendæ traduntur, &c. &c.: Concedo, et Transeat: Si res sint in se et vere pretiosissimæ, et ut tales ab iis habentur quibus custodiendæ traduntur, et si hi custodes summe vigilantes et diligentes sint, et si,

quod omnium maximum est, et ipsi in hoc munere obeundo perenni et efficaci auxilio divino custodiantur; Nego. Instantiæ, quibus W. hanc urget objectionem, omnes eodem falso nituntur principio.

94. *Object.* 12. Regula fidei, ut sit vere regula, debet esse adæquata seu sufficiens. Scriptura est regula fidei. Ergo est sufficiens. Ergo non est opus traditionibus. *Idem*, pag. 657.

95. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Regula fidei proxima: Concedo: Regula remota: Subdistinguo: Si sit unica et tota: Concedo: Si sit partialis tantum: Nego. 2°. Distinguo minorem: Scriptura et traditio sunt regula fidei remota: Concedo: quod et argumentis nostris demomstravimus: Scriptura sola: Nego.

96. *Urgetur* 1. Regula re regulatâ minor esse non debet, sed huic adæquari debet. Ergo regula vera non potest esse partialis. *Idem*, pag. 662.

97. *Resp.* Distinguo antecedens: Regula adæquata seu completa: Concedo: Partialis et incompleta: Nego. Scriptura est quidem regula (Anglice, "*a* rule"), sed Scriptura et traditio sunt regula tota (Anglice, "*the* rule").

98. *Urgetur* 2. Rationes, ob quas revelata scriptis mandata fuere, sunt 1°, ut doctrina securius memoriâ nostrâ teneretur ["might remain more fixedly in our memories"]; 2°, ut depravationi non esset obnoxia; 3°, ut eam melius et certius cognosceremus. Atqui, si propter istas rationes data est Scriptura ut regula, data est ut regula completa. *Idem*, pag. 663.

99. *Resp.* 1°. Nego majorem, quoad omnes et singulas partes. Istas tres rationes, vel etiam ex perpensis iis quæ brevius dicta sunt, n. 36, prorsus vanas et inanes esse patebit; et clarius adhuc ex dicendis, c. 12, de regula

proxima Protestantium. 2°. Nego minorem. Data enim majori, nullomodo sequitur non aliud, præter Scripturam dari depositarium fidei.

100. *Object.* 13. Si Scriptura non sit regula fidei perfecta, omnes Christiani non habent regulam perfectam: omnes enim non sunt traditorum custodes. SHERLOCK, apud GIBSON, xi. 230.

101. *Resp.* Dist. prop. primam et secundam: Omnes, i. e. singuli: Concedo: Omnes, i. e. tota Ecclesia: Nego. Neque enim, si ponatur Scripturam esse regulam fidei perfectam, habent singuli Protestantes regulam perfectam. Multi enim vel non habent, vel habitam legere non possunt, Scripturam: et singuli legentes Scripturam non habent verum ejus sensum: n. 36 et c. 12.

102. *Object.* 14. Si Traditio sit regula fidei, dari debet medium aliquod certum discernendi tradita vera a falsis. Atqui nullum tale medium datur. Ita communiter.

103. *Resp.* 1°. Si Scriptura sit regula fidei, dari debet medium certum discernendi verum ejus sensum a falso. Atqui, apud Protestantes, nullum tale existit medium: ut infra, c. 12, videbitur. 2°. Distinguo majorem: Dari debet medium certum, quo ipsa Ecclesia Docens discernat: Concedo: Præter ipsam Ecclesiam, dari debet aliud medium quo singuli fideles discernant: Nego.

104. *Object.* 15. Traditiones olim plures viguerunt in Ecclesia Latina, quæ hodie non existunt: ut mos communicandi Eucharistiam infantibus; laicis, sub utraque specie; &c. &c. CLAUDE ap. ELLIOTT, pag. 41. *Resp.* Distinguo: Traditiones in materia mutabili disciplinares et rituales: Concedo: Dogmaticæ: Nego.

105. *Object.* 16. Non minus difficile est, ex fontibus

traditionis, tradita vera a falsis discernere, quam verum sensum Scripturæ a falso discernere. Ergo Ecclesia Catholica, ut sibi constet, interdicendo fidelibus usum Scripturæ, debet et usum traditionis interdicere. *Idem*, ibid. et alii.

106. *Resp.* 1°. Ecclesia interdicit usum Scripturæ Protestanticum, nempe, ut regulæ fidei proximæ, seposita auctoritate Ecclesiæ. 2°. Ecclesia usum Scripturæ fidelibus absolute non interdicit, sed appositis quibusdam conditionibus et rationi et Scripturæ convenientissimis, et Scripturæ dignitati et utilitati consulens, permittit: c. 12. 3°. Ecclesia fidelibus proponit id quod primum et maximum est traditorum depositarium et vehiculum nempe, juge semperque vivens magisterium suum et institutionem; quæ regula est fidei, sub diverso conceptu, et remota simul et proxima. 4°. Traditio hæc clarissima est, ejusque usu vera a falsis facillime discernuntur: quæcumque enim probat, vera sunt; quæcumque reprobat, falsa sunt. 5°. Ceterorum depositariorum fidei interdicit usum, qui, independenter ab hac sua institutione et auctoritate, et, quasi iis sepositis, haberetur: eodem modo quo cujuscumque rei, quantumvis in se bonum et licitum, prohibet usum, qui ex malo fine vel cum proximo periculo peccati formalis haberetur. 6°. Demptis hisce pravis adjunctis, eorum usum fidelibus, secundum uniuscujusque ingenii facultates, &c. non solum permittit sed studiose commendat; v. g. lectionem operum Patrum, &c.

107. *Object.* 17. Inter Catholicos non convenit de testimonio, quod idoneum esset ad certo probandum aliquam traditionem esse divinam. *Idem*, ibid., et alii passim. *Resp.* Convenit inter Catholicos *omnes*, definitionem Ecclesiæ testimonium esse certum, supremum, infallibile.

108. *Object.* 18. Si fides Christiana scriptis ab initio non

fuisset consignata, sed traditioni relicta, hodie probabilius fere tota corrupta esset. *Idem*, pag. 42. *Resp.* 1°. Distinguo: Sive tota scriptis (saltem qualia, quoad claritatem sensûs, sunt scripta N. Testamenti), sive tota traditioni, sive partim huic, partim illis, consignata fuisset, sine speciali auxilio Dei perenni et efficaci, hodie, non probabilius sed certo certius, tota corrupta esset: Concedo: Cuicunque vehiculo consignata fuisset, *cum* auxilio illo, corrupta esset: Nego. 2°. Primum membrum distinctionis patet ad hominem, ex eo quod in globo illo sectarum, quæ Scripturam pro unica regula fidei tenent, tota vel fere tota fides Christiana manifesto corrupta est.

109. *Object.* 19. Si traditio sit regula fidei, in vanum scripta est Scriptura. MILLER, pag. 4, et iterum, aliâ formâ, pag. 67, 68, et alii.

110. *Resp.* In vanum! Quasi aliquid donum Dei vanum sit, ex eo quod non sit necessarium, et ex eo quod finis doni, alio dono vel aliis donis Dei, bene attingi possit! Quasi Deus esset, quales tot homines duri et ferrei sunt, donorum suorum avarus! vid. n. 33. Unum argumentum undique firmum sufficit ad probandam hanc vel illam propositionem: ergo vanum est argumentum alterum, tertium, &c.! Revelatio alicujus dogmatis vel facti, semel apud unum scriptorem sacrum patefacta, satis esse debuit; ergo vanæ sunt omnes significationes iteratæ ejusdem dogmatis vel facti, apud eundem vel alios scriptores sacros prolatæ! Una narratio institutionis Eucharistiæ apud Matthæum sufficere debuit: Ergo vanæ sunt ejusdem institutionis narrationes apud Marcum, Lucam et Paulum!

111. *Urgetur.* Si traditio constituta fuisset non solum ut depositarium integrum fidei, sed ad ipsam Scripturam interpretandam, inutilis esset Scriptura: tunc enim non ex

Scriptura sed ex clero (Ecclesia Docente), fidelibus fidei derivanda esset. *Idem*, ibid.

112. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Inutilis esset, i. e. non esset thesaurus ex quo fideles examine privato corpus doctrinæ credendæ desumerent et discerent: Concedo: Non esset thesaurus pro ipsa Ecclesia Docente, vel utilis fidelibus ad fines alios: Nego.

113. *Object.* 20. Qui negant Scripturam esse unicum depositarium fidei, eam faciunt incompletam, et quæ melior effici posset. Hoc autem gravi esset injuriâ verbum Dei afficere. SHUTTLEWORTH, a pag. 22 ad pag. 35, valde declamatorie.

114. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Incompletam, et quæ melior effici posset, eo sensu quod, Deo ita volente, non sit unicum depositarium fidei, vel non contineat omnia revelata: Concedo: Alio sensu (quod attinet ad præsentem materiam): Nego. 2°. Nego minorem:— "quasi nempe Evangelium Matthæi fuerit *incompletum*, eo quod non omnia scripserit, quæ postea scripserunt Marcus et Lucas; aut istorum pariter Evangelia essent *incompleta*, eo quod litteris non consignaverint, quæ postea consignavit Joannes, et ita porro." PERRONE, de Locis, P. 2, n. 408, not.

115. *Nota.* De quæstione facti, nempe, an detur saltem dogma unum quoddam certo revelatum, quod tamen demonstrari potest ad nos sola via Traditionis esse transmissum vid. D. 12, sec. 5. De Mediis vero quibus tradita traduntur, et vera a falsis dignoscuntur, vid. ibid., sec. 6.

CAPUT DUODECIMUM.

DE PROXIMA REGULA FIDEI PROTESTANTIUM, SEU DE EORUM JUDICE CONTROVERSARIUM.

Sectio Prima.—*Introductoria.*

1. Traditione posse transmitti falsa, vel pure falsa vel veris mixta, manifestum est; et ergo ut fide certa credatur dogma aliquod esse ab Apostolis traditum, non sufficit ut ab his et illis inter tradita recenseatur, sed requiritur ut certo aliquo argumento constet illud reapse ab Apostolis traditum fuisse. Idem et de Scriptura affirmandum est. Sicut enim vera et falsa traditio dari potest, ita et verus et falsus sensus Scripturæ. "Nec putemus," ait S. Hieronymus, "in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis." In Epistolam ad Galatas. i. 11, 12. Qui affirmant dogmata Trinitatis, divinitatis Christi, veræ satisfactionis Christi pro peccatis hominum, &c. in S. Scriptura contineri, et qui hæc omnia negant, Ariani, Sociniani, &c. eandem ipsam literam scriptam habent. Præter ipsam ergo lectionem Scripturæ, ad genuinum ejus sensum statuendum, manifestum est aliquod aliud subsidium desiderari.

2. Quoniam traditio tamquam regula fidei ab omnibus Protestantibus rejicitur, non est opus quæstionem movere de eorum principiis ad discernendas traditas veras a falsis: nulla enim ejusmodi principia habent. Sermonem ergo habentes de proxima fidei regula Protestantica, de ea tantùm inquirendum est relate ad Scripturam.

3. Interpretatio Scripturæ apud Catholicos duplex est, *dogmatica* et *exegetica* seu *hermeneutica*. Prior ea est quam tradit Ecclesia: altera ea est quæ ope critices a privatis fit. "Interpretatio exegetica uniuscujusque industriæ, diligentiæ ac studio dimittitur ab Ecclesia, dummodo intra fines et regulas ab ipsa præstitutas, quasque rei ipsius natura exposcit, quisque se contineat." PERRONE, de Locis, P. 2, n. 151. Exegetica Catholica 1°, ut sic, non potest esse dogma fidei, quod statuere in sola manu Ecclesiæ est aut Papæ; 2°, sed probabilis, probabilissima, omnino certa et indubitata esse potest; 3°, semper et omnino conformis esse debet analogiæ fidei et statutis Ecclesiæ.

Systemata Protestantium.

4. PALMER, et Puseyitæ qui cum eo conveniunt (an vero omnes conveniant nescio), tenent, verius forsan dicerem *tenuerunt*, dogmata fidei habenda esse ex magisterio Ecclesiæ pro tempore existenti, illamque esse judicem controversiarum. Iste tamen auctor, dicendo eam esse *ordinariam* viam ad habendam fidem, et examen Scripturæ non esse *essentiale*, insinuare videtur, quod diserte non affirmat, fidem haberi posse ex examine Scripturæ, absque magisterio Ecclesiæ.

5. Articulus 20 Ecclesiæ Constitutæ hic est:—"Habet Ecclesia ritus sive cæremonias statuendi jus, et in fidei

controversiis auctoritatem; quamvis Ecclesiæ non licet quicquam instituere, quod verbo Dei scripto adversetur, nec unum Scripturæ locum sic exponere potest, ut alteri contradicat. Quare licet Ecclesia sit divinorum librorum testis et conservatrix, attamen ut adversus eos nihil decernere, ita præter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere."

Interpretationem hujus articuli inter Theologos illius Ecclesiæ, extra Puseyitas, ut puto, communissimam, sequentia capita fideliter exhibent. Ex una parte, Ecclesia (i. e. Ecclesia quævis nationalis, et nominatim Ecclesia Constituta; non enim admittunt existere Ecclesiam universalem, ut unam rempublicam) habet authoritatem condendi definitiones seu articulos, qui 1°, non obligant ad credendum eos qui non sunt membra illius Ecclesiæ; 2°, obligant membra ad credendum, quamdiu membra manent. 3°. Qui articulos illos vel aliquem illorum non credit, tenetur Ecclesiam illam deserere; et Ecclesia ipsa jus habet eum qui hujusmodi est, si de ejus contumacia constet, ejiciendi. Ex altera parte, 1°, singuli qui membra sunt istius Ecclesiæ jus habent judicio suo privato explorandi, utrum ejus articuli S. Scripturæ consoni sint an non; et si bona fide pro comperto habeant aliquem articulum Scripturæ repugnare, Ecclesiam non solum possunt sed debent deserere. 2°. Ecclesia ipsam sic deserentes jus non habet damnandi, nec ab iis exigendi ut rationem suæ desertionis reddant. 3°. Verumtamen, si sine causa justa discedant, i. e. si Ecclesiam deserant, *vel* cum ea non dissentientes in doctrina aut cultu (quod de Methodistis a multis affirmatur), *vel*, non præmisso debito Scripturæ examine, dissentientes; tunc, etsi non Ecclesiæ, Deo tamen reddenda est ratio. An vero omnibus et singulis non solum jus sit sed et

obligatio præfatum examen, saltem quoad ejus fieri possit, instituendi, auctorum quos vidi nullus satis clare statuit. Videantur MARSH, *Comparative View*, C. 8, pag. 185, &c.; WHATELY, *Dangers to Christian Faith, Essay* 3, *Note C*, pag. 175, &c. et in aliis operibus passim; GOODE, vol. 2, pag. 62, et SHERLOCK, ibid, citatus, et CLAGETT et HUTCHISON, ibid. pag. 122, &c. citati; BROWNE, in Art. 20, ad calcem, pag. 172, not. et SHARP, ibid. citatus; &c. &c.

6. Alii, omnem cujuscunque Ecclesiæ auctoritatem rejicientes, affirmant jus unicuique summum et independens esse Scripturam examinandi, et exinde corpus doctrinæ conficiendi. Affirmant tamen teneri omnes mediis quæ ipsis præsto sunt uti—studio, commentariis, oratione, &c.: sed, his adhibitis mediis, eos illum sensum Scripturæ amplecti teneri, qui ipsis verior esse videtur, non obstante quocunque magisterio vel auctoritate sive Ecclesiæ antiquæ sive existentis, sive universalis sive particularis, Patrum, &c.

7. Alii dicunt corpus doctrinæ posse ex nudo textu Scripturæ, privato examine, et absque ullo adjutorio extrinseco, confici; et nec cognitu nec credi necesse esse quæ hoc modo comparari non possunt.

8. Secundum alios multos, et extra et intra Ecclesiam Constitutam, Deus omnibus sincere et devote petentibus dat auxilium supernaturale, quo possint sensum Scripturæ sufficienter intelligere. Hujus auxilii varia sunt nomina, Gustus internus, Radius cœlestis, Sapor divinus, Lumen divinum, Gratia illuminans, &c.

9. Schema sequens varia exhibet systemata Protestantium. Per vocabulum *medium* (quo brevitatis causa utor) significo proximam regulam fidei Protestanticam, seu medium interpretandi Scripturam, et doctrinas in ea revelatas ex ea cognoscendi.

Medium est
- Ratio individua sola
- Ratio cum adjutorio
  - omni ordinario, seclusa auctoritate.
  - extraordinario et supernaturali.
- Ratio cum adjutoriis et Ecclesiæ auctoritate
  - obligatoria, sed fallibili.
  - non obligatoria.

10. Sepositis Puseyitis, patet omnes Protestantes in hoc convenire, ut rationem individuam (quæ alio nomine vocatur judicium privatum), *prout ab auctoritate distinguitur*, pro sola regula fidei proxima *obligatoria* habeant. Seu, aliis verbis, si judicium meum privatum (sive illis aliis auxiliis adjutum, sive non, secundum varia systemata) me in Scriptura interpretanda doceat hanc vel illam doctrinam (v. g. hominem fide sola justificari) esse veram Scripturæ doctrinam, tunc, quicquid in contrarium docuerint vel doceant Patres, Ecclesia, &c., hoc meum judicium privatum *obligatorie* sequendum est, et *solum* obligatorie sequendum est.

Doctrina Catholica.

11. Una, clara, simplex est doctrina Catholica. 1°. Ex magisterio Ecclesiæ, et ex eo solo, non tantùm totum corpus sed singula dogmata Christianæ revelationis habenda et cognoscenda sunt, ut fide divina Catholica credi possint. 2°. Omnia quæcunque docet, i. e. credenda proponit, Ecclesia, eo ipso, absque ulla dubitatione, fide cæca et absoluta, ab omnibus credenda sunt explicite vel implicite.

12. Quoad lectionem S. Scripturæ. *Primo.* Sine ull restrictione (ex lege Ecclesiastica, nam in omni opere servanda est lex naturalis et divina), permittit Ecclesia lectionem Scripturæ 1°, in textu Hebraico Veteris Testa-

menti et Græco Novi; 2°, in versione Græca Septuaginta; 3°, in versionibus omnibus orientalibus antiquis; 4°, in Vulgata Latina.

13. *Secundo.* Quoad versiones hæreticales et præsertim in linguis vernaculis, servandæ sunt regulæ Indicis et decreta Ecclesiæ de libris prohibitis. "Sapienti consilio hæreticorum librorum lectio est interdicta; nec cuiquam nisi Majorum permissu licet hæreticos libros legere." BENED. XIV., de Festis, Præfat.

14. *Tertio.* Regulæ quartæ Indicis prima pars ita se habet:—"Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia *vulgari* lingua *passim sine discrimine* permittantur, plus inde, *ob hominum temeritatem*, detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum a Catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant."

Sed, ut testantur nostri Theologi, et ut ex facto patet, nec praxis nec lex Ecclesiæ in hac materia ita rigida est, ut non sit gravibus mutationibus, nunc ad severiorem nunc ad mitiorem disciplinam inclinatis, obnoxia.

15. *Quarto.* Quidquid dicitur de disciplina ecclesiastica mutabili, censeo sequentem propositionem vere mentem Ecclesiæ permanentem et principia ejus immota, in permittenda et probanda lectione S. Scripturæ in genere, exhibere:—Ecclesia non solum permittit, sed probat laudatque, lectionem S. Scripturæ, quæ fit ab idoneis *personis*, ad debitum *finem*, et debito *modo*.

SECTIO SECUNDA.—*Evertitur Proxima Regula Fidei Protestantium.*

PROPOSITIO.—*Judicium Privatum, sive per se sive adminiculis extrinsecis adjutum, non est Interpres Scripturarum, ad fidem ab iis comparandam, divinitus constituta.*

16. *Probatur Propositio.* ARGUMENTUM I. Ea non est regula fidei proxima divinitus constituta 1°, quæ a longe longeque majori hominum numero nec olim adhiberi potuit; nec nunc adhiberi potest; nec unquam in finem mundi adhiberi poterit; 2°, quæ, ubicunque terrarum unquam adhibita est vel hodie adhibetur, ex se et positive et efficaciter et, positâ naturâ humanâ qualis est, necessario, quasi fructus proprios et germanos, nonnisi dogmata infinita, et perplexa et inter se repugnantia, effert. Atqui tale est judicium privatum in interpretanda Scriptura, seu (formâ in his regionibus communiori), talis est Scriptura ut judicio privato interpretata.

17. *Probo majorem.* Quoad *primam* partem: Protestantes qui hanc regulam tenent, eam ut regulam unicam tenent. Nullum vidi Theologum Protestanticum a quo affirmetur duas esse a Christo constitutas regulas fidei proximas, alteram pro paucis selectis ditioribus et doctioribus, pro ceteris omnibus alteram. Si ergo hac regula uti non possint longe plures numero hominum, nulla uti possunt. Vel ergo dicendum est ejusmodi regulam non esse divinitus constitutam, et ergo falsam esse: vel dicendum est nullam esse regulam pro longe majori numero hominum divinitus constitutam.

18. Quoad *secundam* partem: Regula divinitus constituta

ea sane est quæ, quantumvis ex infirmitate et improbitate hominum abusui obnoxia, 1°, ex se et natura sua, unitatem fidei in eâ utentibus parere nata esset; 2°, multo magis ex naturâ suâ nata non esset infinitas discordias et repugnantias in fide gignere. Dixi "unitatem": etsi enim mera unitas in fide non implicet veritatem, veritas tamen necessario implicat unitatem.

19. Probo *minorem*, n. 16. Quoad *primam* partem. *Primo.* Ut homines fidem suam ex Scriptura judicio privato derivent, primum omnium necessarium est ut pro certo sciant quinam sint libri Scripturæ, i. e. quinam sint inspirati, quinam non. Sed Protestantes, sua propria principia sequentes, de hoc certi esse non possunt: prout probatur, D. 12, n. 451, &c.

20. *Secundo.* Necessarium est ut ipsam Scripturam præ manibus habeant. Sed hoc pro longe majori hominum numero impossibile est. 1°. Per quindecim a Christo secula, usque ad inventam artem typographicam, ita se rem habuisse nemo, quod sciam, unquam ausus est negare. *Hoc unico facto regula Protestantica uno ictu tota evertitur.* Non enim eam fidei regulam constituit Christus, quæ (a) nonnisi post tot secula a plerisque adhiberi potuit, et (b) cujus usus ab ejusmodi inventione penderet. Voluit enim Deus ut ab initio Ecclesia cresceret, et ut, quamprimum moraliter fieri potuit, evaderet Catholica, et ut Catholica permaneret in æternum. Ecclesia vero est cœtus fidelium. Quomodo autem per tot illa secula universalis esse potuit multitudo credentium, cum plerisque absolute impossibile fuit librum comparare, ex quo solo, propria sua industria et judicio, quæ credenda essent cognoscere potuerunt?

21. 2°. Etiam post inventam artem typographicam, mansit, etsi non eodem gradu, eadem impossibilitas; per-

manet adhuc, et in finem seculorum permanebit. Quot sunt enim millia millium hominum, qui præ paupertate non possunt exemplaria Bibliorum acquirere? Num illis speciatim impossibilis sit fides, quibus speciatim missus est Christus evangelizare (Luc. iv. 18)? Quot sunt insuper in longinquis et barbaris regionibus, ubi ars typographica non exercetur, quibus, ex hac et aliis causis conjunctim, absolute vel moraliter impossibile est exempla Scripturarum acquirere?

22. *Tertio.* Non solum necessarium est ut homines exemplaria Bibliorum præ manibus habeant, sed insuper (si paucissimos excipias in linguis antiquis peritos) ut ea singuli in suas linguas vernaculas et vulgares fideliter conversa habeant. Hoc nimis manifestum est. Gallo v. g. suam linguam vulgarem Gallicam solam callenti, non magis usui esse potest textus Scripturæ quicunque, manibus ejus traditus (Hebracius, Græcus, Anglicus, Hispanicus, &c.), præter *solum* Gallicum, quam si, loco Bibliorum, librum ei porrigeres ligneum vel lapideum. Idem de Anglis, Hispanis, Italis, de omnibus et singulis populis, provinciis, tribubus, per universum orbem dispersis, et suas proprias linguas vel dialectos vulgares habentibus. Ut ergo Scriptura judicio privato interpretata posset esse regula pro omnibus hominibus, *vel* debent omnes edoceri aliquam ex linguis, in quibus extant versiones Scripturæ; *vel*, quot sunt linguæ vulgares in mundo, tot esse debent versiones Scripturæ. Primum nemo unquam affirmavit: secundum nemo sanus affirmare potest.

23. *Quarto.* Etsi omnes et singuli Scripturam in linguas suas vernaculas fideliter translatas haberent, adhuc necessarium est ut eam legere possint. Si enim legere non possum, non magis ex quovis libro cognitionem in eo con-

tentorum, quam ex inspecto lapide, acquirere possum. Excluduntur ergo ab usu hujus regulæ 1°, omnes pueri et puellæ donec prius didicerint artem legendi, 2°, omnes utriusque sexûs adulti qui, ex paupertate vel negligentia parentum, ex inopia magistrorum et ludorum literarum, &c. artem illam nunquam didicerunt. Quot autem hujusmodi sunt semperque fuerunt semperque erunt, præsertim apud populos minus excultos vel pauperes, præ immensa et infinita eorum multitudine, quis numerare potest?

24. *Quinto.* Ut Scriptura judicio privato interpretata sit omnibus regula fidei, non solum ab omnibus haberi et legi debet, sed insuper talis esse debet ut ab omnibus intelligi possit. Atqui non solum non potest ab omnibus intelligi, sed in permultis, *præsertim* in libris et locis in quibus de dogmatibus sermo est, adeo obscura est et enarrationis difficilis, ut longe longeque majori hominum numero sensus sit, si judicio privato comparandus, omnino occlusus; ita ut illis ex ea impossibile sit corpus doctrinæ educere. (Imo ipsos doctissimos, abjecta Ecclesiæ auctoritate, ceteris omnibus adminiculis adjutos, non posse corpus doctrinæ certo verum ex Scriptura judicio privato educere, pro certo teneo. Sed hoc, ut expeditior sit controversia, prætermitto.) *Major* evidens est. Dogmata enim quæ in S. Scriptura continentur, in ejus vero sensu continentur: supra, n. 1. Esti ergo librum aliquem legere possum, si sensum ejus percipere non possum, idem mihi est ac si liber ille lingua ignota scriptus fuisset, vel non existeret.

25. Probo *minorem*, quæ vitium regulæ Protestanticæ intrinsecum et universale et permanens affirmat. Duplici argumento probatur homines generatim non posse intelligere Scripturam, ita ut ex ea fidem suam educant et statuant, nempe, argumento a posteriori seu extrinseco,

et argumento a priori seu intrinseco. Argumentum extrinsecum *facto* fundatur, nempe, tot et tam diversa et inter se repugnantia corpora et systemata doctrinæ ex Scriptura judicio privato interpretatâ fuisse educta.* De sensu enim libri qui, iis qui linguam in qua scribitur callent, et satis exculti sunt ad eum legendum, obscuræ et difficilis interpretationis non est, non existunt nec existere possunt plures illæ et diversæ sententiæ: et eo ipso quod non existat interpretationum varietas, significatur sensum libri satis clarum esse. E contrario, si de sensu alicujus auctoris, præsertim inter doctiores et excultiores, plures sint variæ sententiæ et controversiæ interminabiles, eo ipso apud omnes ut obscurus et ad intelligendum difficilis haberetur; et is certissime haberetur qui vulgo nullomodo intelligibilis esset. Ex facto ergo quod Scripturæ tot tamque discordes sensus dogmatici tribuantur, sequitur eam esse revera obscuram et ad intelligendum difficilem.

26. Argumentum a priori iterum duplex est: subjectivum, seu ex indole legentium; et objectivum, seu ex natura speciali ipsius Scripturæ. Hoc argumentum explicatum videatur, D. 13, n. 36, &c.

27. Probo *secundam* partem minoris (n. 16), nempe, Scripturam judicio privato interpretatam, ex se et ut causam positivam, discordias et varietates in fide perpetuas et

* "There is no one professing Christianity who does not maintain that his sentiments are in accordance with the true meaning of Scripture, however absurd or pernicious these sentiments may really be. For it is notorious that Scripture itself is at least as liable as human formularies (and indeed more so) to have forced interpretations put on its language." WHATELY, *Bacon's Essays with Annotations*, Essay 3, pag. 25-6.

infinitas generasse et generare. Ut de antiquis hæresibus ex Scriptura isto modo interpretata ortis taceam, certum et notum est sectas innumeras Protestanticas, quæ per hos trecentos annos, præsertim in Anglia, exortæ sunt, ex illa licentia effrenata in Scripturis interpretandis, quæ jus privati judicii vocatur ("the right of private judgment"), ortum traxisse. Hanc autem infinitam sententiarum diversitatem ex privati judicii exercitio, ut causa positiva efficiente, manasse, patet et dictis, n 25.

28. ARGUMENTUM II. Si Scriptura judicio privato interpretata sit regula fidei, debet hoc in ipsa Scriptura significari. Atqui nullibi in Scriptura significatur. Probo *majorem*. 1°. Nullum est solidum puræ rationis principium, quo regula illa firmari possit. Ergo ex revelatione firmari debet. Ergo, ut eam tanquam revelatam acceptare teneamur, debet, secundum principia Protestantica, in Scriptura contineri. 2°. Si dogma fidei sit, dogma est fundamentale. 3°. Non Scriptura judicio privato interpretata fuit ævo Apostolico regula fidei, sed magisterium Apostolorum: primi enim Christiani non ex Scriptura judicio privato interpretata, sed ex institutione Apostolorum, fidem primo didicerunt et crediderunt. Si ergo, ereptis Apostolis, alia regula substituenda esset, debuit hoc, ad errorem gravissimum præcavendum, in Scriptura significari. Probatur *minor* evertendo argumenta Protestantium ex Scriptura educta, infra, Sect. 3.

29. ARGUMENTUM III. ex SS. Patribus. Indirecte sed plane et efficaciter evertitur regula Protestantica, 1°, omnibus Patrum textibus quibus affirmatur unitas fidei Ecclesiæ essentialis et perfecta: c. 5. Manifesto enim impossibilis esset unitas fidei, si singulis membris Ecclesiæ jus esset suam fidem ex Scriptura judicio privato inter-

pretata cudendi. 2°. Evertitur textibus Patrum quibus affirmatur hæreticos publicos, i. e. publice a fide Ecclesiæ in aliquo dogmate recedentes, eo ipso extra Ecclesiam esse, conjunctim cum textibus qui affirmant nunquam licitam esse separationem ab Ecclesia: c. 6. Si enim nunquam liceat separatio ab Ecclesia, et si professione doctrinæ quæ fidei Ecclesiæ adversatur fit separatio ab Ecclesia, nunquam ergo licet interpretationem Scripturæ quæ fidei Ecclesiæ repugnet proferre: i. e. nunquam licet judicio privato ut regula fidei uti. 3°. Evertitur textibus Patrum quibus affirmatur infallibilitas Ecclesiæ: c. 10. Si enim doctrina Ecclesiæ semper et essentialiter pura et immaculata sit, nunquam individuis, in interpretanda Scriptura, judicio suo uti licet nisi omnino fidei Ecclesiæ congruenter: i. e. nunquam licitum est exercitium judicii privati, ut regula fidei. 4°. Evertitur textibus quibus affirmatur solâ viâ auctoritatis fidem habendam esse: c. 13.

30. Omnes illas consequentias communiter, ut puto, non solum concedunt sed affirmant Protestantes: nempe, si ponatur Patres nostram doctrinam de unitate fidei, &c. tenere, sequitur illos eo ipso negare doctrinam Protestanticam de judicio privato: seu, aliis verbis, sequitur doctrinam hanc Protestanticam doctrinæ Catholicæ de unitate fidei, de infallibilitate, &c. plane repugnare. Et quidem jus illud judicii privati unum est ex principiis, quæ doctrinæ Catholicæ de unitate fidei, &c. passim opponunt Protestantes.

Non ergo opus esse censemus plura ex Patribus loca congerere, quibus magis directe et diserte affirmatur Propositio nostra. Unum ex magno AUGUSTINO proferemus.

"Neque enim natæ sunt hæreses, et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur." S. AUGUSTINUS, in Joannis Evangelium, Tract. 18, n. 1.

31. ARGUMENTUM IV. ex Rationibus Theologicis, seu potius ex ipsa S. Scriptura, eodem genere argumenti quo jam probata est propositio ex Patribus. Ex Scriptura enim probatur 1°, Ecclesiam esse essentialiter et perfectissime unam in fide, c. 5; 2°, nunquam licere separationem ab Ecclesia, et ab ea separatos esse omnes hæreticos publicos, i. e. omnes qui dogma aliquod ab ea definitum publice rejiciunt, c. 6; 3°, Ecclesiam esse active et passive infallibilem, c. 10; 4°, fidem viâ auctoritatis comparandam esse, c. 13. His omnibus et singulis aperte et omnino repugnat doctrina Protestantica de jure judicii privati. Ergo Scripturæ repugnat hæc doctrina.

PROPOSITIO.—*S. Scriptura auxilio supernaturali singulis impertito interpretata, non est Regula Fidei Proxima.*

32. *Probatur Propositio.* ARGUMENTUM I. Ea non est regula fidei, quæ a longe longeque majori hominum numero adhiberi nec potuit nec potest. Atqui ita se habet hæc regula, nempe quoad omnes qui legere nesciunt, vel qui solas suas linguas vulgares callentes, versiones Scripturæ in linguis illis accuratas non habent. Major probatur, ut supra, n. 17. Minor probatur, ut supra, n. 19–23.

33. ARGUMENTUM II. Non est regula fidei vera quæ non est divinæ institutionis. Atqui hæc regula divinæ

institutionis non est. Major evidens est; regula enim quæ divinæ institutionis non est, figmentum pure humanum est. Probatur minor. Si divinæ sit institutionis, hoc vel ex ratione vel ex revelatione demonstrari potest, et quidem debet. Atqui ex neutra demonstrari, vel minima probabilitate educi potest. Major evidens est: nullum enim aliud medium cognitionis vel demonstrationis, præter illa duo rationis et revelationis, apud homines existit: quod ex neutra fundamentum habet, omni prorsus caret fundamento. Minor probatur dissolvendo argumenta quæ in contrarium proferuntur.

SECTIO TERTIA.—*Evertuntur Argumenta Protestantium.*

34. *Nota.* 1°. In sequentibus objectionibus proferendis, nullum ordinem sive historicum sive philosophicum observamus, nisi eum qui necessarius est ut omnino fideliter et clare proponantur. Varia argumenta variorum systematum sub capitibus separatis et propriis ordinare impossibile esset. Nec nobis sane vitio verti debet hæc et illa argumenta, quæ a quibusdam adversariorum urgentur, ab aliis abjici. Ipsi viderint. 2°. Fere omnes objectiones jam proferendæ reapse argumenta sunt positiva, quibus Protestantes sua systemata tuentur. Consuetum tamen modum loquendi sequentes, eas non *argumenta* sed *objectiones* vocamus.

35. *Object.* 1. Regula fidei non est Scriptura judicio privato interpretata, nec Scriptura auctoritate interpretata, sed *ipsa* Scriptura. Ita multi et antiquorum et recentium.*

* "It is often asked whether we are to 'set up each man's private interpretation of Scripture as his rule of faith, or to adopt and acquiesce

36. *Resp.* Per *ipsam* Scripturam vel significantur ipsa nuda verba Scripturæ, vel verba ut sensum quemdam significantia. Primum dici non posse evidens est : verba enim, nisi in quantum alicujus sensus signa sunt, non magis habere possunt rationem regulæ fidei, quam papyrus vel atramentum. Si secundum dicatur, quoniam sensus ille non emittitur quasi physice ex verbis, quomodo vapor e terra spiratur, sed requiritur aliqua legentis actio et medium quoddam quo ex illis educatur, illisque extrinsecum; sequitur ipsam Scripturam, sine ullo externo medio interpretationis, regulam fidei esse non posse.

37. *Object.* 2. Non judicium privatum nudum interpres est Scripturæ idoneus, sed judicium privatum, præjudiciis depositis, et omnibus quæ præsto sunt adminiculis adhibitis. Ita WHATELY ibid. pag. 179, et alibi, et alii multi passim.

38. *Resp.* 1°. Stat firmum et intactum argumentum nostrum, ex eo quod regula Protestantica vitiis illis pro majori hominum numero intrinsecis et insanabilibus laboret, quæ n. 19, &c. enumeravimus.. 2°. Non majus fundamentum in Scriptura habet judicium privatum adjutum, ut interpres Scripturæ, quam judicium privatum non adjutum: et hoc et illud omni fundamento caret. 3°. Stat firmum argumentum nostrum, n. 27, imo præsenti argumento, n. 37, vis ejus augetur. Infinitæ enim illæ discordiæ in fide, quæ ex Scriptura judicio privato interpretata ortæ sunt et oriuntur, auctores plerumque non

in the Church's tradition' [teaching]. This alternative again has been objected to by some . . . who maintain that the rule of faith is to be, neither the one nor the other of these, but the 'Scriptures themselves.'" WHATELY, *Dangers*, &c., Essay 3, Note C, pag. 175–6.

habuerunt rudes prorsus et indoctos (hi enim, quidquid speculative tenent et profiteantur, *de facto* non ex Scriptura sed ex magistris suæ sectæ, parentibus, &c. fidem suam totam derivarunt et habent), sed eos ipsos qui, præter meram lectionem Scripturæ, alia habuerunt adjumenta vel intrinseca vel extrinseca vel utraque simul, iisque usi sunt.

39. *Object.* 3. Jus privati judicii jus non est pro libitu judicandi, sed jus ut a nulla coactione externa impediantur homines, quin pro libitu judicent, si id velint. ROGERS, *Essays*, vol. 2, pag. 6, 7 (*Edinburgh Review*, no. 154, Januar. 1843).

40. *Resp.* Præter illam, ut ita dicam, negativam juris privati judicii qualitatem, qua efficitur jus coram homine, existere debet alia qualitas, quæ positiva est et primaria, qua efficitur jus coram Deo, nempe, potestas a Deo concessa. Hoc etsi non neget ROGERS, imo aliquatenus insinuet, non tamen satis diserte affirmat. Duo ergo jus judicii privati implicat, et sic definiri potest:—(1) Potestas legitima, singulis concessa Scripturam judicio privato interpretandi, et doctrinas credendas ex ea educendi, (2) omni seposita auctoritate externa *coactiva*, sive coactionem dicas spiritualem sive materialem seu, ut aiunt, temporalem. Prima pars ea est quæ, saltem primo loco et præcipue, si probari possit, probari debet.

41. *Object.* 4. Dictamini conscientiæ obsequendum est. Atqui obsequium hoc, nisi dato jure judicii privati, deferri non potest. *Idem*, ibid. pag. 34, 35, et ceteri communissime.

42. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Conscientiæ certæ, sive recta sit sive invincibiliter erronea, obsequendum est: Concedo: Conscientiæ vincibiliter erronæ: Nego. 2°.

Distinguo minorem: Si judicium privatum esset semper certum, seu certam semper pareret conscientiam (sive in se rectam sive erroneam invincibiliter), non obstante quacunque in contrarium auctoritate: Concedo: Si judicium privatum non semper certum sit, imo sæpissime incertum et falsum sit; et nunquam debet parere conscientiam certam, obstante auctoritate legitima; et huic auctoritati semper se subjicere debet: Nego. Quoniam causa hæc conscientiæ perpetuo a novatoribus et antiquis et qui nunc sunt obtruditur, paulo diligentius excutienda est.

43. Conscientia, prout quoad rem unanimes docent Theologi, judicium est rationis practicum declarantis obligationem aliquid hic et nunc agendi utpote præceptum, vel omittendi utpote prohibitum, vel declarantis aliquid hic et nunc agendum esse simpliciter licitum. Judicium hoc de præceptis et prohibitis, quamdiu stat firmum et certum, semper sequendum est, etiamsi quod declarat bonum et præceptum revera malum sit et prohibitum, aut vice versâ. Ast tantum abest ut semper certa et firma sit conscientia, ut sæpissime dubia sit, et quæ hodie firma est in aliam plane contrariam cras mutetur, seu, ut loquuntur Theologi, deponatur.

44. Conscientia invincibiliter erronea ea est ad cujus errorem nullomodo advertitur, nec in se nec in causa, nec etiam in confuso; et hæc, quamdiu invincibilis est, deponi non potest. Potest tamen fieri vincibilis, ut manifestum est: exempli gratia, si quis, nesciens hunc esse diem jejunii, de eo moneatur. Conscientia vincibiliter erronea ea est ad cujus errorem aliquo modo advertitur, vel de quo dubitatur, &c. Conscientia hæc deponi et potest et debet: eâ autem depositâ, dictamini ejus nullomodo obsequi tenemur; ut per se patet, et omnes docent

Theologi. Quomodo autem deponenda sit sapienter enarrant SALMANTICENSES, in Cursu Morali, Tract. 20, de Principiis Moralitatis, C. 5, n. 25.

45. Jamvero plane vincibilis est conscientia illa, quæ tibi dictat hunc vel illum sensum ex S. Scriptura judicio privato eductum esse amplectendum, utpote quem credis esse verum. Imo, secundum principia adversariorum, hujusmodi conscientia, regulariter saltem, vincibilis esse debet. Tenent enim illi se illam summam et immutabilem certitudinem de sensu Scripturæ habere non posse—nisi forsan in locis ubi sensus est manifestus, et idem apud omnes. Hæc est vera analysis principii objectionis:—Conscientia mihi dictat verum sensum Scripturæ esse a me unice recipiendum. Atqui sensus quem ex ea judicio privato educo verus est. Ergo conscientia mihi dictat hunc sensum esse a me unice recipiendum. Minor ista, quæ ut aperte falsa a nobis rejicitur, ipsis Protestantibus nullomodo certa est, nec esse potest: alioquin variæ ejusdem loci inter se repugnantes interpretationes, judicio privato confectæ, omnes veræ essent.

46. Si dicant argumentum vel analysim alia forma proponi debere, nempe, Conscientia mihi dictat sensum Scripturæ, qui mihi judicio meo privato utenti verus esse videtur, esse a me unice recipiendum. Atqui hic vel ille sensus (v. g. Lutherana aut Calvinistica interpretatio verborum institutionis, Matth. xxvi. 26, 28) mihi judicio meo privato utenti verus esse videtur. Ergo, &c. *Resp.* Nego majorem, vel Distinguo: Id mihi dictat conscientia erronea, conscientia leviter vel ex impetu passionum et præjudiciorum vel ex principiis rationi repugnantibus formata: Esto: Conscientia prudenter et rationabiliter formata: Nego. Conscientia, quæ nobis regula morum

est, non est in nobis instinctus quidam cœcus, sed secundum principia rationis formata. Ratio nullomodo docet judicium privatum singulorum (suppono, si velis, omnibus quibus uti possunt externis adminiculis adjutum) esse medium veritates vel sacras vel alias, sive ex Scriptura sive aliunde, comparandi, quod nulli auctoritati externæ cedere debet. Imo contrarium plane docet, præsertim quoad rudes et indoctos: c. 10. Ratio illis potius dictat sensum Scripturæ, qui iis judicio privato utentibus verus esse videtur, probabiliter non esse sensum verum, et sæpe probabilius et probabilissime et certissimo, non esse verum, vel saltem valde dubium esse. *De facto*, Protestantes plerique fidem suam non ex Scriptura judicio privato interpretata habent, sed totam ex traditione suarum sectarum, per institutionem parentum et aliorum. Liberi Calvinistarum non ex Scriptura hauserunt Calvinismum: liberi Methodistarum non ex Scriptura Methodismum hauserunt: &c. &c.

47. Uno verbo, conscientia recta et sana dictat eam in comparanda fide non esse sequendam viam, quam non constituit Deus. Atqui Scriptura judicio privato interpretata non est via a Deo constituta. Tantum igitur abest ut jura conscientiæ ("rights of conscience") regulâ fidei Catholicâ lædantur et Protestanticâ sarta tecta conserventur, ut, e contrario, in illâ conscientia habeatur omnino rationabilis et sana, in hac omnino irrationabilis et depravata.

48. *Object.* 5. "Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me." *Ερευνατε τας γραφας, ὁτι ὑμεις δοκειτε εν αυταις ζωην αιωνιον εχειν· κ. τ. λ.* Joann. v. 39. Christus his verbis, 1°, præceptum dat scrutandi

Scripturas, ad veritates revelatas inveniendas: saltem 2°, affirmat ejusmodi scrutationem ducere ad vitam æternam: ad minus 3°, implicite (ut ait BLOOMFIELD, in loc.) hanc scrutationem probat. Ergo S. Scriptura judicio privato interpretata regula est fidei Christianæ. Hic textus a fere omnibus Protestantibus, et antiquis et recentibus, usque ad hunc diem profertur.

49. *Resp.* Nego antecedens *quoad omnes et singulas partes.* Concesso antecedente *quoad omnes et singulas partes,* Nego *consequentiam et consequens.*

Primo. Vocabulum "scrutamini," in Græco sicut et in Latino, per se verti potest in modo imperativo vel in modo indicativo; et ergo aut præceptum (vel consilium) significare, aut simplicem affirmationem. Pro modo indicativo, inter Protestantes, aperte sunt KUINOEL, ROSENMULLER, SCHLEUSNER, OLSHAUSEN, BLOOMFIELD, et ab eo citati LAMPE, TITTMAN, CAMPBELL: huic interpretationi plane favent BENGEL et ELSLEY.

50. *Secundo.* Etsi concedatur vocabulum "scrutamini" modi esse imperativi, nullomodo sequitur eo significari præceptum. Judæi enim *putabant* se in Scriptura vitam æternam habere (an recte, jam videbitur, n. 52, &c.): Christus ergo, *argumento ad hominem,* eos ad Scripturas relegat.

51. *Tertio.* Non probat Christus opinionem Judæorum, nempe, in Scripturis vitam æternam haberi. Nihil enim dicit vel insinuat ad hanc opinionem probandam, sed eam commemorat: "vos putatis."

52. *Quarto.* Et quidem, opinionem illam commemorans, eâ ut animadvertit CARD. WISEMAN (*Lecture* 9), formâ verborum utitur, quæ reprehensionem satis plane significat. Quotiescunque enim Christus vel Apostoli

vel alii in sermone reprehendenti et culpanti (qualis manifesto est versiculus objectus, ut ex antecedentibus et consequentibus patet), aut in sermone ad errorem simpliciter corrigendum habito, affirmant sic admonitos hoc vel illud putare, eo ipso significant eos prave sentire. Hoc ex usu loquendi in N. Testamento duplici modo constat: 1°, ex usu hujus vocabuli ad significandam falsitatem opinionis de qua sermo est; 2°, ex usu vocabuli omnino diversi ad significandam veritatem opinionis de qua sermo est.

53. 1°. Exempla prioris classis textuum sunt:—"Ne velitis ["think not," μη δοξητε] dicere intra vos: Patrem habemus Abraham:" Matth. iii. 9. Similiter vi. 7; Luc. xii. 51; xiii. 2, 4.

In illis textibus, et in textibus infra, n. 55, proferendis, verbum Græcum est δοκεω, quod Latine vertitur *puto*, *existimo*.

54. 2°. Qui opinionem aliquam tenet, cujus veritas affirmatur, non dicitur *putare* sed scire (ειδεω, επισταμαι, γινωσκω, &c.) Exempla sunt:—

"Scitis quia principes gentium dominantur eorum:" Matth. xx. 25. "Cum jam ramus ejus [fici] tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas:" Ibid. xxiv. 32. "Sciebas quia meto ubi non semino:" Ibid xxv. 26. "Scitis quia post biduum pascha fiet:" Ibid. xxvi. 2. "Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum [Jesum]:" Ibid. xxvii. 18.

Plures textus non opus est exscriptos congerere. Alia exempla videas apud Marc. i. 34; v. 33; vi. 20; et alia ultra triginta in opere majori, D. 13, n. 96.

55. Dixi supra, n. 52, "in sermone reprehendenti," &c. non tantum ut id solum quod ad nostrum argumen-

tum pertinet affirmarem, de ceteris silens, sed insuper et præcipue, quia 1°, usus ille loquendi, in dictis circumstantiis, ut mihi videtur, non est N. Testamento proprius, sed omnibus linguis et populis communis. Qui enim aliorum errores corrigens, sive reprehensione addita sive non, dicit "vos putatis" vel "illi putant hoc et illud," eo ipso, nisi oppositum ex contextu sermonis vel ex aliis circumstantiis constet, significat ita putantes falso sentire. 2°. Nolo tamen hunc hujus locutionis usum ad dictas circumstantias coercere. De usu, extra illas circumstantias, in N. Testamento duo notavi. 1°. Aliquando adhibetur per modum simplicis affirmationis, nulla vel approbatione vel improbatione significata. 2°. Quotiescunque judicium aliquod de ipsa opinione significatur, semper judicium hoc improbans est: ut Marc. vi. 49; Luc. viii. 18; xix. 11; xxiv. 37; Joan. xi. 13; xiii. 29: xx. 15; Act. xii. 9; xxvi. 9; xxvii. 13.

56. *Quinto.* Iterum alio modo disertius improbat opinionem Judæorum, putantium se in Scripturis vitam æternam habere. Postquam enim dixerat eos putare se vitam æternam in Scripturis habere, illico subdit—"et illæ [Scripturæ] sunt quæ testimonium perhibent de me, et non vultis venire ad *me*, ut vitam habeatis." His verbis duo affirmat, quibus plane eorum opinio de Scripturis reprehenditur: 1°, quid revera ex Scripturis haberi potest indicat, nempe, testimonium de Christo; 2°, undenam illa vita æterna haberi potest indicat, nempe, ex seipso Christo. Errabant ergo Judæi putantes se vitam in Scripturis habere. Scripturæ enim non vitam dant, sed testimonium de Christo, a quo solo vita habetur. Dant quidem vitam, dantque puram doctrinam (quam habere et credere radix est et fundamentum illius vitæ):

vitam tamen non ex se et directe dant, sed *Magistrum et Salvatorem, a quo habenda est, demonstrando.*

57. *Sexto.* Concedatur Christum præcepisse vel probasse scrutationem Scripturæ; scrutatio hæc peragenda erat 1°, ad unum tantum dogma comparandum; 2°, et dogma quod, Scripturâ levissime inspectâ, vel etiam nullomodo inspecta, ex universali fide et traditione Judæorum et ex vita publica Christi, in genere suo simplicissimum et manifestissimum erat, nempe, Christum ipsum fuisse Messiam divinitus promissum. Nullomodo sequitur, ex eo quod ejusmodi dogma, Scriptura et factis vitæ Christi inspectis, omnibus planum sit, ergo omnes ex Scriptura judicio privato interpretata *corpus doctrinæ Christianæ* conficere posse.

58. *Septimo.* Esto Christum præcepisse ut Judæi scrutarentur Scripturas, non solùm inquisitio hæc, ut jam dictum est, unicum dogma simplex et clarum inveniendum respexit, sed 1°, solum V. Testamentum, seu potius ea ejus loca, præsertim Pentateuchi ("est qui accusat vos Moyses," &c. vers. 45–47), in quibus de Messia venturo sermo erat, scrutanda erant: 2°, et hoc a solis Judæis: 3°, quibus vernacula erat lingua, aut fere vernacula, in qua libri V. Testamenti scripti sunt: 4°, quibus multæ et magnæ illæ difficultates, quæ ex idiomate tam alieno, ex moribus et institutis peregrinis et antiquis, &c., ignotæ erant: 5°, qui erant unius labii, unus populus, in una regione fere totus conclusus: &c. &c.

59. *Octavo.* Esto in verbis objectis significari præceptum scrutandi Scripturas; 1°, ii quibus datum est hoc præceptum infideles erant positivi, qui divinam Christi missionem, invictis etsi et clarissimis argumentis firmatam, pertinaciter respuebant:—"Qui misit me Pater,

ipse testimonium perhibuit de me, &c. &c." vers. 37, 38, 43, &c. 2°. His ergo S. Scripturam scrutandam proposuit Christus, non ut ab ea tanquam regula fidei revelatorum corpus discerent; sed ut eos, ex documentis ab ipsis admissis, cæcæ suæ obstinationis et superbæ incredulitatis argueret et convinceret; et ut hanc eorum cæcitatem et superbiam omnibus patefaceret. Simili modo, ut notat MALDONATUS, alibi sæpius, relegando ad Scripturas, mentem perversam et malitiam pharisæorum et aliorum ex Judæis incredulorum reprehendit et patefacit: Matth. xii. 3; xix. 4; xxi. 16; xxii. 31, 32. Nimis planum est in ejusmodi præcepto scrutandi quædam loca V. Testamenti, nullomodo implicari doctrinam Protestanticam de jure judicii privati, tanquam proximæ regulæ fidei.

60. *Nono.* Quæstio quæ hic nos inter et Protestantes movetur, non est de modo infideles vel persuadendi vel confundendi: nec ergo quæstio est an lectio S. Scripturæ ad alterutrum finem assequendum utilis esse possit. Sed sola quæstio est, an S. Scriptura judicio privato explorata sit regula fidei, seu medium comparandi cognitionem dogmatum fidei Christianæ. Jamvero, inspectis adjunctis, patet Christum hoc medium Judæis nec proposuisse, nec proponere potuisse. Aderat enim ipse, magister supremus et divinus, et ut talem hac ipsa occasione et in hoc ipso sermone seipsum proposuit, "æqualem se faciens Deo:" vers. 18: vid. et vers. 22, 23, 36, 37. Christus ergo non Scripturam judicio privato interpretatam, sed seipsum, ut regulam fidei proponere debuit, et proposuit.

61. *Object.* 6. "Hi [Beroenses] autem erant nobiliores eorum [i. e. nobiliores iis], qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes

Scripturas, si hæc ita se haberent." Act. xvii. 11. Et hic textus quoque incredibile est quam fidenter a Protestantibus passim objiciatur. Ex eo autem sic argumentatur. 1°. Beroenses conversi Scripturas scrutati sunt, ut compertum haberent an doctrina ab Apostolo Paulo tradita iis consona esset: WHITAKER, pag. 457. 2°. Eos propter hoc laudatos fuisse patet. Manifestum est eos laudari: duo autem tantum de iis affirmantur, nempe, eos avide verbum suscepisse, et Scripturas fine dicto scrutatos esse: sed, si in hoc reprehensione digni non fuissent, non laudarentur simpliciter.

62. *Resp.* Nego antecedens, sensu Protestantico intellectum. Concesso antecedente rite intellecto, nego consequentiam et consequens.

63. *Nota* 1°. Quæstionem prætermittimus de sensu vocabuli "nobiliores," utpote ad rem dogmaticam nihil pertinentem. Item, ne in tricis pure criticis tempus teratur, quæstionem prætermittimus de versione vocabuli ὁιτινες, an idem sonet ac "ut qui" seu "quia illi" (ut in versione Anglica.) 2°. Utrum ante eorum conversionem an post, facta est a Beroensibus illa Scripturarum scrutatio, ex textu haud ita planum est. Mihi paulo probabilius videtur scrutationem factam esse ante conversionem: sed ad objectionem—

64. *Primo.* Si Scripturas ante suam conversionem scrutati sint Beroenses, objectio omnino extra rem est. Quæstio enim non est an ex scrutatione V. Testamenti Judæi (vel alii, si alii essent non-christiani divinitatem V. Testamenti credentes) habere possint motivum vel motiva credibilitatis Christianæ religionis; sed an nobis Christianis habenda est fides ex S. Scriptura judicio privato interpretata.

65. *Secundo.* Si jam facti fideles Scripturas scrutati sint. 1°. Non ad comparandum corpus doctrinæ Christianæ Scripturas scrutati sunt, sed ut ea quæ de Messia in illis prædicta sunt, in Christo impleta fuisse clarius viderent. Hoc patet ex verbis, "scrutantes Scripturas, si *hæc* ita se haberent."

66. 2°. Scripturas scrutati sunt, non quia ignorarunt, multo minus quia non crediderunt, Christum esse Messiam—ex hypothesi enim jam fideles erant; sed, ut ait A. LAPIDE (in locum), "ut in fide suscepta se confirmarent, singula Scripturarum testimonia de Christo a Paulo citata examinando, et cum dictis Pauli conferendo:" sicut et nos "etiamnum possumus scrutari Scripturas, non ut fidem examinemus, sed ut in ea nos confirmemus, ejusque mysteria melius et profundius penetremus, nobisque et aliis imprimamus." Idem concedit ROSENMULLER:—"Scrutati sunt Scripturas, non quod dubitarent de veracitate Pauli et Silæ, sed ut, prophetica scripta cum illorum verbis conferendo, magis magisque in veritate confirmarentur, et haberent, unde alios convincerent." Similia habet KUINOEL.

67. 3°. Ex hypothesi, gratia et habitu fidei jam gavisi sunt: cognitionem vero dogmatum fidei ex institutione Apostoli habuerunt. Medium ergo ea discendi non fuit scrutatio Scripturarum, sed institutio isthæc. 4°. Cognitionem illorum dogmatum non potuerunt ex Scriptura habere. Quatenus enim in Scriptura continentur, non in V. Testamento (nisi ea quæ communia sunt V. et N. Legi) sed in Novo continentur. Sed quo tempore conversi sunt Beroenses, non adhuc confectum est N. Testamentum.

68. 5°. Esto Beroenses Scripturas scrutatos esse ut quædam de Christo adhuc incognita vel non satis cognita addiscerent, redeunt jam dicta, n. 58. Articuli de Christo in V. Testamento contenti pauci sunt; simplices; clare in illo Testamento revelati; ab ipso Apostolo in Synagoga enarrati, vers. 2, 3. Solum V. Testamentum scrutandum erat; et a Judæis, quibus sermo ejus et idiomata familiaria fuere; quibus illæ non erant superandæ difficultates, quæ nobis tot tantæque sunt.

69. *Object.* 7. "Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus." 2 Tim. iii. 15–17. Plura hic a S. Paulo affirmantur 1°, Timotheum ab infantia nosse Scripturas—quod manifesto in laudem Timothei commemorat S. Paulus; 2°, homines lectione Scripturæ instrui (sapientes fieri) ad salutem; 3°, omnem Scripturam utilem esse ad docendum, &c. Ergo Scriptura in manibus omnium versari debet, ut ex ea, exercitio judicii privati, fidem suam derivent.

70. *Resp.* In antecedenti quædam falsa affirmantur, alia falsa insinuantur. Dato antecedenti, saltem rite intellecto, Nego consequentiam et consequens.

Primo, ad primam partem antecedentis. 1°. Scriptura quam ab infantia novit Timotheus V. Testamentum erat: *tum* quia quo tempore puerulus erat, non adhuc extitit N. Testamentum; *tum* quia in Judaica religione primùm educatus est. 2°. Nullomodo significatur vel insinuatur Timotheum legisse Scripturam ab infantia, ut ex ea dogmata fidei sive Judaicæ sive Christianæ deduceret;

3°, multo minus, ut ex ea judicio privato interpretata doctrinas deduceret. 4°. E contrario, Timotheum ex institutione materna fidem primum habuisse, satis aperte insinuat S. Paulus, hac ipsa Epistola, i. 5 :—"Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide et matre tua Eunice, certus sum autem quod et in te." Vid. et Act. xvi. 1. 5°. Certum est Timotheum non ex lectione N. Testamenti fidem Christianam hausisse. *Tum* quia quo tempore conversus est a Judaismo, non adhuc extitit Scriptura N. Testamenti. *Tum* quia non obscure significat S. Paulus a se traditam fuisse fidem Timotheo :—"Timotheo dilecto *filio in fide;*" 1 Tim. i. 2; "Formam habe sanorum verborum *quæ a me audisti* . . . quæ *audisti a me* per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus :" 2 Tim. i. 13; ii. 2. In versu locum objectum immediate præcedenti Timotheum sic alloquitur S. Paulus :—"Tu vero permane in iis, quæ didicisti et credita sunt tibi, sciens *a quo didiceris :*" 2 Tim. iii. 14. Ex hoc planum est Timotheum non ex Scriptura sed a quodam magistro (haud dubie, S. Paulo—sed hoc non urgeo) fidem didicisse.

71. *Secundo*, ad secundam partem. 1°. Non est sermo in textu de eruditione hominum vulgari et communi per Scripturam, sed de eruditione solius Timothei, qui magister et Episcopus erat in Ecclesia :—"quæ *te* possunt instruere." 2°. Omnes in Ecclesia, qui munus habent alios in sacris disciplinis erudiendi, imprimis Episcopi, S. Scripturæ studio incumbere debent: sed quomodo? An eam judicio privato, et seposita coactiva auctoritate Ecclesiæ, scrutantes, ut exinde fidem Christianam deducant? Nihil ejusmodi in textu insinuatur. 3°. E contrario, ex vers. precedenti, jam allato, n. 70, patet Timotheum ex

institutione magistri fidem didicisse. 4°. Denique S. Paulum in loco nihil significasse vel insinuasse de modo discendi dogmata fidei, ex ipsis verbis constat. Loquitur enim de sacris literis "quæ te *possunt* instruere ad salutem." Loquitur ergo de instructione ex Scripturis habenda præsenti et futura. Sed jam longe antea optime in fide Christiana eruditus erat Timotheus. Loquitur ergo S. Paulus de lectione Scripturarum, non ad discendam ex iis fidem Christianam, sed, prout versu sequenti declarat, alio fine.

72. *Tertio*, ad tertiam partem antecedentis. 1°. Affirmat S. Paulus Scripturam *utilem* esse : non affirmat nec minime insinuat eam sufficientem esse aut necessariam. 2°. Affirmat *Scripturam* utilem esse : non autem affirmat nec minime insinuat eam, judicio privato interpretatam, utilem esse. Mihi utilis et utilissima est Scriptura, ut vel meipsum vel alios doceam, ut arguam, &c. ; imo ut egregie doceam, arguam, &c. necessaria est. Non ideo sequitur eam esse a me judicio privato interpretandam.

73. 3°. Imo, si, quod attinet ad materiam præsentem, aliquid ex textu objecto cogi possit, plane ex eo evertitur regula fidei Protestantica. Si enim vera esset regula illa, inter primas et maximas utilitates Scripturæ locum haberet, imo ipsa prima et maxima utilitas esset, nempe, fidem Christianam ex Scriptura judicio privato interpretata comparandam esse. Et tamen S. Paulus, magnas illas Scripturæ utilitates nominatim recensens, de utilitate ista prima et maxima altissime silet!

74. 4°. Utilis est Scriptura : sed ad quid? Ut ex ea, judicio privato interpretata, deducatur fides Christiana? Minime, sed ad docendum, &c. 5°. Utilis est Scriptura : sed cui? Utilis omnibus promiscue, et ut ex ea judicio

privato interpretata, fidem suam exprimant? Minime, sed utilis est Timotheo ceterisque in Ecclesia pastoribus, et aliis qui sacras disciplinas tradendi munus habent. De hoc plura vid. D. 13, n. 119, &c.

75. *Object.* 8. "Et vos unctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo:" 1 Joan. ii. 27. Ergo omnibus rite dispositis datur auxilium Spiritus Sancti ad interpretandam Scripturam, et hoc auxilio adjuti singuli ex Scriptura omnia necessaria cognoscere possunt. WHITAKER, pag. 451-2. Alii Protestantes singuli suis modis ex hoc textu conclusa proferunt, quæ ad tria capita revocari possunt. 1°. Spiritus Sanctus in singulis magister est fidei: 2°, eos omnia, i. e. omnia necessaria, docet: 3°, solus est magister, quocumque alio excluso. Hæc tria non tenent omnes, sed aliud hic, aliud ille.

76. *Resp.* Ex sequentibus principiis, quibus una sumptis omnes perversæ conclusiones ex textu Joannis eductæ dissipantur, ea potest eligere lector, quæ ad particularem quam impetit conclusionem profligandam aptiora esse videantur. 1°. Nihil est in textu de comparandis dogmatibus fidei Christianæ, vel quæ inter ea essentalia sunt; vel de modo ea comparandi; multo minus de modo ea ex S. Scriptura educendi; vel de modo interpretandi Scripturam. 2°. S. Joannes non auctoritati, non magisterio Ecclesiæ vel ministrorum ejus, sed institutioni hæreticorum seducentium, institutionem unctionis opponit:— "Hæc scripsi vobis *de his, qui seducunt vos:*" vers. 26. 3°. In textu affirmatur unctionem docere. Eam vero directe et immediate docere, vel docere mediante scruta-

tione Scripturæ privata, non affirmatur in textu, nec ex eo deduci potest. Nec ullomodo excluditur ministerium externum, per quod doceat unctio. Sic, si dicam gratiam Dei me fecisse Catholicum, nullomodo significatur vel insinuatur gratiam id, sine mediis externis, effecisse. 4°. Illi, ad quos scripsit Joannes, fidem jam tenebant. "Vos unctionem habetis a Sancto, et nostis omnia. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam:" vers. 20, 21. Hinc dicit, vers. 27, "et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos." Semel enim habentibus fidem, sufficit gratia Dei ad eam servandam. Non sequitur ergo ex vers. 27 eos per unctionem sine institutione Ecclesiæ dogmata fidei cognovisse. 5°. "Et non necesse habetis, ut aliquis doceat vos"—*vos* jam in fide instructos et doctos. 6°. "Vos unctionem *quam accepistis* ab eo, maneat in vobis." Sed unctionem illam per ministerium externum Apostolorum acceperunt. Non per medium Scripturæ judicio privato interpretatæ operata est unctio, sed per medium prædicationis Apostolorum. 7°. Invocatur hic institutio unctionis contra hæresim quamdam, quæ divinitatem Christi negabat (vers. 22, 23). Sed bene ut erant eruditi in illo articulo fidei, in eo iterum erudiri non indigebant. Hæc omnia quantum vel a minima significatione regulæ fidei Protestanticæ distant, manifestum est.

77. *Object.* 9. "Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint:" 1 Joan. iv. 1. Ergo doctrina Ecclesiæ examinari debet. Ita WHITAKER, q. 5, c. 8, pag. 457; CHILLINGWORTH, Præfat. n. 12; et alii veteres et recentes passim.

78. *Resp.* 1°. Non hic sermo est de examinanda doctrina *Ecclesiæ*, sed de examinanda seu probanda doctrina

a novis magistris prædicata:—"Probate spiritus si ex Deo sint: *quoniam* multi *pseudoprophetæ* exierunt in mundum." 2°. Non est sermo de doctrina universim, sed de doctrina quæ respicit Divinitatem et Incarnationem, Filii Dei: ut patet ex ii. 18, 22, 23; iv. 2, 3, 15; v. 1, 5, 7, 10–13. 3°. Nulla est mentio vel insinuatio de novis doctrinis, in hac vel alia quacunque materia, per scrutationem *Scripturæ* probandis, multo minus per scrutationem *Scripturæ judicio privato interpretatæ.*

79. *Dices* non alium præter Scripturam extitisse lapidem Lydium ad novas illas doctrinas probandas. Quod tu dicis, pari jure ego *Nego;* et affirmo alium fuisse, nempe, ipsam doctrinam ab Apostolis Ecclesiæ traditam, et in ea puram et integram conservatam, seu aliis verbis ipsam fidem et institutionem Ecclesiæ: prout jam, c. 10, ex ipsis Scripturis sub altero conceptu demonstravi; sub altero ex iisdem post, c. 13, demonstrabo.

80. 4°. Imo hanc ipsam normam ["Test, whereby the spirits are to be tried." ALFORD] hic tradit S. Joannes:—"Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc [in hoc signo, nempe, expositione doctrinali statim danda] cognoscitur spiritus Dei: Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: et omnis spiritus qui solvit Jesum [alia est hic lectio, sed extra rem præsentem], ex Deo non est. Et hic est Antichristus," &c. Secundum hanc doctrinam de Christo, exploranda est omnis de eo doctrina a novis magistris prædicata. Et illa doctrina hic et alibi sæpius in hac epistola (supra, n. 77, 2°.) declarata, ipsa erat eadem doctrina quæ ab initio fidelibus prædicata est, et in Ecclesia conservata, ut patet ex ii. 20–24, 27:—"Vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia [i. e. omnia quæ de præsenti materia vobis

cognitu necessaria sunt: ut, quoad rem, concedunt auctores Protestantici communissime]. Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam, &c. . . . Vos *quod audistis ab initio*, in vobis permaneat . . . . . Non necesse habetis ut aliquis doceat vos."

81. Si quæras, quarenam ergo, si doctrinam quam ab initio audierunt adhuc tenuerint, hanc scripsit epistolam Joannes, ut illam ipsam doctrinam eos iterum doceret? *Resp.* 1°. Quarenam toties in hac epistola illam ipsam doctrinam, verborum forma vix mutata, repetit? 2°. Bonus pastor iterum iterumque eadem repetit, urget, inculcat, præsertim quæ summi momenti sunt, et postulantibus temporum adjunctis periculosis. Moris quem habuit hic idem S. Joannes eadem sæpius repetendi, exemplum insigne traditum habes apud S. HIERONYMUM in Galat. vi. 10, quem locum exscriptum habes in Breviario Romano, Decemb. 27.

82. *Object.* 10. "Omnia autem probate: quod bonum est, tenete:" 1 Thessal. v. 21. Iidem WHITAKER et CHILL. ibidem; WHATELY passim in suis operibus, usque ad nauseam, ceterique Protestantes communissime.

83. *Resp.* 1°. Nullomodo in textu significatur vel insinuatur omnia probanda esse ex Scriptura, multo minus ex Scriptura judicio privato interpretata: dicta supra, n. 78, 79, hic repeti possunt. 2°. Non omnia omnino probanda erant: alioquin ipsa Apostolorum institutio ipsaque scripta probanda essent. Ea omnia sola probanda erant quæ in prophetiis *privatis* (tempore Apostolico in ecclesiis edi solitis: 1 Cor. xiv. 29, &c.) contenta sunt:—"Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod

bonum est tenete." Fuisse autem, inter ipsos Thessalonicenses definite, sicut et veros prophetas verasque prophetias, ita et falsos prophetas falsasque prophetias, ex 2 Thessal. ii. manifestum est. "Παντα restringendum est ex antecedente ad ea, quæ dicuntur ab iis, qui se prophetas dictitant. Erant inter Thessalonicenses, qui Spiritus divini afflatum præ se ferentes, errorum, forte etiam vitiorum, contagione alios inficerent (2 Thessal. ii. 2): hinc explorandi erant prophetæ, utrum vere divino spiritu, an suopte ingenio ad docendum impellerentur." ROSENMULLER. "Παντα δε δοκιμαζετε refers back to the foregoing: 'but try all' (such χαρισματα): see 1 Cor. xii. 10; xiv. 29; 1 John iv. 1." ALFORD.

84. 3°. Quomodo autem probandæ sunt prophetiæ? Quænam est norma, secundum quam veræ a falsis prophetiis discernendæ sunt? Ipsa fides Ecclesiæ ab Apostolis tradita, prout in secunda ad eosdem Thessalonicenses epistola clare significat S. Paulus. Commemorata enim et damnata falsa quadam prophetia de adventu hominis peccati, quæ apud Thessalonicenses circumlata est, et vera de eodem enarrata prophetia, statim subjungit:—"Non *retinetis* [memoria tenetis] quod cum adhuc essem apud vos, *hæc dicebam vobis?*" 2 Thessal. ii. 5. Doctrina ergo iis ab Apostolo prædicata, et memoriâ eorum retenta, norma esse debuit perfecta, secundum quam probaretur illa nova prophetia de proximo adventu hominis peccati.

85. *Urgetur.* Non solis præpositis Ecclesiæ, sed omnibus et singulis Christianis, præcipit S. Paulus probare omnia. Ergo ad omnia probanda, clara et sufficiens est S. Scriptura, neque judice vivo opus est. WHITBY, quem in hoc laudibus ornat BLOOMFIELD.

86. *Resp.* 1°. Non omnia vult hic S. Paulus probari, sed ea tantum quæ a prophetis privatis prolata sunt: quod concedit et affirmat ipse BLOOMFIELD. 2°. Distinguo consequens: Si omnia ab omnibus et singulis probanda sunt ex Scriptura judicio privato interpretata: Concedo: Si ex fide ab Apostolis tradita et pura apud Ecclesiam conservata: Nego. Responsio patet ex dictis n. 84.

87. Ex sexaginta objectionibus quas (cum instantiis pluribus) in opere majori, ex omnigenis auctoribus Protestanticis, et antiquis et recentibus, attuli, præfatæ mihi visæ sunt, quas passim ut plane et omnino invictas et inexpugnabiles urgent.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

DE PROXIMA REGULA FIDEI CATHOLICA SEU DE ECCLESIA DOCENTE.

1. Duplex hic institui potest quæstio—1°, An solâ viâ auctoritatis habenda sit fides? 2°, Ubinam in Ecclesia sedem habeat auctoritas illa? A nobis quoad utramque quæstionem dissident Protestantes. Quid de prima sentiant ex capite præcedenti satis patet. Catholica ad secundam responsio affirmat supremum Ecclesiæ magisterium in solis Episcopis Summo Pontifici conjunctis, et in S. Pontifice per se, existere. De magisterio Pontificis in tertia hujus operis parte disseremus: de Episcopis vero videatur tractatus de Ordine. De sola ergo prima quæstione in hoc capite tractabitur.

2. Potestas ecclesiastica duplex est, ordinis et jurisdictionis: jurisdictio hæc duplex quoad forum externum est, quæ, nempe, in docendo et in regendo exercetur. In auctoritate ergo Ecclesiæ tria, ex triplici ejusdem objecto, comprehenduntur, nempe, auctoritas magisterii, ministerii, regiminis seu imperii. Auctoritate *magisterii* docet Ecclesia; auctoritate *ministerii* sacramenta conficit et dispensat, et alia sacra facit; auctoritate *regiminis* potestate et, ut aiunt, executiva et legislativa regit fideles. De auctoritate ministerii in tractatibus de sacramentis disseritur: aucto-

ritas regiminis argumentum erit capitis sequentis: de solâ auctoritate magisterii in capite præsenti sermo erit.

SECTIO PRIMA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO.—*Solâ viâ Auctoritatis seu ex solo Magisterio Ecclesiæ Fides habenda est.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

3. ARGUMENTUM I. "Et accedens Jesus locutus est eis [Apostolis], dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi." Matth. xxviii. 18–20.

Christus hic loquitur de conversione non-credentium ad fidem, et de eorundem institutione in doctrinis Christianæ religionis, et de eadem conversione et institutione usque ad finem mundi continuanda. Atqui I. medium quo erudiendi erant homines via erat auctoritatis. Quod patet 1°, ex ipsa natura et forma missionis divinæ Apostolis hic impertitæ. Eo ipso enim quod a Deo missi fuerint ad docendum universum mundum ("omnes gentes"), et ergo ut essent fidei magistri pro omnibus, omnes ab iis discere tenentur. Non solum enim potestatem acceperunt sed mandatum docendi omnes. Sed mandatum ejusmodi ab eo editum qui supremus est omnium, et præpositorum et subditorum, dominus et magister, necessario implicat obligationem ut subditi a præpositis discant. In casu illo obligationes docendi et

discendi plane correlatæ sunt. Sic, si supremi moderatores alicujus collegii statuant ut aliquis magister alumnos alicujus scholæ mathesim doceat, eo ipso statuunt ut alumni isti ab illo magistro mathesim discere teneantur. Patet 2°, ex eo quod missio hæc et auctoritas docendi quædam sit divinæ auctoritatis communicatio, ex ea derivetur et in ea nitatur: ut constat ex nexu verborum quibus missio confertur cum verbis quibus auctoritas divina declaratur:—"Data est mihi *omnis potestas* in cœlo et in terra: euntes *ergo* docete," &c. Si jurisdictio hæc docendi coactiva non esset nec ligaret omnes ad discendum, non esset sane cur isto adeo solemni et speciali modo invocaretur auctoritas divina, quasi jurisdictio illa hujus auctoritatis divinæ nova quædam esset et specialis et specialissima participatio. Si enim homines non teneantur doctores sequi sed proprium suum judicium privatum, ergo doctores specialem non habent participationem auctoritatis divinæ. II. Medium hoc unicum est. Inter auctoritatem enim et judicium privatum non datur medium. Jamvero hæc duo inter se absolute repugnant: illa hoc sicut hoc illam necessario perimit. Si auctoritas Ecclesiæ sit regula fidei, ergo judicium privatum non est nec esse potest regula; ergo auctoritas est regula sola.

4. ARGUMENTUM II. Sermonem quem ad septuaginta discipulos, eos mittendo, habuit Christus his verbis concludit:—"Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me:" Luc. x. 16. Similia profert in sermone quem ad duodecim, eis primam eorum missionem tribuendo, habuit:—"Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum . . . . . Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de

domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris . . . . . Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum qui me misit:" Matth. x. 7, 14, 40.

Etsi his verbis non directe et formaliter significetur universalis illa missio, qua postea missi sunt Apostoli ad gentes et ad universum mundum, quoad substantiam tamen et formam essentialem eadem est utraque missio. 1°. Eadem est quoad sensum forma mittendi:—"Euntes autem prædicate—Euntes ergo docete:" Matth. x. xxviii. 2°. Eadem est utriusque finis generalis, nempe, ut homines ad fidem Christi convertantur et in ea erudiantur. 3°. Missio universalis non alia est quam missio prima ampliata.

5. 1°. Manifesto fides viâ auctoritatis habenda est: tenebantur enim homines audire sermones Apostolorum et discipulorum. Tanquam sui in docendo vicem implentes hos constituit Christus. 2°. Solâ viâ auctoritatis habenda est. Si enim alia esset via, non spernerent Christum qui, illâ desertâ, hanc sequerentur.

6. ARGUMENTUM III. "Omnis enim, quicunque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? . . . Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi." Rom. x. 13–15, 17.

Etsi S. Paulus non hic directe de regula fidei verba faciat, sed de necessitate annunciandi omnibus Evangelium, ut omnes fidem habeant, quædam tamen profert quæ cum sola regula Catholica concinunt.

7. 1°. Affirmat fidem ex auditu et prædicatione haberi. Per prædicationem plane significat externum ministerium magistrorum, qui, etsi regulariter viva voce doceant, per

alia media, v. g. scripta, picturas, &c. docere possunt. Auditus enim, per synedochen vulgarem, quamcunque significat perceptionem institutionis magistri: fidem autem ex magisterio aliquo habendam esse id est quod S. Paulus vult simpliciter et absolute declarare. Verba ergo "Quomodo audient sine prædicante" idem sonant ac si dixisset "Quomodo discent sine magistro." Quod 2°, ex verbis immediate sequentibus confirmatur:—"Quomodo vero prædicabunt nisi *mittantur*." Manifesto enim hic significatur missio divinitus vel immediate vel mediate collata. 3°. Ex ejusmodi prædicatione sola habenda est fides. Affirmatur enim fidem ex prædicatione habendam esse, nec aliud medium hic vel alibi indicatur .

8. ARGUMENTUM IV. "Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis;" 1 Tim. iii.

Columna et firmamentum veritatis id est quod fidem Christi puram et integram perpetuo conservat; ex quo ergo perpetuo et certo habetur fides vera. Atqui Ecclesia, non autem Scriptura, judicio privato interpretata, est columna &c. Ergo ex Ecclesia, non autem ex Scriptura judicio privato interpretata, perpetuo et certo habetur fides vera. Ergo Ecclesia regula est fidei unica. Enarratio hujus textus videatur, c. 10, n. 43, &c.

9. ARGUMENTUM V. ex modo unico quo in N. Testamento fides disseminata exhibetur. Ubique enim in N. Testamento, quotiescunque sermo est de conversione sive Judæorum sive gentilium, et eorundem in doctrinis fidei eruditione, medium unicum hujusmodi eruditionis institutio erat Apostolorum vel aliorum magistrorum quos illi constituerunt. Ubique enim Apostolos aliosque magistros verbum prædicantes videmus, instantes, arguentes, obsecrantes, increpantes (2 Tim. iv. 2): nullibi significatur vel conversos

vel convertendos ex Scriptura dogmata fidei didicisse, multo minus ex Scriptura judicio vel spiritu privato explorata.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

10. "Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives plenissime in eam contulerint omnia quæ sunt veritatis: uti omnis quicunque velit sumat ex ea potum vitæ." S. IRENÆUS, b. 3, c. 4, n. 1.

11. "Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia: Spiritus autem veritas." *Idem*, ibid. c. 24, n. 1.

12. "Quid prædicaverint [Apostoli], id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt." TERTULLIANUS, Præscript. n. 21. Integrum textum videas, D. 12, n. 69.

13. "Servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione." ORIGENES, de Principiis, n. 2. Vid. D. 12, n. 70.

14. "Ipse [Christus] est lux mundi, qui et Ecclesiam illuminat luce sua. Sicut enim Luna de Sole dicitur percipere lumen, ut per ipsam etiam pon possit illuminari: ita et Ecclesia suscepto lumine Christi, illuminat omnes qui in ignorantiæ nocte versantur." *Idem*, in Genesim Homilia, n. 5. Vid. D. 11, n. 124, vi.

15. "Poteram diem istiusmodi eloquio ducere, et omnes propositionum rivulos uno Ecclesiæ sole siccare." S. HIERONYMUS, Dialogus contra Luciferianos, n. 28.

16. "Meum propositum est antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, et a fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere." *Idem*, Epistola 119, n. 11.

SECTIO SECUNDA.—*Solvuntur Objectiones.*

17. Ad inveniendas objectiones contra argumenta nostra, multa evolvi scripta Protestantium tum veterum tum recentiorum: nullas autem alias deprehendere potui præter eas quæ, contra nostram interpretationem quorundum textuum allatorum, in capitibus præcedentibus jam disjecta sunt.

18. *Object.* 1. Qui auctor est Scripturæ et interpres est ejus supremus. Atqui Deus solus est auctor Scripturæ. Ergo Spiritus Dei in Scriptura eam interpretatur. WHITAKER, q. 5, c. 8.

19. *Resp.* Distinguo ultimam propositionem: Eam singulis interpretatur Deus, mentes eorum radio cœlesti illuminando, si hanc methodum interpretationis constituerit: Concedo: Si non hanc methodum constituerit, sed viam auctoritatis solam: Nego. Non dixit Christus, "Qui S. Spiritum in Scriptura judicio vel spiritu privato explorata loquentem audit, me audit" (hoc enim modo S. Spiritum alloqui nos nullibi in Scriptura affirmatur); sed, "Qui *vos* audit, me audit."

20. *Object.* 2. Ex doctrina Catholica sequitur Ecclesiam Scripturæ auctoritate præstare. *Idem*, ibid.

21. *Resp.* Distinguo: Sequitur definitionem et interpretationem Ecclesiæ interpretationi judicii vel spiritus privati auctoritate præstare: seu, aliis verbis, Ecclesiam, ut interpretem Scripturæ, individuis eam judicio vel

spiritu privato interpretantibus auctoritate præstare: Concedo: Sequitur interpretationem Ecclesiæ sensui Scripturæ vero et certo auctoritate præstare: Nego.

22. *Object.* 3. Si Ecclesia supremus sit controversiarum judex et Scripturæ interpres, sequeretur 1°, omnem definitionem Ecclesiæ eadem cum Scriptura auctoritate potiri; 2°, et canonicis Scripturis annumerari debere; 3°, et diligentius quam ipsa Scriptura investigandam esse. Atqui hæc sunt tot consequentia falsa. *Idem*, ibid.

23. *Resp.* Ad *primum*, Concedo definitiones dogmaticas Ecclesiæ quæ de fide sunt, eadem pollere auctoritate ad nostram exigendam fidem cum revelatis in Scriptura: ipsas enim easdem puras veritates continent, quæ in Scriptura (vel traditione) continentur. Non sunt tamen inspiratæ: ideoque ad *secundum*, Nego: vid. c. 10, n. 7. Ad *tertium*, Distinguo: Ad certo cognoscendum verum sensum Scripturæ quoad dogmata hæc definita, seu quæ sint vere revelata—saltem in iis in quibus sensus Scripturæ non est manifestus: Concedo: Ad alios fines: Transeat. Nihil autem in his omnibus est quod, posita doctrina Catholica de auctoritate Ecclesiæ infallibili, vel falsum vel absurdum sonat.

24. *Object.* 4. Non licet aliorum fidei dominari, secundum S. Paulum, 2 Cor. i. 23:—"Non quia dominamur fidei vestræ." Atqui qui controversias dirimit, fidei aliorum dominatur. *Idem*, ibid.

25. *Resp.* Distinguo majorem: Non licet, sive quoad fidem sive quoad aliquid aliud, in alios dominari, i. e. eos superbe et dure tractare: Concedo: Non licet auctoritate suprema alios docere et controversias dirimere: Subdistinguo: Quibus data non est auctoritas illa a Deo: Concedo: Quibus data est: Nego. S. Paulum non abjicere a

se auctoritatem docendi et dirimendi controversias patet. 1°. Ipse erat Corinthiorum Apostolus, a quo fidem didicerunt; et, in prima Epistola, dubia seu controversias quasdem doctrinales apud eos exortas dissolvebat. Docere ergo et dirimere controversias auctoritative non est fidei dominari. 2°. In hac ipsa Epistola, sicut in prima, partes agit magistri supremi, et docet eos auctoritate suprema. 3°. "Dominamur," κυριευομεν, eodem sensu hic accipi quo apud Luc. xxii. 25 ("Reges gentium dominantur eorum"), concedunt plures interpretes Protestantici.

26. *Urgetur.* Auctoritatem in Corinthios habuit S. Paulus, sed in materia disciplinæ non in materia fidei. ALFORD, in loc. ("He had power over them, but it was in matters of discipline, not of faith").

27. *Resp.* 1°. Nihil est in textu vel contextu quo insinuetur distinctio illa. 2°. Auctoritas quidem docendi et auctoritas disciplinam constituendi diversum habet objectum, et diverso modo exercetur. Sed in his duabus ad Corinthios, sicut et in ceteris suis epistolis, eandem quam in disciplina ordinanda supremam exhibet, auctoritatem Apostolus, et in docendo exhibet, et in indicando et damnando errores in fide, et in controversiis solvendis. 3°. Ipse ALFORD, in hac ipsa nota, affirmat S. Paulum hic falsam quamdam præcavere conclusionem quæ ex verbo "parcens" forsan cogeretur, quasi potestate sua irrationaliter seu inique uti vellet. Non ergo auctoritatem a se abjicit S. Paulus, sed usum auctoritatis iniquum, et qui non in ædificationem esset sed in destructionem.

Aliæ WHITAKERI ineptiæ similes videantur, D. 14, n. 63, &c.

28. *Object.* 5. Libros qui in canone Scripturæ continentur, authenticos esse et integros et veraces et inspiratos

credunt et probant Catholici ex auctoritate Ecclesiæ id definientis. Ecclesiam vero habere auctoritatem hæc et alia dogmata fidei definiendi ex eadem Scriptura credunt et probant. Ecclesiæ auctoritatem ergo habent ex Scriptura, Scripturam vero ex auctoritate Ecclesiæ. Ergo in circulo vitioso incedunt. Ita communissime Protestantes et antiqui et recentiores, diversi tamen diversis modis objectionem proferentes.

29. *Resp.* 1°. Hæc duo distinguenda sunt, nempe, modus quo homines aliquam veritatem ab ipsis creditam contra adversarios defendunt et probant, et modus quo veritas illa primùm ab ipsis cognita et credita fuit.

Dogma quo affirmatur Ecclesiæ auctoritas nullomodo ex Scriptura, sive directe sive indirecte, a fidelibus primùm discitur et creditur. Ante ullam vel editam vel conditam Scripturam jam constituta est Ecclesia, jam late prædicaverunt Apostoli et alii, jam multa millia et millia Judæorum et gentium fidem susceperunt. Ex hujus ipsius Ecclesiæ, in singulis generationibus existentis et viventis, traditione et institutione dogma auctoritatis ejus habent semperque habuerunt fideles. Ecclesiam vero dignam esse cui hanc suam auctoritatem ab Apostolis traditam affirmanti fides adhibeatur, ex omnibus illis notis constat, quæ hanc Ecclesiam vere et unice Ecclesiam Christi esse iisdem fidelibus demonstrant.

30. Si huic *objiciatur* Catholicos non posse rationabiliter isto modo auctoritatem Ecclesiæ credere: credunt enim Ecclesiam auctoritate docendi suprema potiri, quia ipsa id affirmat. *Resp.* 1°. Distinguo: Sed Ecclesia digna est cui id affirmanti fides adhibeatur: Concedo: Digna non est: Nego. Sicut Apostoli miracula patrando dignos se esse ostendebant quibus crederetur, ita et Ecclesia attributa

sua divina et notas manifestans dignam se esse ostendit. 2°. Quæstio hic non est, an rationabiliter Catholici fidem præstent Ecclesiæ suam auctoritatem affirmanti, sed an illam auctoritatem ex Scriptura demonstrantes in circulum incurrant. Eos non incidere in circulum jam probatum est, et credentes Ecclesiæ rationabiliter agere alibi, ubi de notis Ecclesiæ, probabitur.

31. *Resp.* 2°. Nos et Protestantes inspirationem Scripturæ tenemus: ergo ex ea ut ex loco communi ambo argumenta licite proferimus. Hoc concedit FIELD, l. 4, c. 7, vol. 2, pag. 412:—"We may prove the authority of the Scripture by the Church, to him that is already persuaded of the Church; and of the Church by the Scripture, to him that is persuaded of the Scripture." Principium hoc ubique et quotidie in omni genere controversarium tanquam manifestum supponitur. Neque obstat Protestantes alia ratione, quam nos abjicimus, credere inspirationem, nos vero alia, quam illi abjiciunt, eandem credere. Quæstio enim *hic* non est utrum nos methodo recta in illa inspiratione credenda utamur an Protestantes, sed utrum ex Scriptura probari possit nostra regula fidei proxima an non. Hæ duæ quæstiones non solum disjunctæ sunt, sed in materiis versantur omnino disjunctis et diversis. Imo—

32. *Resp.* 3°. Posita necessitate argumentandi ex Scriptura *ut* inspirata, etsi nos non teneremus eam esse inspiratam, valerent nostra argumenta (non quidem ut dogmatica, et ad nostram nobis propositionem suadendam, sed) ut polemica et *ad hominem*, contra Protestantes, inspirationem illam tenentes. Hoc enim esset argumentum:—*Tu* doctrinam non potes negare, imo acceptare teneris, quæ ex libro probatur quem pro inspirato habes: atqui doctrina Catholica de regula fidei probatur &c. Eodem modo,

v. g. in materia de Eucharistia, contra nos valeret argumentum ex Concilio Tridentino eductum, si Protestantes canonem hujus Concilii proferre possent, in quo doceretur Christum non esse nisi figurative præsentem in Eucharistia. Aliæ responsiones vid. D. 14, n. 92-94.

33. *Object.* 6. Catholici ex Scriptura judicio privato interpretata auctoritatem Ecclesiæ habent, nempe, ex textibus quos ad istam auctoritatem probandam proferunt. Atqui æque idonei sunt ad alias doctrinas ex eadem Scriptura eodem modo explorata derivare. Prima propositio patet ex eo quod Catholici (ut supra, n. 3, &c.) nulla Ecclesiæ interposita auctoritate, ex principiis hermeneuticis seu criticis solis, auctoritatem Ecclesiæ ex Scriptura demonstrare suscipiunt. Ita quoad rem, CHILLINGWORTH, C. 2, n. 3, et alibi; WHATELY, "*Search*," &c. pag. 25; ROGERS, et alii passim.

34. *Resp.* I. Distinguo primam propositionem: Catholici ex Scriptura primum didicerunt et crediderunt auctoritatem Ecclesiæ (supra, n. 29): Nego: Catholici *Theologi* contra Protestantes ex Scriptura, ut ex loco communi (n. 31), auctoritatem Ecclesiæ probant: Subdistinguo: Ex Scriptura judicio privato (sensu Protestantico, i. e. abjecta auctoritate Ecclesiæ coactiva) interpretata: Nego: Ex Scriptura methodo exegeticæ interpretationis, utpote solâ a Protestantibus admissa, et ab auctoritate Ecclesiæ ut interpretis supremæ, utpote a Protestantibus abjecta, abstrahentes: Concedo. Solutio patet ex terminis et ex supra dictis.

35. *Resp.* II, ad secundam propositionem. *Primo.* Posita responsione jam data, per se ruit propositio hæc totumque argumentum, cujus tota vis in eo nititur quod Catholici fidem suam de auctoritate Ecclesiæ ex Scriptura

judicio privato explorata derivent. *Secundo.* Plerique Catholici non solum hanc suam fidem ex Scriptura non derivant, sed nec derivare possunt: iisdem enim difficultatibus ab hoc efficiendum laborant quibus et ipsi Protestantes laborant: c. 12, n. 20, &c. *Tertio.* Longe longeque majori hominum numero, nempe, parvulis, rusticis, indoctis, &c., dictat ratio manifesta eos, præ lumine proprii ingenii tenui, viam auctoritatis sequi debere, præsertim in hujusmodi negotio. Si vero auctoritas sequenda sit, alia sane non est adeo gravis ut est illa Ecclesiæ. *Quarto.* Esto (quod tamen omnino falsum est) Catholicos ex Scriptura discere et credere se via auctoritatis dogmata fidei comparare debere. 1°. Hoc est dogma unum. Non sequitur ex eo quod illud facile in Scriptura invenitur, ergo cetera omnia facile inveniri posse. 2°. Dogma est in cujus conceptu nihil est obscurum, nihil difficile, nihil mysteriosum: qualia non sunt alia plura dogmata. 3°. Dogma est quam ipsa ratio suadet, ut supra. 4°. Dogma est quod si in Scriptura revelatum, et si exinde ab omnibus derivandum, ita clare ibi revelari debet ut omnes illud facile et certo habere possent: quod in ista hypothesi manifesto implicatur. Non sequitur cetera clare in Scriptura contineri debere. Imo, posita hypothesi, contrarium a priori expectandum esset: tunc enim non ex Scriptura judicio privato interpretata, sed ex auctoritate, haberentur ceteræ doctrinæ; et opus ergo non esset ut in Scriptura clare significarentur. 5°. De facto in Scriptura clarissime significatur hoc dogma. Universa enim Scriptura, non solum in his et illis textibus, sed passim viam auctoritatis, eamque unice, ut regulam fidei redolet et spirat: supra, n. 9.

36. *Object.* 7. Si controversias omnes judice quodam

visibili dirimi voluisset Christus, id verbis claris significasset. Atqui verbis claris id non significavit. CHILLINGWORTH, c. 2, n. 23, et alii.

37. *Resp.* 1°. Distinguo majorem : Id vere significasset, et hæc ejus significatio in Traditione vel in Scriptura et Traditione contineretur : Concedo : Id hac vel illa verborum forma concepta significare tenebatur ; vel ita ut sensus verborum CHILLINGWORTHIO et aliis ejusmodi, superbia Protestantica ceterisque præjudiciis Protestanticis obcæcatis, clarus et manifestus esset : Nego. Num concedunt Ariani divinitatem Christi vel clare vel obscure, vel explicite vel implicite, revelari ? Num concedunt Nestoriani unitatem personæ Christi revelari ? Estne ergo a nobis concedendum hæc duo dogmata non vere, imo et clare, etiam in verbo scripto revelari, quia ipsis verbis conceptis non revelantur, quæ secundum istos hæreticos sola clara essent ? 2°. Simili modo distinguo minorem : Ea verborum forma vel ea specie claritatis, quam exposcunt adversarii præjudiciis obcæcati : Concedo : Verbis vere claris : Nego.

38. *Object.* 8. Usui rationis dono bono a Deo nobis collato interdicendum non est, ex eo quod sæpissime [" very often "] homines eâ perverse utuntur. Ergo a pari S. Scriptura manibus fidelium eripi non debet, ex eo quod ea sæpe [" often "] perverse utuntur homines. GAYER, vol. 1, pag. 44, et alii.

39. *Resp.* Multiplici ex capite claudicat prorsusque deficit paritatis hujus consequentia. 1°. Nec abusuum pericula nec abusus ipsi unicam efficiunt rationem interdicendi Scripturam. Ratio hæc intrinseca est sane et permanens, non efficit tamen nisi unum membrum unius argumenti : c. 12, n. 25, &c. 2°. Fidelibus et ipsis Episcopis pro re-

gula fidei interdicitur usus Scripturæ judicio privato interpretandæ. Nullomodo autem interdicitur absolute: c. 12, n. 12, &c. 3°. Hæc nostri argumenti pars non in eo solo constat, quod communis illa Scripturarum lectio, ad dogmata fidei ex iis judicio privato exploratis comparanda, abusui sit obnoxia abususque *sæpe* pariat; sed quod ex variis causis permanentibus, seu quæ nullo modo auferri possunt, longe majori hominum numero *impossibile* sit corpus doctrinæ ex Scriptura judicio privato explorata cum certitudine educere: c. 12, n. 24, &c. 4°. Rationem omnibus hominibus a Deo dari, ut singuli, secundum uniuscujusque facultates, et secundum regulas quasdam certas et claras ab ipsa ratione præscriptas, veritates quæ ad ordinem naturalem pertinent comperiant, manifestum est, et ab omnibus conceditur et tenetur. Judicium vero privatum singulorum, ut Scripturæ interpretem, esse pro singulis regulam fidei proximam, nec manifestum est nec nisi a Protestantibus, inter omnes qui nomine Christiano vocantur, tenetur: imo prorsus novum est, ante inventum Protestantismum in universo orbe Christiano inauditum. Doctrina est quæ probatione indiget, quæque adhuc ne uno quidem argumento solido firmata est, nec unquam in finem seculorum firmabitur.

40. *Urgetur* 1. S. Paulus Evangelium omnibus prædicavit, sive eo abusuris sive non: Rom. i. 14, 15. Ita et singuli ministri Christiani Scripturam omnibus qui eam legere possunt mandare debent ["And so we think is every Christian minister a debtor to put the Word of God into the hands of every one capable of reading it"]. *Idem*, ibid. pag. 45.

41. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: S. Paulus auctoritate Apostolica suprema, vivâ voce docebat

omnes: Concedo: Docebat omnes tradendo illis verbum scriptum et hoc judicio privato interpretandum: Nego. 2°. Eo modo a ministris Christianis docendi sunt fideles quo olim a S. Paulo ceterisque Apostolis docebantur—hoc est ipsum instantiæ hujus principium. Atqui non viâ examinis Scripturæ privati, sive adjuti sive non adjuti, sed solâ auctoritatis viâ ab Apostolis olim docebantur fideles. Ergo, &c. 3°. Eos solos memorat instantia qui *legere* possunt. Quid ergo de infinita illa hominum multitudine dicendum est, qui ab Apostolis ad nos usque vel exemplaria Scripturæ comparare non potuerunt, vel comparata legere non potuerunt?

42. *Urgetur* 2. Protestantes, appellando rationem, sumunt seu supponunt rectum rationis usum. *Idem*, ibid.

43. *Resp.* Distinguo: Supponunt (si tamen supponunt), sed falso et sine ratione: Concedo: Vere et jure: Nego. Supponere omnes vel plerosque vel multos, quantumvis, rite dispositos, ratione in interpretanda Scriptura recte uti, purum est opinionis commentum, quod non solùm nullo ex Scriptura nititur fundamento, sed et Scripturæ et factis adversatur aperte. Scripturæ adversatur, quæ viam auctoritatis solam proponit: factis adversatur, ut ex infinita varietate sectarum Protestantismi constat. Argumento huic bene verba Ciceronis accommodari possunt:—"Res enim nulla est, de qua tanto opere solum indocti, sed etiam docti dissentiant: quorum opiniones cùm tam variæ sint tamque inter se dissidentes; alterum profecto fieri potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus unâ vera sit." De Natura Deorum, l. 1, c. 2.

44. *Object.* 9. Catholici, suo modo appellandi auctoritatem, omnem usum rationis abjiciunt: reapse enim sensum Scripturæ a presbyteris suis habent, eumque credunt, non

quia presbyteri isti talem esse verum Scripturæ sensum demonstrant, sed quia id simpliciter affirmant. *Idem*, ibid.; ROGERS, vol. 2, pag. 25; et alii passim.

45. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Omnem abjiciunt usum rationis definitionibus Ecclesiæ oppositum, quam pro magistra fidei suprema divinitus constituta solidissimis momentis nixi habent: Concedo: Alium aliquem usum rationis abjiciunt: Nego. 2°. Distinguo secundam propositionem: A presbyteris suis habent ut organis particularibus Ecclesiæ et ejus fidei testibus, qui *ut tales* hæc et illa dogmata ut verum sensum Scripturæ declarantia proponunt et prædicant: Concedo: A presbyteris auctoritate propria sensum Scripturæ dogmaticum definientibus et fidelibus fide Catholica credendum proponentibus: Nego: D. 11, n. 293, &c., n. 507, &c.

46. *Object.* 10. Secundum S. Paulum, "Ubi [in Ecclesia] autem Spiritus Domini, ibi libertas:" 2 Cor. iii. 17. Atqui, secundum doctrinam Catholicam, ibi servitus est pura et absoluta. *Idem*, ibid.

47. *Resp.* 1°. Distinguo verum a falso sensu verborum S. Pauli: Ibi libertas a servitute Legis Mosaicæ jam extinctæ et ab imperfecta cognitione et spiritu timoris et ceteris ejusmodi quæ ad illam Legem pertinebant: Concedo: Libertas singulorum ad interpretandam S. Scripturam secundum systema vel judicii privati vel spiritus privati: Nego. Illum esse verum sensum S. Pauli ex inspecto contextu manifestum est, et, ut puto, a nullo docto interprete Protestantico negatur: vid. D. 14, n. 123.

2°. Distinguo secundam propositionem: Ibi servitus est pura et absoluta auctoritati supremæ et infallibili a Deo ipso constitutæ: Concedo: Alia quæcunque (quoad fidem) servitus pura et absoluta: Nego.

48. *Object.* 11. Eadem media ad Scripturam interpretandam adhiberi debent, quæ ad quemvis alium librum interpretandum adhibentur. *Idem*, ibid.

49. *Resp.* Plura sunt capita discrepantiæ gravissima Scripturam inter aliosque libros, quoad horum et illius interpretationem. I. Res de quibus sermo est in S. Scriptura summi momenti sunt, ad ordinem supernaturalem vel ex se et intrinsece vel ex ordinatione divina pertinentes : quæ autem in hoc ordine continentur tanti sunt pretii, ut eorum minimo quæ in ordine naturali sunt pretiosissima collata quasi merus fumus æstimari debent. Cum iis quæ continentur in prime versiculo Geneseos vel in primo versiculo Evangelii S. Joannis num ullo modo comparari possunt omnia opera Ciceronis, Livii, &c. &c. ? Si in operibus Ciceronis interpretandis millies et millies errares, nihil, quod attinet ad scientiam supernaturalium, refert : ita se rem habere in S. Scriptura interpretanda nemo adversariorum aperte affirmare auderet. 2°. Quæstio hic est de dogmatibus Christianæ religionis, de revelatis quia credenda, ex Scriptura comparandis ; seu, aliis verbis, de corpore dogmatum fide divina credendorum ex ea conficiendo. Ut vera et non falsa credam, et cum debita certitudine credam, v. g. de Christi divinitate, persona, satisfactione, &c., de gratia, de justificatione, &c., gravis manifesto est obligatio. Quid autem senserit Aristoteles, Homerus, Cicero, &c., ut sciam nulla est obligatio. 3°. Plerique libri in lingua vernacula scripti vel in eam conversi adeo clari sunt, ut omnes eos legere valentes et interpretari nullo negotio possint : qualia sunt v. g. Historia D. Macaulay, Versio Homeri a Popio facta, &c. Speciales autem et specialissimas esse difficultates in interpretanda Scriptura, vid. c. 12, n. 24, &c. 4°. Si Scriptura judicio

privato explorata sit omnibus regula fidei proxima, debent omnes exemplaria Bibliorum habere, &c. ut ibid. n. 19, &c. Non opus est ut omnes sciant quid senserint Homerus, Cicero, &c.: neque, etsi opus esset, possunt omnes eorum opera comparare et legere. Si opera Ciceronis pro exemplo ponas, sic ex principio objectionis argumentor:—Eadem media ad Scripturam interpretandam adhiberi debent quæ ad Ciceronem interpretandum adhibentur. Atqui immensa est multitudo, longe major forsan pars, hominum, etiam, inter eos qui religionem Christianam profitentur, qui nullum ad interpretandum Ciceronem adhibere possunt medium; qui opera ejus comparare non possunt, vel comparata legere non possunt, &c. 5°. Denique, alii libri, si velis, judicio privato his et illis subsidiis extrinsecis naturalibus adjuto interpretandi sunt, sed quia Deus non aliud eos interpretandi medium constituit. Deus vero ad interpretandam Scripturam medium auctoritatis Ecclesiæ instituit.

50. *Urgetur* 1. Clari sunt textus Scripturæ qui necessaria continent, et circa quæ periculosum esset errare: qui obscuri sunt non-necessaria continent, circa quæ si quis erret, periculose non errat. CHILLINGWORTH, c. 2, n. 13.

51. *Resp.* 1°. Instantia hæc tota nititur distinctione fundamentalium et nonfundamentalium. 2°. Undenam novit, quonam argumento probat CHILL. in textibus claris (i. e. quos ipse claros esse opinatur vel affirmat) omnia necessaria seu fundamentalia contineri, in textibus obscuris nonnisi nonfundamentalia contineri? Ubinam in Scriptura vel in Traditione id affirmatur vel insinuatur, vel ex quonam rationis principio demonstratur? 3°. Esto totum; intactum manet argumentum, c. 12, n. 19, &c. et hic, n. 3, &c.

52. *Urgetur* 2°. Non est de præcepto ea credere quæ clare non revelantur—alioquin Deus impossibilia præcepisset. Atqui dogmata quæ in locis obscuris Scripturæ continentur clare non revelantur. Ergo dogmata illa non sunt credenda de præcepto. Ergo non est opus ut loci illi obscuri enucleentur, et sensus eorum verus statuatur. *Idem*, c. 2, n. 104. Ita, quoad rem, WHITAKER, GOODE, et alii communiter.

53. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Non est de præcepto fide divina credere ea quæ clare non revelantur, i. e. quorum revelatio dubia est et incerta: Concedo: Non est de præcepto credere ea quæ in Scriptura, et in Scriptura judicio privato interpretata, clare non revelantur: Subdistinguo: Si vera sit doctrina Protestantica de regula fidei et remota et proxima—quæ tamen doctrina ne uno quidem argumento solido, sive positivo sive negativo, firmatur: Concedo: Si de utraque regula vera sit doctrina Catholica, argumentis solidissimis et positivis et negativis firmata: Nego. 2°. Distinguo minorem: Clare non revelantur dogmata quæ nec in Scriptura secundum methodum Catholicam interpretata *vere* continentur, nec ullibi in traditione Ecclesiæ continentur: Concedo: Quæ in Scriptura secundum methodum Protestanticam interpretata non continentur: Nego. Ejusmodi argumenta perpetuo obtrudunt adversarii, quæ nec nostram doctrinam nec argumenta nostra infirmant, nisi supponendo eorum doctrinam esse jam probatam, quæ tamen hypothesis prorsus infundata est. 3°. Instantia hæc, sicut et prior distinctionem fundamentalium et nonfundamentalium supponit. Quæ enim obscure revelantur nonfundamentalia sunt; quæ autem clare revelantur vel fundamentalia sunt, vel saltem in illis

inveniuntur fundamentalia; ut diserte affirmat CHILLINGWORTH, Prefat. n. 30, 32, 35.

54. *Object.* 12. Singulorum jus est et officium debitum fidem suam, non ex aliorum auctoritate acceptare, sed rationis exercitatione sibimetipsis comparare. Ita Protestantes communissime, imo, extra Puseyitas, omnes, principium hoc pro ipso fundamento Protestantismi tenentes et prædicantes. De quo testimonia quædam auctorum Protestanticorum recentium vid. D. 14, n. 130, not.

55. *Resp.* Distinguo: Si principium sit aliquod rationis affirmans singulos ex S. Scriptura judicio privato explorata, omni auctoritate coactiva abjecta, fidem suam haurire posse et debere: vel si Deus lege positiva ita ordinaverit: Concedo: Si id nec ratio declaret nec Deus ordinaverit, sed contrarium et ratio declaret (c. 12, n. 16, &c.) et Deus ordinaverit (ibid. n. 31, et hic, n. 3, &c.): Nego.

56. *Urgetur* 1. Omni homini jus est de quacumque re judicium sibi formandi: et quo magis sacra res est et veneranda, eo gravius est officium sic judicandi. MACKINTOSH, (cujus, et aliorum hic nominatorum, ipsa verba vid. D. 14, l. c.) et alii passim.

57. *Resp.* 1°. ad primam propositionem, Distinguo: De quacumque re, de qua idoneus est qui judicet: Transeat: Si idoneus non sit sed prorsus impotens: Nego. Vel alio modo distinguo: Si Deus facultatem illam de quacumque re judicandi omnibus concesserit: Concedo: Si in hac vel illa materia tribunal constituerit cujus definitioni omnes se subjicere tenentur: Nego. (*a*). Propositio non solum aperte falsa est sed ita insula, ut mirum valde sit hominem in disciplinis philosophicis adeo excultum

eam serio et considerate proferre. Si *omnibus* de *omnibus* rebus ["every man—all subjects"] jus sit judicium formandi, ergo omnibus rusticis ceterisque indoctis jus est de omnibus argumentis metaphysicis, astronomicis, medicis, &c. judicia et æstimationes sibi formandi! (*b*). Etsi omnibus jus illud esset naturale, restringi tamen potest a Deo; sicut etiam a potestate civili suprema restringi potest jus naturale quo in rebus adiaphoris gaudent subditi. 2°. Ad secundam propositionem, Distinguo: Gravius est officium recte de ea re sentiendi: Concedo: Gravius est officium rectam illam sententiam viâ privati judicii comparandi: Nego. E contrario, quo gravior res est et magis veneranda, eo magis judicio nostro privato diffidere debemus, præsertim si res non solum sacra sit et veneranda, sed etiam ardua imo arduissima, quale est negotium illud ex Scriptura corpus doctrinæ puræ et certæ educendi.

58. *Urgetur* 2. Onus rationis de aliqua re Deo reddendæ sibi impositum nemo potest a se abjicere et in alium vel in alios conjicere. Atqui singulis hominibus onus est impositum rationis reddendæ usûs suæ rationis. Ergo onus hoc nemo potest a se abjicere et in Ecclesiam conjicere. GAYER.

59. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Onus singulis, ut singulis proprium, *vere* impositum, quale est onus rationis reddendæ de servandis præceptis Decalogi, &c.: Concedo: Onera singulis non imposita: Nego. 2°. Distinguo minorem: Eo sensu quod singuli teneantur, sive in materia religionis et fidei sive in ulla alia materia, dictamen judicii privati sequi, non obstante auctoritate in contrarium quacunque: Nego: Alio sensu: Transeat.

60. 1°. Instantia hæc, sicut et tot alia ejusmodi ar-

gumenta à priori, si quid valeret, probaret Deum, stante natura nostra rationali qualis est, non posse constituere auctoritatem Ecclesiæ supremam et coactivam. 2°. E medio tolleret omnem ejusmodi in aliis materiis auctoritatem, non solum auctoritatem testimonii Ecclesiæ sed omnis testimonii auctoritatem supremam. Sic, si rusticus aliquis ratione et experientia sua, quales habet, diligenter et sincere usus, hæc et illa facta historica vel astronomica incredibilia esse sentiat, non teneretur ulli testimonio historico vel astronomico cedere, nisi ipsi (si fieri posset) evidentia rei intrinseca patefiat. 3°. Si vera sit instantia, ergo nec Apostolis nec ipsi Christo credere debuerunt homines tunc viventes in iis quæ ex eorum auctoritate *sola* credenda essent. 4°. Vitium intrinsecum hujus instantiæ et aliorum ejusmodi argumentorum in eo est, quod in illis ignoratur principium ipsius rationis fundamentale, clarum, et ab omnibus qui puri sceptici non sunt admissum, nempe, nos non solum ea credere teneri quæ intrinsecâ evidentiâ probantur, sed ea etiam quibus nulla est ejusmodi evidentia sed quæ *solâ* auctoritate credibilia sunt: et eum qui hæc firmiter credit æque recte sua ratione uti ac qui illa credit.

61. Si contra jam dicta, n. 60, 2°, et 3°, *Objicias* rusticum illum irrationaliter agere testimonium respuendo debitis conditionibus vestitum; et quoniam miraculis (ut de ceteris motivis credibilitatis taceam) firmata est divina missio Christi et Apostolorum, ii quibus satis significata est existentia miraculorum credere tenebantur. Ipsa ratio ut fides præstetur in utroque casu suadet et imperat.

62. *Resp.* 1°. Ergo recte utitur ratione qui usum illius rationis, per modum judicii privati, abjicit, et totus aucto-

ritati legitimæ cedit. Ergo ruit principium instantiæ, nempe, in nullo casu posse hominem a se abjicere onus utendi ratione per modum judicii privati. Dixi "in *nullo* casu:" si enim dentur casus excepti, nihil affirmant adversarii quod et nos pariter non affirmamus, nempe, et rationem individuam, seposita auctoritate, et auctoritatem, se solam, esse media cognitionem veritatum comparandi. Sed ex hac generali propositione nihil in præsenti materia concludi potest. Posita enim propositione, statuendi adhuc sunt casus in quibus ratione individua sola duce tutò incedimus, et casus in quibus sola auctoritas nos tutò ducit. 2°. Quæstio ergo hic unica est, *Utrum judicium singulorum privatum, an vero solam auctoritatem Ecclesiæ, pro regula fidei proxima statuerit Deus?* Ad hanc resolvendam quæstionem nihil unquam valere vel prodesse possunt ejusmodi ratiunculæ à priori vanæ et steriles.

63. *Urgetur* 3. Usus ille rationis quid personale singulis est: negotium est eos inter et Deum, cui nulla se immiscere potest creatura, et cui nemini concedi debet ut se immisceat. *Idem*, et alii communissime.

64. *Resp.* Distinguo: Quatenus usus ille moraliter bonus est aut malus (seu quomodo aliquis dono rationis, sicut et alio quovis dono naturali vel supernaturali, utatur, utrum bene an male), ipsi quid personale est, &c., eo sensu quod, secundum bonum vel malum usum, ipse solus premio remunerabitur vel pœnam dabit: Transeat: Usus ille rationis in comparanda doctrina Christiana quid pure personale est, nec illi negotio potest aliquis se immiscere: Subdistinguo: Si non via auctoritatis sed via judicii privati doctrinam illam comparandam esse statuerit Deus: Concedo: Si solâ viâ auctoritatis: Nego. Dixi ad primum distinctionis membrum "Transeat;" non enim hic quæstio

est de moralitate hujus vel illius actûs humani, sed de proxima regula fidei divinitus constituta. Falsa autem est propositio affirmans illi soli qui actu positive peccat culpæ vertendum esse: omnes enim qui sive ex charitate sive ex officio peccatum impedire obligantur, et ipsi peccato tenentur.

Aliæ Instantiæ et Objectiones vel rationalisticæ vel ad rem non pertinentes videantur, D. 14, n. 144, &c.

65. *Object.* 13. "Vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri: quia magister vester unus est, Christus." Matth. xxiii. 8-10. ARNOLD, *Fragment on the Church*, pag. 103; WHATELY, in suis scriptis passim. Nulla est ergo auctoritas in terris Ecclesiæ, Patrum, &c. cui tenemur nos in materia fidei absolute subjicere. Ita WHITBY in loc. et, vel insinuando vel diserte affirmando, BENGEL, BLOOMFIELD, ALFORD, &c. &c.

66. *Resp.* Distinguo sensum textûs verum a falso: Nolite vocari Rabbi, &c., sensu hic reprehenso, et eo modo quo se Rabbi vocari voluerunt Scribæ et Pharisæi: Concedo: Alio sensu et alio modo: Nego. Magnam illam virtutem humilitatis, cujus et seipsum alibi (Matth. xi. 29) exemplar proposuit, hic commendare vult Christus. Duplici modo contra hanc virtutem peccaverunt Scribæ et Pharisæi, 1°, vindicando sibi auctoritatem et dignitatem et personalem excellentiam ad quam jus non habebant, et sic injuriam irrogando majestati divinæ; 2°, auctoritate et dignitate, sive quam jure habebant (aliqua enim eos jure potitos esse auctoritate et dignitate ex hoc ipso capite, vers. 2, constat), sive inique arrepta, superbe et contemptim

utendo. (De intolerabili Rabbinorum arrogantia videas supra dictum WHITBY, in hunc locum Matthæi.) Hæc fuisse Scribarum et Pharisæorum vitia, et solum contra haec vitia moralia (et alia in sequentibus versiculis usque ad finem capitis reprehensa) Christum turbas et discipulos monere voluisse, ex contextu verborum objectorum, et ex aliis, adeo manifestum est, ut valde mirum mihi esset tot doctos Protestantes tam turpiter errasse, nisi in aliis æque manifestis eos toties cæcutientes deprehenderim. "Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim et non faciunt . . . . Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationis in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi, &c. . . . . Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur."

67. Patet 1°, Sermonem hic non esse de regula fidei proxima, seu de modo quo fideles sive Judæi sive Christiani cognitionem doctrinæ sive Judaicæ sive Christianæ comparare debeant, utrum via auctoritatis an via judicii privati; sed de re pure morali, de vitanda hypocrisi et superbia Scribarum et Pharisæorum, et de humilitate colenda. 2°. Imo, si quid de regula fidei hic significet, ad omnem de ea sermonem, quasi ad finem specialem hujus concionis non pertinentem, amovendum id significat. Tres primi versiculi, "Super cathedram . . . . non faciunt," idem sonant ac si dixisset, "Quomodo vos erga Scribas et Pharisæos legem ex cathedra interpretantes gerere debeatis, nihil vobis nunc præscribere volo, nisi ut eos sequamini: ut

autem eorum vitia moralia et personalia imitando non sequamini, id est quod vos hic omnino monendos statui: hæc autem vitia sunt" &c. Deinde vitia hæc varia a vers. 4 ad finem capitis denunciat. 3°. Ipsum officium vel auctoritatem magistri et doctoris certissime non damnavit Christus; aloquin quæ ipse instituit et Apostoli continuarunt damnasset: supra, n. 3, &c.

68. *Object.* 14. "Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe." 1 Pet. iii. 15. CHILLINGW. Præfat. n. 12. WHATELY, passim, et alii passim, textum nude et absque ulla explicatione proferentes, sed plane significantes exinde jus judicii privati adversus systema auctoritatis firmari.

69. *Resp.* Distinguo: Parati semper (*vel unquam*) esse debent fideles ad doctrinas quas profitentur ex Scriptura judicio privato interpretata probandas et firmandas: Nego: Parati ad aliquid aliud: Transeat. 1°. Esto (quod rite intellectum verissimum est, etsi, ut jam videbimus, in hoc textu nullomodo significatum) singulos Christianos *paratos* esse debere rationem proferre ob quam hæc et illa dogmata credant esse revelata; dum hunc textum adducunt Protestantes ut exinde ostendant in suo systemate solo rationem ejusmodi posse reddi, e contrario Catholici pari jure affirmant se optimam satisfactionem et rationem in auctoritate Ecclesiæ habere. Textus, significando rationem esse parandam, nihil de natura illius rationis significat, utrum judicium privatum sit an auctoritas; nihil ergo probat in gratiam systematis Protestantici, nec etiam in gratiam nostri. 2°. Sed reapse, sermo non est in textu de regula fidei seu de methodo comparandi notitiam dogmatum fidei, sed de spe. Monet S. Petrus Christianos a persecutoribus interrogatos esse debere paratos ostendere qua-

renam Christianam religionem veram esse credunt, et quam rationabiliter ergo sperant futuram gloriam ad quam non sunt condignæ passiones hujus temporis.

70. *Object.* 15. "Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum." Rom. xii. 1. Obsequium fidei nostræ esse debet rationabile. Atqui rationabile non esset secundum systema Catholicum, utpote obsequium cæcum. Ita multi.

71. *Resp.* 1°. Obsequium rationabile hic opponitur cultui, qualis apud Judæos extiterat, externo et per sacrificia animalium irrationalium delato; prout communiter non solum nostri sed et Protestantici interpretes tenent. "*Rational* opposed to sacrifices of animals which have no reason." ALFORD: ita ROSENMULLER, WHITBY, &c. 2°. Esto sermonem esse de assensu fidei, Concedo primam propositionem, secundam Distinguo: Secundum systema Catholicum prout illud detorquent et depravant adversarii: Esto: Prout a nobis tenetur et propugnatur: Nego.

Aliæ objectiones vid. D. 14, n. 165, &c.

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

DE ECCLESIA REGENTE.

Sectio Prima.—*Probatur Doctrina Catholica.*

1. Quæ sit ista Doctrina Catholica, quod saltem attinet ad capita ejus præcipua, ex propositionibus sequentibus satis patebit. Errores oppositos (quorum tamen præcipui ex iisdem propositionibus similiter perspecti habentur) singillatim dinumeratos habes, D. 15, n. 6, 13, &c. Vid. etiam ibidem notatum, n. 1.

Propositio I.—*Ecclesia potestate legislativa jure divino gaudet.*

2. *Probatur ex Scriptura.* Argumentum I. Eam potestatem jure divino habet Ecclesia quam ei contulit Deus, et in suo pastore supremo et in pastoribus particularibus. Atqui potestatem legislativam contulit Deus 1°, supremo pastori, prout in Parte tertia invicte demonstrabimus. 2°. Eamdem et particularibus pastoribus dedit. S. Paulus affirmat Episcopos ab ipso Deo potitos esse ad regendam Ecclesiam:—"Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:" Act. xx. 28. Monet Episcopos S. Petrus ut idem munus pastorale rite obeant:—"Pascite

qui in vobis est gregem Dei:" 1 Pet. v. 2. S. Paulus dicit "pastores" inter alios a Deo datos esse "in ædificationem corporis Christi:" Ephes. iv. 11, 12. In munere isto pascendi legislativam comprehendi potestatem ibidem etiam demonstrabitur.

3. ARGUMENTUM II. Ecclesia a Deo constituta est ad normam regni, regni divini, regni per omnia uniti et bene ordinati: c, 5, n. 38, &c. Atqui regnum ejusmodi in ipso ejus conceptu implicat potestatem legislativam, sine qua nullo pacto stare potest.

4. ARGUMENTUM III. ex factis et dictis Apostolorum. Potestatem qua usi sunt Apostoli non sane ex concessione principum vel ab ullo regimine civili habuerunt: neque eam sibi sine ullo jure vindicarunt; divinitus ergo concessam tenuerunt. Exercitii hujus potestatis legislativæ exemplum insigne habetur Act. xv., ubi Apostoli in unum congregati legem veram et proprie dictam tulerunt. Neque dicatur statutum illud meram fuisse declarationem legis divinæ vel naturalis. Nulla enim lege vel naturali vel divina positiva tenentur Christiani ad abstinendum a sanguine aut suffocato, nec etiam per se ab immolatis simulachrorum: et tamen horum abstinentiam eodem ipso mandato cum abstinentia fornicationis præcepit concilium Apostolicum, et invocata auctoritate S. Spiritus præcepit, vers. 28, 29:—"Visum est enim Spiritui Sancto et nobis . . . . ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum et sanguine et suffocato et fornicatione." Alias ordinationes et decreta edidit et ipse S. Paulus; ut de modo componendi lites inter Christianos ortas, 1 Cor. vi. 4:—"Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum." Alias ordinationes de mulierum moribus hic et alibi constituit: 1 Cor.

xi. 5; xiv. 34; 1 Tim. ii. 9, 11, 12. Similiter et de viduis ordinationem quamdam fecit Apostolus in ead. 1 Tim. v. 9; et de presbyteris accusatis, ibid. vers. 19. Has omnes ordinationes esse, vel in toto vel in parte, juris pure ecclesiastici, nullomodo autem puras explicationes vel promulgationes juris divini manifestum est, et, ut puto, a nemine negatum.

PROPOSITIO II.—*Ecclesia Potestate judiciali jure divino gaudet.*

5. *Probatur ex Scriptura et Rationibus Theologicis.* ARGUMENTUM I. Potestatem legislativam dedit Deus Ecclesiæ non vanam et inutilem, sed veram et salutarem. Atqui potestas legislativa sine judiciali vana esset et inutilis. Potestas enim judicialis "duo involvit judicia, alterum de vero legum sensu, alterum de sociorum actionibus, utrum nimirum prædicto legum sensui conformes sint necne" (TARQUINI, L. 1, n. 20). Si autem Ecclesia non posset vel suas leges interpretari vel inquirere et statuere auctoritative utrum leges istæ servantur an non, planum est potestatem legislativam mancam esse, sterilem et inutilem. Tunc enim vel singuli jus haberent independens de sensu legis judicandi et de suarum cum ea actionum convenientia; vel jus hoc societati civili inesset. Utrumque multiplici ex capite falsum est. 1°. Jus illud nec in Scriptura nec in Traditione ullum fundamentum habet. 2°. Posita alterutra hypothesi, potestas legislativa ecclesiastica nomine tantum in Ecclesia esset, reapse vero vel in individuis vel in civili societate. 3°. Ecclesia non esset independens (contra probanda n. 10, &c.), sed abjecta servula et mancipium vile.

6. ARGUMENTUM II. Potestas judicialis pariter ac legis-

lativa in munere pascendi (n. 2) comprehenditur; prout in Parte tertia, de Summo Pontifice, demonstrabitur. ARGUMENTUM III. ex eo quod Ecclesia est regnum. Dicta n. 3 hic accommodari possunt.

7. ARGUMENTUM IV. 1°. Potestatem judicialem in Corinthium incestuosum aperte exercuit S. Paulus, 1 Corinth. v. 1, &c. Declarat enim legem qua vetitum est ne quis patris sui uxorem haberet, et auctoritative delinquentem denuntiat, et in eum auctoritate Dei ("in nomine Domini nostri Jesu Christi") pœnam gravem statuit. 2°. Simili modo judicavit Hymenæum et Alexandrum, eosque pœna simili affecit: 1 Tim. i. 20. 3°. Potestas judicialis in textibus ad potestatem Ecclesiæ coactivam firmandam afferendis plane significatur.

PROPOSITIO III.—*Ecclesia potestate coactiva jure divino gaudet.*

8. *Probatur eodem genere argumentorum.* Argumenta supra data ad potestatem Ecclesiæ judicialem probandam ex eo quod potestas hæc in potestate legislativa implicetur (n, 5), et ex eo quod in munere pascendi et in idea regni includatur (n. 6), facile ad præsentem materiam transferri et accommodari possunt. Hanc potestatem Christus Ecclesiæ contulit diserte:—"Si autem peccaverit in te frater tuus . . . . Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanos:" Matth. xviii. 15-17. Ut Christianus ("frater") aliquis tanquam ethnicus et publicanus a ceteris Christianis haberetur et tractaretur, quicquid definitius significat (quod non est præsentis loci statuere), gravissima fuit

pœna. Plura sunt loca, in quibus Apostolus hanc sibi vindicat potestatem diserte :—"In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam :" 2 Cor. x. 6; "Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem et non in destructionem :" ibid. xiii. 10. Huc et sequentes textus pertinent conjuncte : " Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur : et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem :" 2 Thessal. iii. 14, 15; "Increpa illos dure, ut sani sint in fide :" Tit. i. 13; "Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita": ibid. iii. 10.

PROPOSITIO IV.—*Ecclesia in munere suo docendi et regendi exercendo omnino suprema et sui juris est.*

9. Ecclesia in omni munere suo obeundo independens est. Sed sufficit probare independentiam magisterii et regiminis ; tum quia independentia ministerii eodem genere argumenti probatur ; tum quia in illis admissa, facile in hoc concederetur. Libertas autem quam Ecclesiæ vindicamus independentia est a potestate civili : alia enim non est in terris constituta potestas præter civilem, et quidem supremam et prout existit in societate civili perfectâ, de cujus jure ad coarctandam Ecclesiæ libertatem dubium movetur vel moveri potest. Potestas hæc civilis juribus Ecclesiæ magis vel minus infensa esse potest, prout magis vel minus in eam dominari conaretur : et multiplici modo juribus illis infensa esse potest, vel per seipsam immediate (v. g. legem aliquam contra Ecclesiam ferendo), vel licentiam vexandi Ecclesiam societatibus imperfectis sibi subor-

dinatis aut magistratibus aut etiam individuis privatis tribuendo, vel vexationes eorum probando aut tolerando.

10. *Probatur propositio ex S. Scriptura.* I. 1°. Petrus absolute et sine ulla cuiquam potestati humanæ subjectione vel subordinatione, sive implicita sive explicita, constitutus est petra et firmamentum Ecclesiæ, ad omnes contra eam intentos incursus debellandos: potestate regia in universam Ecclesiam claves accipiendo auctus est: munus accepit quodcumque ligandi quodcumque solvendi, omnes fratres confirmandi, omnes agnos et oves pascendi. Quod absolute et sine ulla cuivis subjectione accepit, absolute et sine ulla cuivis subjectione tenet. Quod autem accepit nihil aliud fuisse quam supremam potestatem docendi et regendi universam Ecclesiam Parte Tertia probabitur. 2°. Simili modo et omnes Apostoli simul, Petro incluso, missi sunt ad baptizandum et docendum per omnes gentes, ad prædicandum omni creaturæ, ad ligandum et solvendum, &c. II. In textibus, in quibus ista munera Petro et Apostolis vel promissa vel data sunt, non solum nulla apponitur circumscriptio, sed nec in ullo alio textu Scripturæ ulla temperatio in illis muneribus exercendis, quasi jure a civili potestate adhibenda, vel minimum significatur.

11. III. E contrario non uno modo positive significatur Ecclesiam sui juris esse et a ductu aut dominatione civilis potestatis omnino liberam. 1°. Finis sane ultimus et extrinsecus (D. 15, n. 4,) civilis potestatis debet esse felicitas supernaturalis populi et in hac vita et in sequenti; et ideo tenetur gubernium civile saltem negative hunc finem in suis ordinationibus procurare, nihil quod ei verè obstet ordinando (ad quid positive teneatur hic non dicimus). Sed finis ejus intrinsecus sive proximus

sive ultimus est sola felicitas temporalis. Finis vero Ecclesiæ et potestatis ecclesiasticæ, non solum extrinsecus et ultimus esse debet, sed intrinsecus et proximus est felicitas supernaturalis hominum in hac vita et in futura. Media ad hunc finem supernaturalem assequendum divinitus constituta alia omnino sunt a mediis quibus felicitas temporalis attingitur, neque ullatenus a gubernio vel societate civili derivantur, sed prorsus independenter ab iis habentur. Pastores, quorum munus est in Ecclesia docere et regere, corpus a gubernio distinctum efficiunt, nec ab eo sed independenter ab eo, a Deo supernaturaliter per successionem apostolicam, munus istud tenent. Ut tales ergo corpus efficiunt plane independens et sui juris.

12. 2°. Si Ecclesiam non liberam et sui juris sed gubernio civili subjectam esse voluerit Christus, quoniam ex jam dictis toties in N. Testamento exhibetur Ecclesia docens et regens, alicubi vestigium aliquod hujus subjectionis sese proderet. Sed non solum nullum ejusmodi subjectionis vestigium in N. Testamento invenitur, e contrario ubique in Actibus et Epistolis suis exhibentur Apostoli ut suis officiis omnino liberi fungentes, absque ulla relatione ad aliquam tunc existentem civilem potestatem. Varias regiones lustrant, conventus habent fidelium, prædicant, literas dant dogmaticas et morales, &c., constituunt Episcopos, leges ferunt, pœnis delinquentes afficiunt, uno verbo omnia sua officia in docendo et regendo exequuntur absque etiam mentione ullius potestatis civilis quasi ea vel annuente vel tolerante vel etiam conscia agant vel agere debeant. Cum guberniis civilibus vel eorum ministris non aliam societatem habuerunt quam habent oppressi et vexati cum persecutoribus suis alienis et infestis:—"Tradent enim vos in

conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos, et ad præsides et ad reges ducemini propter me:" Matth. x. 17, 18.

Argumenta ex Patribus, vid. D. 15, n. 38, &c.

SECTIO SECUNDA.—*Solvuntur Objectiones.**

13. *Object.* 1. Ecclesiæ potestas jure divino pure spiritualis est. Sed potestas ejusmodi non potest coercere pœnis, saltem externis et sensibilibus.

14. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Pure spiritualis est eo sensu quod a fonte pure spirituali nempe divino derivatur, et finem pure spiritualem habet: Concedo: Eo sensu quod vel 1°, in puris spiritibus et non in hominibus, qui sunt pastores Ecclesiæ, existat; vel 2°, circa puros spiritus exerceatur et non circa homines, qui fideles sunt subditi Ecclesiæ pastoribus; vel 3°, circa actus hominum pure internos solos exerceatur; vel 4°, quod solis mediis ad finem suum assequendum pure spiritualibus, incorporeis, invisibilibus uti possit, et non etiam externis et sensibilibus: Nego. 2°. Minorem simpliciter Nego, vel Distinguo: Si Ecclesiæ non est concessa potestas illa vel diserte, vel saltem implicite in structura ejus et legibus quibus regitur constituendis: Concedo: Si utroque modo, et explicite et implicite, potestas hæc concessa est: Nego, secundum supra probata.

15. *Object.* 2. Suprema est potestas gubernii civilis, nec alia est sub Deo cui subjiciatur. Repugnat vero in eadem regione, in eodem populo, duas dari supremas

* Hæ objectiones ex variis variorum scriptis delectæ sunt, libris, commentariolis, ephemeridibus, &c.

potestates. Ergo Ecclesiæ potestas, qualiscumque est, gubernio civili subjecta est.

16. *Resp.* 1°. Ad primam propositionem: Distinguo: In puris temporalibus suprema est: Concedo: In puris spiritualibus vel in iis quæ in temporalibus spiritualia sunt, gubernium civile potestatem habet vel supremam vel ullam omnino, nisi forsan quatenus ei ab Ecclesia concedatur: Nego. Non est enim potestas nisi a Deo: Deus autem gubernio civili ejusmodi potestatem non contulit; neque ut auctor naturæ, impertiendo homini legem naturalem et rationem; neque ut auctor gratiæ et ordinis supernaturalis, per revelationem. Non enim ex ratione nec ex verbo Dei probari potest illam potestatem gubernio civili inesse. 2°. Distinguo secundam propositionem: Si ejusdem speciei sint et ergo eundem finem proximum habeant: Concedo: Si non solum diversos fines sed et diversa media habeant: Nego: D. 15, n. 4.

17. *Urgetur* 1. Non est admittenda potestas in Ecclesia, ex cujus exercitio perpetuæ oriuntur conflictiones eam inter et gubernia civilia. Atqui ex potestatis ecclesiasticæ exercitio perpetuæ, ut testatur historia, efferbuerunt conflictiones illæ.

18. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Si Christus Ecclesiæ potestatem regiminis non sit elargitus: Concedo: Si elargitus sit: Nego. Objectiones hujusmodi in hoc sicut et in aliis argumentis prorsus vanæ et extra rem sunt. Non enim nisi ex positiva institutione divina qualis sit Ecclesia quibusve attributis aucta statuendum est. Si jus aliquod Ecclesiæ inesse solidis argumentis ex Scriptura vel traditione vel utraque probatum sit, tunc sileant omnes objectiones, nisi quæ prius ista argu-

menta dissolverent : si jus argumentis ejusmodi probari non possit, tunc vel nullum est vel dubium, et a nobis Ecclesiæ nullibi vindicabitur. 2°. Distinguo majorem aliter : Si dissidia illa ex natura rei oriantur et non possint non oriri : Transeat vel etiam Concedo : Si ex solo vitio hominum, et præsertim ex odio erga Ecclesiam implacabili hæreticorum et regalistarum, et ex immani guberniorum civilium tyrannide, jura omnia divina et humana publica et privata conculcantium, generentur : Nego. 3°. Distinguo minorem similiter. Tyrannidis illius exempla hodie præ oculis habemus, universo mundo patentia, in Sardinia et Lusitania.* 4°. Retorqueo objectionem. Non est admittenda distinctio plurium regnorum independentium, si ex ea sequantur perpetua bella inter regna et regna : &c.

19. *Urgetur* 2. Ex ipsa rerum natura impossibile est, nisi per miracula continua, ut non oriantur inter utramque potestatem simultates et contentiones. Utraque enim potestas eadem sæpe habet objecta, de quibus jurisdictionem suam exercet. Quomodo autem possunt duæ potestates supremæ et independentes de eadem re, pacifice et jure utrimque illæso, leges ferre et jus dicere? Sit in exemplum objecti communis seu mixti matrimonium baptizatorum. Contractus matrimoniales per impedimenta apposita et per alias ordinationes jus regendi independens sibi vindicat gubernium. Idem ipsum jus in eosdem contractus sibi vindicat Ecclesia. Ex his ergo sic argumentatur :— Eadem res non potest duabus potestatibus supremis subjici. Si vero Ecclesia potestate regiminis suprema gaudet, ita se res sæpius haberet.

* Et hodie in universa Italia, in Borussia, in Helvetia et, etsi adhuc non adeo immanis, in Austria. Sed "non prævalebunt." 1874.

20. *Resp.* Distinguo majorem. Eadem res quæ nonnisi ad unum finem intrinsecum et proximum ordinatur, qui finis est unius potestatis et non alterius: Concedo: Eadem res quæ duplicem respectum seu relationem habet, vel quæ composita est, et ex duabus partibus constat, si ex uno respectu vel ex una parte hunc finem habet intrinsecum qui finis est potestatis unius, et ex alio respectu vel parte illum finem habet intrinsecum qui finis est potestatis alterius, non potest quoad duos illos respectus vel partes duabus illis potestatibus supremis subjici: Nego. Simili modo distinguatur minor. Sunt res quæ duos illos respectus habent, sunt et res quæ ex duabus illis partibus constant. 1°. Actiones fidelium in genere spectatæ duas relationes habent, alteram ad civilem societatem et ut civium, alteram ad Ecclesiam et ut fidelium. Qui contra homicidium efficaciter suadet eadem actione fini potestatis civilis et ecclesiasticæ consulit: qui homicidium facit utriusque fini officit, et ab utraque potestate puniri potest. 2°. In matrimonio fidelium (spectato integro negotio) duæ sunt partes, duæ res non solum separabiles sed jure divino omnino separatæ et distinctæ; nempe ipse contractus, seu mutua corporum traditio, et civilium effectuum dispositio. Primum, utpote sacramentum N. Legis (*ipse* enim contractus *est* sacramentum), soli Ecclesiæ totum subjicitur: secundum gubernio subjicitur—servatis tamen principiis justitiæ, &c. quæ ad omnem legem et judicium humanum validum efficiendum necessario servanda sunt. Si gubernium de iis solis judicet quæ ad proprium finem et forum pertinent, cetera judicio Ecclesiæ remittens, pax et concordia summa et perpetua inter utramque potestatem vigebit, et utraque suum proprium finem et felicitatem securius et perfectius assequetur. Haec ex factis historicis certis et patentibus firmari vid. D. 15, n. 68.

21. *Urgetur* 3. Sed 1°, res sunt in se temporales, quas vel consecratione quadam vel alio modo Ecclesia ad fines spirituales etiam proxime assequendos ordinat. Talia sunt ecclesiæ consecratæ, cives qui creantur presbyteri et Episcopi. 2°. Sunt munera et actiones in se spirituales, quæ variis modis rem civilem plus minus afficiunt, effectusque civiles pariunt vel parere possunt. Talia sunt dies festi, concilia ecclesiastica, damnatio librorum pravorum, imo ipsa prædicatio evangelii et administratio sacramentorum. Jus gubernii in temporalia supremum est et independens. Atqui tale non esset, si in præfatas res Ecclesia haberet potestatem independentem: potestatem enim hanc exercere non potest nisi invadendo jus gubernii, quod proinde independens non esset.

22. *Resp.* breviter 1°. Retorqueo objectionem. Jus Ecclesiæ in spiritualia supremum est et independens. Atqui tale non esset, si in præfatas res gubernium haberet potestatem independentem. 2°. Distinguo majorem: Potestas gubernii independens est eo sensu quoad eam ab Ecclesia nullo modo acceperit gubernium sed a Deo *remote*; et in iis quæ pure temporalia sunt eam suo jure et omnino independenter ab Ecclesia exercere possit: Concedo: Eo sensu quod in iis quæ sive per se sive ex ordinatione Ecclesiæ (auctoritatem ad id a Deo habentis) ad finem spiritualem diriguntur vel dedicantur, jure Ecclesiæ per modum conflictus obsistere possit, et non sit isti juri omnino subordinata: Nego. Plura de his vid. D. 15, n. 70, &c.

23. *Urgetur* 4. Si ita se res habeant, ergo felicitas temporalis reipublicæ per statuta Ecclesiæ impediri et deminui possit: v. g. per institutionem dierum festorum, quibus avocatur populus a labore et sic impedimentum affertur

augmento divitiarum, &c. quo tantum amplificatur societas civilis.

24. *Resp.* Deminuitur felicitas temporalis in minimis minimorum et felicitas falsa, fucosa, periculosa: Esto: Felicitas multa et vera; aut felicitas aliqua civilis, cujus amissio non compensatur alia felicitate infinite potiori, et ipsam felicitatem temporalem *veram* augente et solidante: Nego. Felicitas illa temporalis nimia fieri potest, ita ut summa evadat miseria non solum spiritualis sed etiam temporalis: vide notam at calcem D. 8. Ex relationibus authenticis testium Protestanticorum gravium nuper editis constat in ipsa civitate Londinio, opibus florentissimo, decies circiter centena millia hominum vivere, qui mediis institutionis religiosæ carent.

25. *Urgetur* 5. Si vera sit doctrina tradita, gubernium nihil potest contra canones Ecclesiæ statuere. Sed hoc non aliud esset quam gubernium Ecclesiæ tanquam servum subjicere.

26. *Resp.* 1°. Retorqueo. In puris temporalibus nihil potest Ecclesia contra leges civiles statuere. Ergo Ecclesia est serva Gubernii. 2°. Concedo primam propositionem. Distinguo secundum propositionem: In iis quæ ad forum civile et jus proprium gubernii in temporalibus pertinent: Nego: In iis quæ ad forum Ecclesiæ pertinent: Subdistinguo: Si servus sit omnis qui, dum in proprio jure exercendo independens est, juste non potest extra illius cancellos egredi, et jus alterius independens invadere: Concedo: Si ille non sit servus: Nego. 3°. Tantum abest ut gubernium sit servus Ecclesiæ sensu aliquo ignominioso, ut inter munera illius id maxime honorificum sit quoad jura hujus defensanda adstringitur. Gubernium sane Ecclesiæ

servus est—si vocabulo isto uti velis—eo sensu quo omnes homines servi ejus sunt vel esse debent, nempe, quod teneantur legibus Ecclesiæ obtemperare et ministros ejus et omnia ejus quæ sacra sunt debita reverentia prosequi. Sed insuper "unanimis Patrum doctrina est . . . . finem ac præsidia civilis societatis suapte natura subordinata esse potestati Ecclesiæ, quatenus felicitas temporalis ordinata est ad felicitatem æternam. Hinc docuerunt Patres Deum instituisse potestatem civilem, ut subsidio esset Ecclesiæ, atque Ecclesiæ inserviret tamquam prædium ad assequendum finem ei proprium, nempe supremum." PERRONE, de Matrim. Christ. l, 1, s. 2, c. 4.

Hic liceat notare quam longe ab hac doctrina Patrum et ipsius Ecclesiæ aberret systema D. MACAULAII ("Essays," vol. 2, pag. 436, &c. "Gladstone on Church and State") et aliorum multorum in his regionibus et aliis; secundum quos nullomodo ad officia gubernii pertinet religionis bonum procurare, imo per se inconveniens esset ejusmodi munus in se suscipere. Argumenta MACAULAII quatenus impetunt theorias GLADSTONII juveniles, an valida sint nostra nihil interest; quatenus vero impetunt nostram doctrinam, sophismata sunt pura. Sed hic non est locus ea disjiciendi.*

27. *Urgetur* 6. Ecclesia, utpote pars statûs, in statu est; non autem status in Ecclesia est. Ergo non status Ecclesiæ sed Ecclesia statui subordinari debet.

28. *Resp.* 1°. Si significetur Ecclesia universalis, manifesto falsum est antecedens: in nullo enim statu particulari continetur vel contineri potest. 2°. Si significetur ecclesia particularis, v. g. cujusdam nationis vel diœceseos, ecclesiæ

* Vid. commentariolum de hoc argumento a nobis elucubratum, *The Dublin Review*, Januar. 1872, "The world turned atheist: &c." 1874.

istæ (præsertim nationales) non efficiunt tot corpora, nisi quodam improprio sensu et quodam valde imperfecto modo et umbratiliter. Non solum non sunt quasi per se existentes et agentes, sed universali Ecclesiæ, tamquam corpori membra, arcte et indivulse conjunguntur; et omnimodo et in omnibus imperio œcumenici pastoris legislativo, judiciali et coactivo subjiciuntur. Et reapse, si statuta et consuetudines diœcesanas excipias (quæ tamen debent esse omnia legibus superioribus conformia, et summi pastoris recognitioni, si id velit, obnoxia sunt, et ab eo emendari vel abrogari possunt), particulares diœceses legibus quæ ab œcumenica potestate latæ sunt vel probatæ reguntur, v. g. legibus quæ respiciunt festa, jejunia, sacramentorum confectionem et administrationem, &c. &c. Insuper, judicialis potestas et coactiva quæ in ecclesiis particularibus exercentur ad normam legum universalium exerceri debent. Ergo ne una quidem diœcesis esse potest in statu nec pars ejus, nisi eam ab universali Ecclesia præcidas et e manibus universalis pastoris eripias.

29. 3°. Dato antecedente, nego consequentiam et conse quens, vel Distinguo principium consequentis: Pars toti subjici debet, si actualis potestas in toto sit et non in parte, si pars jure aliquo divino vel humano auctoritate in totum non gaudeat: Concedo: Si auctoritate ista gaudeat pars: Nego. Pater est pars totius familiæ, magistratus civitatis sunt partes totius civitatis, gubernium est pars totius reipublicæ, Episcopus est pars totius diœceseos, Papa est pars totius Ecclesiæ; et omnes illi, etsi partes, sua respectiva tota regunt, nec ab his reguntur.

30. *Urgetur* 7. Non debet populus ullius statûs a potestate sibi externa regi. Atqui extra proprium regnum Papa est singulis statibus externus.

31. *Resp.* I. Retorqueo. Non debet gubernium in materia sibi omnino externa regimen ullum exercere. Atqui materia spiritualis, et materia mixta quatenus spiritualis, gubernio omnino extranea est. II. Distinguo majorem: Nisi id potestati illi jure divino vel humano (justo, ut semper suppono) datum fuerit: Esto vel Concedo: Si ita datum fuerit: Nego. III. Distinguo minorem: Quatenus rex est temporalis, et in temporalibus quatenus pure temporalia sunt: Concedo: Quatenus est supremus pastor in universo orbe terrarum, &c.: Nego. Non solum nulli regioni externus est Papa, sed omnibus et singulis regionibus eo intimo modo est, ut ita dicam, internus, quo nullum aliud gubernium, nullus alius rex in mundo vel est vel esse potest. 1°. Jurisdictionem habet a Deo immediate; 2°, et in omnes baptizatos; 3°, et in omni loco; 4°, et immediatam; 5°, et supremam; 6°, et adeo immobilem et indeficientem, ut nunquam in finem mundi, ulla vi, ulla præscriptione contraria, ulla causa tolli vel minui possit.

32. *Urgetur* 8. De facto reges Catholici sæpius in materiis ecclesiasticis leges tulerunt et judicia exercuerunt.

33. *Resp.* Vel ea fecerunt, Ecclesia aut expresse concedente (ut in concordatis) aut saltem tacite probante; vel Ecclesia reclamante aut, ad majora mala vitanda, tacente et non approbante. Si prius, quicquid statuerint robur suum ex Ecclesiæ auctoritate habuit; si posterius, eorum statuta injusta et invalida fuerunt et sunt, neque magis in exempla imitanda vel probanda trahi possunt quam eorundem fornicationes, rapinæ, homicidia, bella injusta, &c. &c.

CAPUT QUINTUM DECIMUM.

DE SUBJECTO AUCTORITATIS ECCLESIÆ.

1. Sermo hic est de auctoritate in docendo et regendo. Per subjectum auctoritatis Ecclesiæ eum vel eos significamus qui ista auctoritate affecti et instructi sunt. Subjectum hoc, secundum doctrinam Catholicam, vel Papa est per se vel corpus Episcoporum cum Papa. 1°. De Papa per se tractabitur seorsum. 2°. Ex dictis, c. 9, et 14, satis exploratum est non solum omnino distinctum esse clerum a laicis et potestatem ecclesiasticam a civili, sed gubernium civile nullomodo jurisdictionem spiritualem cum Ecclesia participare: ita ut, quoad hoc, gubernium Christianum a gubernio infideli nihil discrepet, et non magis jurisdictione illa gaudeat quam si nulla talis jurisdictio existeret in mundo. Nemo enim habet jurisdictionem illam vel habere potest nisi cui a Deo data est. Selecto autem corpori vel selecto individuo tota data est, iisque solis. Nullus ergo extra corpus istud, sive princeps sive populus, eam vel minime participat. Opus igitur non est dicta repetere, probando hic a subjecto auctoritatis ecclesiasticæ omnino excludi quoscumque laicos.

2. Episcopi spectari possunt vel ut dispersi vel ut in concilio generali congregati. Utroque modo et docere et regere possunt. Verumtamen nisi in conciliis congregati,

vix possunt leges disciplinæ generales condere aut etiam definitiones fidei solemnes: hæ enim a S. Pontifice, extra concilia, primùm emanant. Sermo ergo erit in hoc capite de solo Concilio Generali. Errores Jansenistarum opus non est hic recensere:* videantur, D. 16, p. 4, &c.

3. Protestantes omnes infallibilitatem conciliorum generalium (nisi sensu quodam pravo statim exponendo) negant. Hæc habet Artic. 21 Ecclesiæ Constitutæ:—"Generalia concilia . . . . et errare possunt, et interdum errarunt etiam in his quæ ad Deum pertinent." 1°. Puseyitæ et alii pauci in Ecclesia Constituta tenent istorum conciliorum decreta, si ab universali Ecclesia (secundum eorum theoriam: c. 5, n. 22, 175) probentur, vim ligandi habere, non ex se quidem sed ex confirmatione illa. Hinc prima sex, præsertim prima quatuor, tanquam vere generalia et ab errore immunia habent. PALMER, p. 4, c. 7; BROWNE, in Artic. 21. 2°. Apud ceteros Protestantes in his regionibus concilia generalia vel nullum vel exiguum pretium habent.

De Conciliis Generalibus.

4. Concilium in genere, ex usu loquendi communni, conventus est virorum selectorum in unum locum aliquid deliberandi gratia: ita fere BENEDICT. XIV. de Synodo, l. 1, c. 1, n. 1. Disputatio hic est de concilio ecclesiastico ut tali, quod est conventus virorum ecclesiasticorum ad deliberandum de rebus ecclesiasticis. Concilium est vel generale vel particulare, et hoc vel nationale est vel provinciale: concilium diœcesanum communius nomine synodi

* Et id maxime quoniam errores isti, vel in se vel in suis principiis, in Concilio Vaticano damnati sunt: ita ut qui eos nunc professus fuerit extra Ecclesiam, ut hæreticus apertus, constituatur, vid. Append. 1874.

dicœcesanæ vocatur. Concilia "generalia, quæ et œcumenica dicuntur, ea sunt ad quæ vocantur Episcopi totius orbis, qui possunt et debent iisdem interesse, nisi legitime impediantur, et quibus præsidet Romanus Pontifex vel per se vel per suos legatos." BENEDICT. XIV. ibid. n. 2.

5. Theologi passim dicunt concilium generale Ecclesiam universalem repræsentare. Hoc quidem ad mentem istorum auctorum verum est; sed propter pravum sensum qui, secundum principia Jansenistica, ex ejusmodi locutione exprimi potest et reapse a quibusdam expressus est, expositione aliqua indiget. Triplici modo dici potest concilium repræsentare Ecclesiam. *Primo*, eo modo quo suprema potestas alicujus regni istud repræsentat. Episcopi, spectati ut sejuncti a Papa, Ecclesiam hoc modo nec repræsentant nec repræsentare possunt: sic enim spectati nullam in Ecclesiam habent jurisdictionem, sed tantum singuli in singulis suis dicœcesibus. Papa solus Ecclesiam hoc modo, ut pater familiam suam, repræsentare potest; vel, si velis, concilium cum Papa, hanc vim repræsentandi ab eo totam derivans. *Secundo*, dici potest concilium eo sensu repræsentare Ecclesiam quod ab ista suam derivet auctoritatem. Sed, sive per Ecclesiam ibi significes corpus Episcoporum absentium sive communitatem fidelium sive utrumque conjunctum, non potes affirmare vel Papam vel concilium hoc modo Ecclesiam repræsentare, nisi Jansenisticam doctrinam affirmando, et aperte lædendo dogmata fidei definita (Constituit. PII VI., *Auctorem fidei* Prop. 2 et 3). *Tertio*, dici potest concilium Ecclesiam repræsentare alio modo dupliciter. 1°. In materia fidei singuli Episcopi testificari possunt hæc et illa dogmata non solum a clero et populo suarum dicœcesium respective sed etiam a fidelibus præsertim Episcopis finitima-

rum diœcesium vel etiam totius provinciæ aut nationis, teneri. 2°. In materia disciplinæ et quod attinet ad leges universales condendas, singuli Episcopi de eo quod magis in suis diœcesibus et provinciis expediat testificari possunt; et sic, "convenientibus ex totius orbis partibus episcopis ac legatis, melius constat quid omnibus ecclesiis expediat:" SUAREZ, de Fide, d. 11, prœem. n. 2.

6. *De Membris Concilii Generalis.* "Constat variis rationibus et titulis varios etiam homines ad hujusmodi concilia vocari posse; (1) alios quidem qui patres congregatos tuentur, et seditiones omnes vitandas curant: sic vocari possunt seculares principes aut legati vel duces eorum. (2) Alios, ut negotia tractent, vel sui rationem in concilio reddant: sic vocari possunt non solum principes seculares, sed etiam hæretici, schismatici et cujusvis conditionis homines. (3) Alios, ut discutiant res tractandas, sintque a consiliis ipsis Patribus: sic vocari solent sapientes cujusque conditionis vel dignitatis viri. (4) Alios denique tanquam propria membra concilium constituentia, qui ex officio vendicant activa suffragia in concilii definitionibus et statutis: atque hi sunt qui proprie conveniunt, et de quibus instituitur disputatio." SUAREZ, ibid. s. 1, n. 1. Episcopi, iique soli, de jure ordinario sunt isto quarto sensu membra concilii: nec de ullo jure fieri potest ut concilium vere et proprie generale sit, nisi corpus membrorum ex Episcopis constet.

7. Dixi "de jure ordinario." Etenim "concedendum prærogativam ferendi suffragii in concilio generali non adeo esse Episcoporum propriam, ut nequeat Pontifex eam aliis communicare, si expedire censuerit (quamvis quia Episcoporum dignitas jure divino fuit instituta, ad Episcopos quasi ordinario jure pertineat, ut ad generale

concilium convocentur), ut tenet communis sententia: et ratio est, quia actus jurisdictionis, illi præcipue qui ad externum regimen Ecclesiæ ordinantur, communicari possunt per Pontificem quibusvis ecclesiasticis personis capacibus talis jurisdictionis: sunt autem capaces etiam non Episcopi, nam actus qui in concilio exercentur per se et intrinsece non pendent a consecratione episcopali." SUAREZ, ibid. s. 1, n. 16. Hoc privilegio gaudent; 1°, Cardinales; 2°, Generales ordinum religiosorum; 3°, Abbates.

8. Episcopi in concilio non sunt meri consilarii Papæ, sed veri judices et legislatores. Sensum propositionis bene explicat BELLARMINUS, l. 1, c. 18, inquirendo, "An concilium sit verum judicium et Episcopi veri judices, ita ut standum sit eorum sententiæ, quia ipsi sic statuerunt, quomodo statur sententiæ prætoris in causis politicis: an vero tantum sit inquisitio quædam, et tantum valeat decretum concilii quantum valet ejus ratio: quomodo loquimur de decisionibus Doctorum, quas vel in scholis vel in suis commentariis faciunt."

9. *De Origine seu Institutione Primaria Conciliorum.* "Contendunt quidam," ait SYLVIUS, Art. 2, "originem conciliorum esse mere humanam et naturali ratione excogitatam, sicut in republica bene ordinata instituuntur consistoria et comitia seu concilia pro bono illius regimine. At responsio negativa omnino tenenda est, conciliorum originem non esse mere humanam, sed partim divinam, partim apostolicam." Vid. D. 16, n. 23, &c.

10. *De Conditionibus necessariis ut Concilium sit omnino et per omnia generale.* Ut concilium sit per omnia, ab initio usque ad finem, generale, necesse est ut sit generale in convocatione, in celebratione et in exitu.

Primo. Ut sit generale in convocatione, 1°. convocari debet a S. Pontifice. Ratio est quia in eo et in eo solo plenitudo est totius cujuscumque jurisdictionis quam Christus his in terris exercendam elargitus est. Atqui jus concilium convocandi plane in ista jurisdictione comprehenditur, "sicut et omnia alia quæ pertinent ad totam Ecclesiam: S. THOMAS, 2. 2. q. 1, a. 10.

11. 2°. Ut concilium sit convocatione generale non sufficit illud ab eo qui universali pollet jurisdictione cogi, sed insuper requiritur ut sit generale ex universalitate eorum qui vocantur:—"Ut evocatis de cunctis provinciis sacerdotibus, vere possit esse universale concilium." S. LEO M., Epistola 89, ad MARCIANUM imperatorem. "Omnes omnibus ex locis tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, quam alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in conciliis generalibus residendi, et sententias in eis dicendi permissa potestas est:" PAULUS III., Bulla indictionis Concilii Tridentini, *Initio nostri.*

12. *Secundo.* Ut concilium sit generale in celebratione, 1°, tot adesse debent Episcopi et ex tot locis quot sunt necessarii ad universam Ecclesiam repræsentandam. 2°. Concilio præsidere debet S. Pontifex vel per se vel per legatos. 3°. Concilium tenetur conciliariter agere, id est, eam in deliberando ante statuta condita adhibere debet diligentiam cautam providamque, quam summa rerum tractandarum gravitas postulat, nempe, ut in materia doctrinali veritas pura et explorata reperiatur et verbis aptioribus definiatur, et in materia disciplinæ ut id quod sanctum et conveniens est constituatur. 4°. Necesse est ut concilium vera libertate gaudeat, tum in prævia deliberatione habenda tum in ipsis decretis et definitionibus

condendis, in his maxime. Alioquin non esset verum concilium, nec Ecclesiam repræsentaret, sed eos potius qui vim intulerunt, et a quibus coactum est hoc et illud decernere: quod contigit in Latrocinio Ephesino, an. 449. Imo tantum abest ut tale concilium repræsentet Ecclesiam, ut decreta ab eo nec mentem quidem ipsius concilii repræsentent.

13. Hæc dicta sunt de concilio ut sic, seu ut mera est repræsentatio Ecclesiæ. Si enim in eo forsan conveniret corpus Episcoporum, etsi promissio infallibilitatis huic facta non est nisi incluso Capite, non posset tamen errorem definire; tunc enim solveretur vinculum unitatis fidei inter corpus Episcoporum et Pontificem, quod absolute nunquam fieri potest. In isto ergo casu Deus vel auferret vim, vel impediret definitionem.

14. *Tertio.* Ut concilium sit generale in exitu requiritur et sufficit ut a Pontifice confirmetur. Sed non semper requiritur confirmatio expressa. De hac conditione vid. plura, D. 16, n. 48–51.

15. Præfatæ conditiones necessariæ quidem sunt ut concilium sit omni sub respectu generale, non autem omnes necessariæ sunt ut concilium, in iis quæ essentialia sunt, et quoad nos et quoad vim omnes ligandi, sit vere vel saltem æquivalenter generale. Fieri enim potest ut concilium non generale in convocatione evadat generale in celebratione; si nempe undique convenirent multi Episcopi, et accederet consensus Pontificis ut efficerent concilium. Similiter fieri potest ut concilium nec convocatione nec celebratione universale evadat generale in exitu; si nempe aliquid a tali cœtu Episcoporum definitum confirmaret Pontifex pro universa Ecclesia.

16. *Catholica Doctrina.* Concilium, ut sic, etiam con-

vocatione et celebratione generale, si non sit generale in exitu, i. e., si non confirmetur a Papa, non est infallibile. Hæc propositio, etsi non definita, hodie certa esse videtur. Dixi 1°, "ut sic;" si enim corpus adesset Episcoporum, vid. dicta n. 13. Dixi 2°, "etiam convocatione et celebratione generale;" si enim careat œcumenicitate vel convocationis vel celebrationis, maxime si utraque careat, et insuper a Pontifice non confirmetur, nemo affirmaret illud esse infallibile.

17. Manifesta est et perpetua fides Ecclesiæ concilium convocatione, celebratione et exitu generale eo ipso esse infallibile, et statim fieri regulam fidei pro omnibus; neque ullam ejus definitionum ulteriorem probationem seu confirmationem ab Ecclesia dispersa faciendam requiri.

18. De fide Catholica est concilium nationale non esse infallibile; doctrina enim opposita damnata est ut hæretica in constitutione "Auctorem fidei," propos. 85. In propositione sequenti infallibilitatem concilii modo generali affirmamus: quousque vero extendatur ista infallibilitas, seu quæ sint objecta ejus definita, in capite sequenti explanabitur.

Probatur Doctrina Catholica.

PROPOSITIO.—*Infallibilia sunt Concilia Generalia.*

19. Plura apud BELLARMINUM et alios auctores habentur argumenta, quæ, si non singula propositionem plane demonstrent, sua non carent firmitate. Ex his unum omnino invictum proferemus, et breviter proponemus. Sed prius notandum est, per tria secula prima non esse habitum concilium generale, nec, propter ingruentes persecutiones,

haberi potuisse. Mirum ergo non est (ut de paucitate sileam documentorum quæ extant istorum seculorum) si testimonia non habeantur de re tunc non existenti. Fidem vero Ecclesiæ in istis seculis eandem fuisse quoad auctoritatem concilii atque in sequentibus seculis dicendum est, nisi dicas Patres et Concilia et omnes Episcopos et universam Ecclesiam et occidentis et orientis ad novum et inauditum dogma, quasi uno ore et corde, nemine reclamante, cudendum conjurasse.

20. ARGUMENTUM. Quod pro dogmate Catholico semper tenuit et professa est Ecclesia, dogma Catholicum est. Atqui pro dogmate Catholico Ecclesia semper tenuit et professa est doctrinam quæ concilii generalis infallibilitatem affirmat. Major propositio sequitur ex probatis de infallibilitate Ecclesiæ, c. 10. Testimonia quibus minor firmatur ad quatuor capita revocat BELLARMINUS, l. 2, c. 3:—"Affirmant [Patres] *primum*, concilii generalis sententiam esse in causa fidei ultimum Ecclesiæ judicium, a quo appellari non possit, quodque nullo modo irritari vel retractari queat . . . . *Secundo* docent Patres et Concilia, esse hæreticos et excommunicandos omnes qui non acquiescunt conciliis plenariis . . . . *Tertio* Patres docent esse divina et a Spiritu Sancto edita decreta legitimorum generalium conciliorum . . . . *Quarto* docent potius esse moriendum, quam recedendum a decretis generalium conciliorum." Textuum ad quos relegat BELL. quasdam partes integras videas, D. 16, n. 61, &c.

Solvuntur Objectiones.

21. *Object.* 1. "Ego si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam, quoniam

nullius concilii finem lætum et faustum vidi, nec quod depulsionem malorum potiusquam accessionem et incrementum habuerit." S. GREGORIUS NAZIANZ., Epist. 130 (al. 55).

22. *Resp.* "Non negat Nazianzenus legitima concilia certam fidem facere, sed queritur *suo tempore* nullum concilium fieri potuisse omni ex parte legitimum, id quod verissimum est. Nam GREGORII ætas incidit in tempus medium inter concilium primum et secundum generale, quo tempore plurima facta sunt concilia, quæ propter multitudinem Episcoporum hæreticis faventium, infaustum exitum habuerunt: qualia fuerunt Seleuciense, Tirense, Ariminense, Mediolanense, Syrmiense, &c. . . . Quid senserit GREGORIUS de *legitimis* conciliis perspicuum est . . . . tum ex eo quod adeo strenuus prædicator fuit Nicæni Concilii, ut templum, in quo ipse Constantinopoli concionabatur, *ανασταση*, id est, resurrectio vocatum sit, quia ibi resurrexerit operâ GREGORII fides Nicæna, per Arianos antea quodammodo extincta: tum denique, quia postea interfuit ipse concilio secundo generali, ut patet ex subscriptione et ex oratione quam habuit ad Constantinopolitanos Patres." BELLARMINUS, l. 2, c. 7.

23. Locus ex S. AUGUSTINO, de Baptismo, objectus enodatus videatur, D. 16, n. 75, &c.

24. *Object.* 2. Etsi vera esset propositio quæ affirmat auctoritatem concilii infallibilem, attamen de infallibili auctoritate decretorum ullius concilii in specie nunquam certi esse possumus. Ad hanc enim certitudinem habendam necessarium est ut de multis quæ ad concilium spectant certi simus certitudine fidei, de quibus isto modo certi esse non possumus. Et 1°, certi non sumus certitudine

fidei Episcopos et Papam vere tales esse, valide baptizatos et consecratos. STILLINGFLEET, P. 3, c. 1, et alii Protestantes antiqui et recentiores passim.

25. *Resp.* 1°. Nullomodo requiritur certitudo *fidei:* sufficit ut habeatur certitudo *vera* de œcumenicitate concilii aliunde quam ex revelatione ad id facta speciali. Infallibilitas concilii indivulse connectitur cum infallibilitate Ecclesiæ, et in ea stat et nititur (hic abstraho ab infallibilitate Papæ per se spectati): absurdum enim manifesto esset quæstionem movere de infallibilitate concilii, non posita Ecclesiæ infallibilitate. Jamvero quæstio de œcumenicitate concilii est quæstio de facto dogmatico, in qua solvenda infallibilis est Ecclesia: c. 16. Ea autem quæ istam efficiunt œcumenicitatem partim facta sunt *historica*, de quibus haberi potest ab omnibus eodem modo eadem certitudo, quæ de aliis factis ejusmodi habetur; partim sunt facta quorum veritas, saltem ut omnino et perpetuo inconcussa sit, nititur speciali providentia Dei, quam Ecclesiæ suæ perpetuam et absolute promisit. In utroque facto testando infallibilis est Ecclesia. Si adversarii hoc negent, tunc statim convertenda est controversia ad materiam de infallibilitate Ecclesiæ. Verumtamen etiam directe disjici possunt, saltem pleraque, argumenta eorum. Igitur *Resp.* 2°. ad argumentum primum, vid. c. 9, n. 33, &c.

26. *Urgetur* 1. Non possumus certi esse hæc et illa esse vere decreta concilii, vel concilium legitime deliberasse. *Iidem.*

27. *Resp.* Distinguo: Si non supersint acta concilii authentica vel alia testimonia satis gravia; Concedo nos in casu tali certos esse non posse via critici examinis, et

tunc solum habemus testimonium et definitionem Ecclesiæ: Et plerumque non habemus, v. g. quoad Concilium Tridentinum, talia acta et testimonia: Nego.

28. *Urgetur* 2. Quædam concilia non recte deliberarunt, v. g. Ariminense, Latrocinium Ephesinum. Ergo incertum est annon hoc et illud similiter egerit. *Idem.*

29. *Resp.* Nego consequentiam, quæ, si daretur, directe contraria esse debet. Quomodo enim novimus v. g. Latrocinium illegitimum in celebratione fuisse? Ex historia plane: ex testimoniis ipsorum qui ibi aderant, quorum quædam dantur in actis Concilii Chalcedonensis. Quarenam ergo, ex testimoniis eorum qui in Tridentino Concilio aderant, certi esse non possumus omnia in eo recte peracta fuisse?

30. *Object.* 3. Episcopi in concilio judices non sunt, si eorum decreta a Papa emendari possint. GIBSON, v. 142.

31. *Resp.* Distinguo: Judices *veri* non sunt: Nego: Judices non sunt *supremi*, sed quorum decreta reformari possunt ab eo qui unice supremus judex est: Concedo. Num judices veros in his regionibus non habemus, quia eorum judicia a suprema regni curia irritari possunt?

32. *Object.* 4. Si Papa per se decreta fidei et disciplinæ universalis condere possit, quid est causæ cur concilia congregentur? *Idem*, ibidem, et alii passim.

33. *Resp.* Si Apostoli singuli infallibiles fuerint, quarenam in unum conveniebant et magnam conquisitionem faciebant: Act. xv.?

34. *Object.* 5. Ex quibusdam dissidiis inter veteres Gallicanos ceterosque theologos de conditionibus ad concilium generale constituendum necessariis, &c. Ita *idem*, ibidem, et alii communissime.

35. *Resp.* Quæcumque sint, vel potius fuerint, illa dissidia de rebus non aperte definitis,* omnes omnino theologi Catholici unanimes tenent doctrinam supra positam, n. 17. Vid. PERRONE, n. 703, 704.

36. Hæc de conciliis generalibus sufficiant. In nostris hisce regionibus, hac saltem ætate, nunquam aut rarissime inter Protestantes et Catholicos, sive verbis sive scriptis, de auctoritate conciliorum disceptatur.

* Sed nunc apertissime definitis, dissidiis istis in æternum extinctis. 1874.

CAPUT SEXTUM DECIMUM.

DE OBJECTO AUCTORITATIS ECCLESIÆ.

1. Objectum auctoritatis Ecclesiæ id omne est circa quod exerceri potest auctoritas ista. Objecta hæc plura sunt, quæ ad triplicem classem, secundum triplicem auctoritatis speciem (c. 13, n. 2), revocari possunt: in præsenti capite de objectis auctoritatis Ecclesiæ in docendo maxime et regendo sermo erit. Duo a nobis inquirenda sunt: 1°, quæ sint objecta auctoritatis Ecclesiæ, et quousque talia sint? 2°, an et quousque Ecclesia, suam circa illa exercens auctoritatem, infallibilis sit?

2. Prima objectorum classis eorum est quæ spectant ad fidem. Horum vero aliæ sunt veritates immediate revelatæ, et ergo definitæ vel definibiles de fide; aliæ sunt, etsi non revelatæ, cum revelatis, variis modis infra exponendis, arcte connexæ; et quæ veritates Theologicæ vel veritates Catholicæ vocari possunt. De priori genere veritatum plene tractatum est, c. 10: de altero hic est tractandum.

3. Hinc igitur in cap. præsenti 1°, prætermittitur quæstio de auctoritate Ecclesiæ in canone Scripturæ definiendo. Hos enim et illos libros esse inspiratos nonnisi ex revelatione cognosci potest. Si ergo Ecclesia in immediate revelatis definiendis infallibilis est, in statuendo canone Scripturæ infallibilis est. 2°. Prætermit-

titur, ob eandem rationem, quæstio de auctoritate Ecclesiæ in statuendo sensu vero verbi Dei scripti vel traditi, et in damnandis propositionibus quæ verbo isti directe opponuntur. Similiter 3°, silentio præteritur quæstio de auctoritate definiendi hanc vel illam versionem S. Scripturæ authenticam esse. Si enim v. g. versio Vulgata, quæ declarata est authentica, contineret vel unam propositionem hæreticalem, Ecclesia plane erraret in immediate revelato; ut tale enim proponeret quod ei oppositum esset. 4°. Ultimo, præteritur quæstio de legibus, præceptis morum, consiliis (et si quæ alia sint ejusmodi), quæ juris sunt divini positivi. Hæc enim omnia sunt vi termini immediate revelata.

4. Præter ea quæ immediate revelata sunt, sequentia sunt objecta auctoritatis Ecclesiæ: neque aliud censeo objectum esse quod sub aliquo ex illis bene ordinari non possit. 1°. Veritates Theologicæ; 2°, Leges Morales et Judicia; 3°, Leges Disciplinæ; 4°, Facta Dogmatica et Moralia—plures autem esse factorum ejusmodi species infra videbitur; 5°, Philosophia.

Sectio Prima.—*De Veritatibus Theologicis.*

5. Veritas *Theologica* est aliquid in materia theologica, etsi non revelatum, omnino tamen verum et certum. Si accedat definitio Ecclesiæ statuentis aliquam veritatem theologicam, tunc veritas evadit *Catholica*. Dixi "in materia theologica," ut excludantur aliæ veritates v. g. mathematicæ, astronomicæ, &c. Sicut Ecclesia veritates pure theologicas rarius directe et affirmative definit, sed indirecte et negative, errores oppositos damnando; ita et theologi graviores non tradunt definitionem veritatis

vel theologicæ vel Catholicæ, sed toti sunt in exponendis notis seu censuris theologicis.

6. Veritatum theologicarum plures sunt species, quæ etiam ad quædam forsan genera revocari possunt. Prima species eas comprehendit veritates quæ sunt conclusiones ex duabus præmissis, quarum una est de fide altera certa ex ratione. Hæ veritates vocantur *conclusiones theologicæ*. Eadem veritas potest esse simul, sed sub diverso conceptu, de fide et conclusio theologica: D. 1, n. 50.

7. Ad secundam classem pertinent propositiones quæ ex communi sententia theologorum sunt certo revelatæ: ita ut vel unanimi sint theologi, vel pauci qui contradicunt, re utrinque ponderatâ, argumentis manifesto levibus nitantur, præsertim si ex opinionibus plane præjudicatis (ut in casu Gallicanorum: D. 6, n. 300; D. 15, n. 68) scripserint. Theologos dico doctos et graves, quales inter Gallicanos ipsos fuere TOURNELY, COLLET, &c.; sunt enim scriptores qui theologi apud quosdam audiunt, qui tamen inter veros theologos nullomodo numerari debent. Propositiones quæ ad hanc secundam classem pertinent vocantur *proximæ fidei*.

8. Hæ sunt duæ præcipuæ veritatum theologicarum species; ceteræ autem nullis, quod sciam, specialibus nominibus apud theologos gaudent, et totæ in earum oppositis solum tractantur. Ecclesiæ auctoritas infallibilis veritates theologicas definiendi iisdem firmatur argumentis, quibus probatur auctoritas damnandi errores oppositos, et revera eadem est utraque auctoritas. Veritatibus Catholicis assensum internum verum et absolutum adhibendum esse certum est: sed qua fide credendæ sint disputatur apud auctores. Duæ sunt sententiæ, de quibus vid. D. 17, n. 10, &c.

9. Sedulo imprimis, ut notat MONTAGNE, distinguendum

est inter damnationem propositionis et usûs ejusdem simplicem prohibitionem. Propositio potest esse in se vera et tamen justæ intervenire possunt causæ prohibendi, absolute vel his et illis appositis conditionibus, perpetuo vel ad tempus, ne quis ea utatur, vel ne quis eam publice doceat; v. g. ad præcavendum malum ejus usum a malis hominibus, ad præcavenda dissidia gravia et scandala quæ ex istis dissidiis orirentur. Prohibitio ejusmodi pure disciplinaris est, et ergo tolli potest: ipsam enim propositionem nulla afficit censura, sed nititur rationibus vel veritati vel falsitati propositionis omnino extrinsecis. Quod hic dicitur de propositionibus verum est etiam de libris.

10. Propositio propositionem revelatam vel directe negat, vel ei indirecte et alio modo præter directam negationem adversatur. Si prima sit, hæretica est; si secunda sit, quoniam variis modis et gradibus hæc oppositio fieri potest, plures esse possunt ejusmodi propositiones, singulæ suas proprias et distinctas pravitates habentes, et ergo singulæ suis propriis et distinctis censuris obnoxiæ. De propositione hæretica disserunt theologi in tractatu de Fide: vid. D. 1, n. 171, &c. Sed quoniam non in sola fide nec in sola doctrina pure dogmatica, sed etiam in iis quæ fidelium mores et salutem æternam, vel ipsam Ecclesiam ejusque disciplinam modumque agendi, &c. respiciunt, dari possunt doctrinæ variis modis pravæ et damnabiles; idcirco quoad istas materias dantur censuræ propriæ et distinctæ; et si Ecclesia, vi sui officii pastoralis, jus habet propositiones quæ ad materiam fidei spectant censuris afficiendi, eodem potitur jure et quoad alias istas materias. *Censura* ergo theologica (quæ etiam *nota* theologica vocatur), quatenus objective spectatur, est species vel gradus declaratus repugnantiæ alicujus propositionis cum fide vel

bonis moribus. Quatenus subjective spectatur, seu ut est actus ejus qui censuram fert, declaratio est judicialis speciei vel gradus repugnantiæ istius.

11. I. Prima ordine post propositionem hæreticam est *erronea*. Porro *error* et *erroneum* potest quodvis falsum significare, idque usu vulgari significat, sive in materia theologica sive in alia quacumque. Hic autem vocabulum *erronea* technice, ut aiunt, usurpatur et ut censura specialis. Propositio erronea hoc modo intellecta ea est quæ conclusioni theologicæ (n. 6) opponitur. Ad propositionem erroneam tres requiruntur conditiones:—"Prima, ut directe opponatur veritati mediate revelatæ, id est, conclusioni theologicæ; secunda, ut propositio cui opponitur sit certe et indubitanter mediate revelata; tertia tandem, ut huic certissime et indubitanter adversetur." MONT.

12. II. Propositio *proxima hæresi* ea est quæ opponitur propositioni proximæ fidei: n. 7. III. Propositio *sapiens hæresim* ea est 1°, quæ vere æquivoca est secundum naturalem verborum significationem, duos ergo habens sensus; et 2°, quorum sensuum alter est hæreticus alter Catholicus; sed 3°, ex contextu vel aliis adjunctis vere probabile est sensum hæreticum ab auctore intendi. Patet igitur ab auctore Catholico proferri posse propositionem æquivocam sine ulla censura eandem, quæ apud auctorem heterodoxum vere saperet hæresim. Notandum est tamen dari posse propositiones æquivocas, et revera dari, quæ, propter earum in sensu hæretico usum apud hæreticos communem, nullomodo usurpari debent a scriptoribus Catholicis—saltem nonnisi ex causa rationabili et debita interposita expositione.

13. IV. Propositio *suspecta de hæresi* nonnisi gradu a sapienti hæresim discrepat, et "ea est, quæ ex sese utrius-

que sensus, Catholici et heterodoxi capax est, quæque, sive ratione sui sive ratione circumstantiarum, sufficiens præbet fundamentum, non quidem ad probabile judicium ferendum, quod auctor sit hæreticus, sed solum ad suspicionem et timorem aliquem absque temeritate de eo concipiendum. Ita Cardinalis de Lugo, auctor Scrutinii, &c." MONT.

14. V. VI. VII. Censuræ sunt et *proxima errori* et *sapiens errorem* et *suspecta de errore*: "De his tribus notis eodem prorsus modo judicandum, servata proportione, sicuti diximus de propositione hæresi proxima, sapiente hæresim, et suspecta de hæresi. Ita Suarez, de Lugo, Laurea, &c." MONT. Sicut ergo proxima hæresi est propositio quæ aliam negat, quam communis sententia theologorum affirmat esse revelatam; ita et proxima errori est propositio quæ aliam negat quam communis sententia theologorum affirmat esse theologice certam. Sapit errorem propositio quæ duplicem sensum habet, unum erroneum et alterum Catholicum, cum probabile sit erroneum sensum intendi. Suspecta est propositio eadem, cum rationalis sit suspicio erroneum sensum intendi.

De ceteris censuris, quarum pleræque ex ipsis nominibus intelliguntur, vid. D. 17, n. 27, &c.

15. Triplici modo damnari possunt doctrinæ pravæ. Primus est, cum singulis propositionibus damnatis suæ propriæ censuræ affiguntur: quo modo damnati sunt errores Jansenii et synodi Pistoriensis. Secundus est, cum liber aliquis vel pars ejus (quod aliquando fit) simpliciter damnatur et prohibetur, etsi nulla specialis in ea propositio indicetur, vel censura aliqua specialis ei inuratur: quomodo damnantur libri in Indice librorum prohibitorum. Tertius est, cum propositionibus simul enumeratis censuræ variæ imponuntur et nulli propositioni particulari censura specialis affigitur: quo modo damnati sunt errores Lu-

THERI, QUESNELLII, NUYTZII, &c. Hic modus damnandi vocatur damnatio propositionum *in globo.*

16. Propositiones in globo confixæ damnantur ut *respective* merentes has et illas censuras v. g. ut respective hæreticæ, erroneæ, suspectæ, temerariæ, &c. In ejusmodi damnatione tria significantur; 1°, nullam esse ex propositionibus quæ non sit damnabilis et damnata; 2°, nullam esse ex propositionibus quæ non mereatur aliquam ex censuris enumeratis in decreto damnationis; 3°, nullam esse ex istis censuris quæ supervacanea sit, seu quam non mereatur aliqua ex propositionibus damnatis.

17. Modum damnandi propositiones in globo impetebant veteres Jansenistæ, vanissimis quibusdam ratiunculis nixi, quas hodie opus non est ut seriatim proferam: eas disjectas videas apud REGNIER, pag. 632, &c.; BAILLY, vol. 2, pag. 29, &c.; DELAHOGUE, pag. 161, &c., aliosque theologos præsertim Gallicos. Omnibus vere Catholicis cognoscere sufficit istum modum damnandi propositiones in Ecclesia invaluisse saltem a Concilio Constantiensi, eoque usos esse tot R. Pontifices.

18. In hoc capite supponitur et auctoritas et infallibilitas Ecclesiæ, et sola quæstio est de utriusque objecto. Protestantium ergo, qui utramque penitus abjiciunt, nulla hic habetur ratio. Quoniam itaque nemo, qui non ipsum nomen Catholicum abdicaverit, *auctoritatem* Ecclesiæ in censuris theologicis ferendis negare potest, supervacaneum esse videtur istam auctoritatem argumentis firmare. Planum est enim Ecclesiam hac auctoritate gaudere: *tum* quia eâ compluries usa est; *tum* quia alioquin non posset ipsum depositum fidei purum et integrum conservare (D. 17, n. 53). "Ecclesia, ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa, non solum jus sed officium præsertim habet non

tolerandi, sed proscribendi et damnandi *omnes* errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint; et omni philosopho, qui Ecclesiæ filius esse velit, ac etiam philosophiæ officium incumbit nihil unquam dicere contra ea, quæ Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem quæ contrarium docet omnino *erroneam*, et *ipsi fidei Ecclesiæ ejusque auctoritati vel maxime injuriosam* esse edicimus et declaramus.'' Pius IX., Breve, "Gravissimas," 11 Decemb. 1862.

19. Sola ergo quæstio esse potest de *infallibilitate* Ecclesiæ in censura dicenda, infra notam hæreseos. Dixi "infra notam hæreseos." In hac enim censura inurenda sine dubio infallibilis est Ecclesia. "Tunc enim implicite declarat contradictoriam esse de fide: non potest autem Ecclesia aberrare proponendo nobis aliquid ut de fide, quod non sit revera de fide; alioquin tota nostra fides nutaret." Lugo, de Fide, d. 20, n. 106. Tota ergo quæstio est de censuris ceteris. Et hic adversarios habemus non solum apertos Jansenistas, et veteres et novos (quod mirum non est), sed etiam quosdam alios in theologia nec plene nec bene institutos.

Propositio.—*Ecclesia in quacumque censura theologica (infra censuram hæreseos) ferenda infallibilis est.*

20. Ecclesia duplici gradu in hac materia infallibilis esse potest; 1°, ut quæcumque quam damnat propositio sit revera, eo modo et sensu quo damnatur, prava et jure damnata; 2°, ut propositio damnata non solum prava sit, sed illa ipsa pravitatis specie quæ ei ascribitur, erronea, sapiens hæresim, &c. Utrumque infallibilitatis gradum

affirmamus: secundus autem ex primo sequitur. Si enim Ecclesia sit primo gradu infallibilis, non potest ullum falsum assensu fidei credendum proponere: ergo non potest credendum proponere aliquam propositionem esse v. g. erroneam, quæ erronea non sit.

21. ARGUMENTUM I. Si Ecclesia non sit infallibilis in censuris theologicis ferendis, ergo 1°, in materia dogmatica damnare potest propositiones ut erroneas, hæresi proximas, &c. quæ non solum non sunt erroneæ, hæresi proximæ, &c. sed sanæ omnino sunt et orthodoxæ; ergo probare potest ut theologice certas vel proximas fidei propositiones, quæ erroneæ sunt vel proximæ hæresi. Probare enim ut theologice certam, &c. nihil aliud est quam contradictoriam ejus ut erroneam, &c., damnare; sicut et damnare ut erroneam, &c. idem est ac contradictoriam ejus ut certam, &c. probare et definire: supra, n. 5. Ergo Ecclesia probare potest propositiones, quæ ex se et etiam logica necessitate ducunt ad depravationem fidei. Ergo ejusmodi propositiones in scholis theologicis et ubique, scriptis et verbis, ipsa Ecclesia ducente et agente, doceri et propugnari possunt, imo, data occasione, debent. Ergo Ecclesia fidei custos infallibilis non est, sed proditrix esse potest. 2° Similiter in materia morum, si Ecclesia propositiones ut veras probaret quæ coram Deo falsæ essent, non morum custos esset sed corruptrix, et attributum sanctitatis amitteret.

22. ARGUMENTUM II. ex praxi et manifesta mente totius Ecclesiæ. 1°. Nec Concilium Constant. nec R. Pontifices ullum discrimen ponunt inter modum quo propositiones hæreticas et alias pravas damnant, quasi quoad illas securior esset sua auctoritas quam quoad has. E contrario, omnes et singulas censuras eodem modo, eadem

auctoritate, statuunt; eundum iis assensum internum mandant præstandum, eandem obedientiam externam sub iisdem pœnis exigunt. 2°. Eodem modo, eâdem obedientiâ absolutâ, semper recepit Ecclesia universa omnes censuras a suprema auctoritate latas. Fides est ergo manifesta Ecclesiæ universalis, Ecclesiam docentem eadem in illis omnibus ferendis infallibilitate gaudere.

23. ARGUMENTUM III. Inaudita est apud Patres distinctio illa, secundum quam Ecclesia quædam dogmata infallibili auctoritate docet, alia fallibili. Infallibilitatem ei in ejus institutione universali puram vindicant, absolutam, omnimodam, prout ex inspectis locis eorum, c. 10, allatis, patebit. Inaudita est in scholis theologicis, nec etiam ad hodiernum usque diem unum pro se habet auctorem gravem et doctrinæ probatæ.

Solvuntur Objectiones.

24. *Object.* 1. "Nulla conclusio, quatenus præcise conclusio est, sufficit fundando articulo fidei Catholicæ." Ergo "Ecclesia non gaudet infallibiliter assistentia S. Spiritus in docendis recte veritatibus, quæ ratione tantum ex revelatis, licet evidenter, concluduntur." CHRISMANN, "Regula Fidei Catholicæ," § 99 (Editione utor quam curavit D. SPINDLER, Wirceburgi, 1854. In Præfat. dicit editor hoc opus CHRISMANNI insignibus laudibus a D. DÖLLINGER, magistro suo, coram theologiæ candidatis elatum fuisse).*

25. *Resp.* Distinguo antecedens: Quatenus præcise con-

* Hoc opus, hujusce editionis, in Indicem librorum prohibitorum, decreto 22 Martii, 1869, relatum est. 1874.

clusio est, a theologis educta: Transeat, vid. D. 17, n. 13: Quatenus præcise conclusio est, et ut talis ab Ecclesia definita: Subdistinguo: Non sufficit fundando articulo fidei Catholicæ, i. e., dogmati credendo tanquam immediate revelato et de fide Catholica: Concedo: Dogmati credendo tanquam veritati Catholicæ: Nego. Solutio patet ex supra dictis.

26. *Object.* 2. "Christus Joan. xiv. promissam S. Spiritus directionem restringit ad ea, quæ ipse dixisset, id est, expresse revelasset Apostolis." Ergo &c. *Idem*, ibid.

27. *Resp.* 1°. Nego antecedens utpote aperte falsum: Ad duo enim tanquam magister promissus est S. Spiritus (a) ut ipse doceret, et etiam *omnia* doceret, omnia nempe quæ ad finem institutionis Ecclesiæ assequendum ei, secundum infinitam suam sapientiam, manifestanda viderentur; (b) ut in memoriam revocaret omnia dicta a Christo. Hæc duo munia distincta esse patet ex verbis textus:—"Ille vos docebit omnia, *et* suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis." Præter illam ergo suggestionem dictorum Christi, alia et ipse ex se edocturus erat S. Spiritus.

28. *Resp.* 2°. Esto assistentiam promissam ad ea verbis restringi quæ docuit Christus, ad alia re et quasi vi termini extendi debet, nempe, ad ea omnia quæ necessaria sunt media ad ipsa Christi dicta sarta tecta conservanda. Sicut enim præceptum v. g. castitatem servandi eo ipso ligat ad media adhibenda, quæ necessaria sunt ad castitatem servandam, et ad fugiendas occasiones proximas voluntarias peccati; ita et in promissione assistentiæ ad servanda dicta Christi, implicatur promissio assistentiæ in iis quæ necessaria sunt ad ista servanda.

29. *Resp.* 3°. Aliud est verba textus restringi ad ali-

quid, aliud est hæc et illa in textu prætermitti. Sic v. g. cum justificatio fidei tribuitur, non restringitur ad fidem, quasi non aliæ necessariæ sint conditiones, sed hic et nunc prætermittitur illarum conditionum mentio. Concesso ergo (quod tamen, ut ex jam dictis patet, nullomodo concedimus) prætermitti in cap. xiv. omnem mentionem assistentiæ, nisi in suggerendo dicta a Christo, non magis sequitur assistentiam ad istas suggestiones restringi, quam sequitur non dari assistentiam ad conservandam Ecclesiæ sanctitatem, apostolicitatem, &c.

30. *Resp.* 4°. Imo quod, secundum concessionem datam, in cap. xiv. omissum fuisset, in cap. xvi. diserte suppletur. Ibi enim significatur S. Sanctum, præter ea quæ Christus jam dixerat vel postea dicturus erat, et alia et ipsam veritatis plenitudinem docturum esse:—"Adhuc multa habeo vobis dicere: *sed non potestis portare modo.* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem* veritatem." D. 12, n. 141.

31. *Resp.* 5°. Esto nusquam in Scriptura diserte reveletur directionem S. Spiritus dari nisi quoad immediate revelata a Christo, hoc, præter quam quod ex Scriptura clare deducatur, per traditionem diserte revelatur, ut ex perpetua praxi et manifesta fide Ecclesiæ constat.

Sectio Secunda.—*De Legibus et Judiciis Moralibus.*

32. I. Discrepantia quam nos hic, methodi gratia, inter leges morales et leges disciplinares ponimus, in eo stat, quod priores directe respiciunt morum honestatem et puritatem intrinsecam, alteræ ea directe respiciunt quæ ad ordinem et cultum externum pertinent. Lex eadem potest esse simul plus minus et moralis et disciplinaris.

De legibus disciplinæ in sectione sequenti tractabitur. Morales essent leges quæ v. g. declararent et definirent usuram esse jure divino illicitam, item polygamiam, duellum, &c.

33. Leges morales ejusmodi non sunt pure ecclesiasticæ, sed vel juris divini positivi vel juris naturalis promulgationes seu declarationes. Quoad declarationes priores, "in his, ex omnium sententia, non magis errare potest Pontifex, quam in ceteris decretis seu definitionibus fidei; cum ea ipsa decreta sint vera decreta fidei, licet in materia practica:" TANNER, de Fide, d. 1, q. 4, n. 278. Nec minus infallibilis est Ecclesia in regulis morum statuendis quæ ex revelatis ope ratiocinationis deducuntur, vel quæ (si tales dentur) juris pure naturalis sunt et in revelatis nullomodo continentur.

34. II. Hæc de legibus. Quoad judicia particularia, seu resolutiones casuum particularium, v. g. pronunciando matrimonium Sempronii et Berthæ esse validum vel invalidum, &c. "in moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui spectant ad privatas personas, possibile est summum Pontificem ex ignorantia errare, aut etiam ex malitia." BANNES, in 2, 2, q. 1, a. 10, d. 6. Ratio est quia ejusmodi judicia non sunt doctrinalia sed de rebus gestis seu factis, et in iis nulla definitio proponitur credenda. Insuper, ex eo quod judicia prava in casibus particularibus fiant nullomodo periclitatur Ecclesiæ sanctitas vel aliquod aliud attributum.

35. Judicia ejusmodi, etiam quatenus significant jus aliquod divinum aut naturale, non semper infallibiliter vera sunt. Fieri enim potest ut Pontifex non velit istam significationem tanquam certam et definitam haberi, et ideo non velit eam ex cathedra docere. Si vero Pontifex

v. g. dispensationem concedat, vel aliquod aliud judicium exerceat, regulariter et universaliter, tanquam ex jure divinitus concesso explorato, tunc infallibiliter verum est eum jure divino potestatem habere ista judicia faciendi: tunc enim, in actu exercito, æque aperte sibi hanc competere potestatem definit, ac si verbis per canonem id definiret.

Sectio Tertia.—*De Legibus Disciplinæ.*

36. Leges disciplinæ aliæ sunt juris divini, quales sunt eæ quæ præscribunt materiam et formam in conficiendis sacramentis adhibendam. De hujusmodi legibus hic sermo non est, sed de legibus disciplinæ pure ecclesiasticis.

37. 1°. In legibus disciplinæ quæ pro universa Ecclesia dantur, eatenus Ecclesia infallibilis est quatenus nihil in illis legibus statuere potest, quod per se fidei vel moribus injuriosum sit. Ecclesia enim, aliquid statuendo fidei vel moribus injuriosum, eo ipso corrumperet fidem vel mores Ecclesiæ universalis, et ergo excideret ab infallibilitate et sanctitate. Dixi "per se;" fieri enim potest ut ex lege optima et saluberrima malitia hominum scelestorum malum educat.

38. Leges disciplinæ sæpe fidem et mores proxime attingunt, dogmata fidei et principia morum clarissime significantes. Sic, lex quæ jejunium in quadrigesima &c. præcipit clare significat fidem, qua Ecclesia credit Christianos oportere non solum temperantiam seu, ut communissime aiunt Protestantes, moderatum usum bonorum hujus mundi ["a moderate use of the good things of this world"] servare, sed etiam sese in mortificatione carnis exercere.

39. 2°. De legibus disciplinæ universalibus, ut talibus, hæc dicenda videntur. 1°. Ecclesia non potest legem dare quæ *in se* prorsus inutilis et vana esset. 2°. Nec legem dare potest quam, etsi in se bonam, inspectis tamen adjunctis temporum et regionum mundi, moraliter impossibile esset hominibus servare ; vel 3°, cujus observantia plus mali quam boni afferret, saltem si magna gigneret mala et nonnisi exiguum bonum. 4°. Potest tamen Pontifex vel Concilium Generale in hac vel illa lege ferenda minus prudenter agere. Non enim necessarium est ut omnes et singulæ leges Ecclesiæ optimæ sint : sufficit ut sint bonæ et utiles, etsi una et altera sit hic et nunc minus utilis.

40. Sed hæc de his notanda sunt. 1°. Nullomodo censenda est lex Ecclesiæ vel nociva vel inutilis vel etiam minus utilis, ex eo quod non observabitur imo contemnetur ab extraneis fidei vel etiam a perditis Catholicis ; alioquin enim nulla esset lex vel fere nulla quæ e medio tolli non deberet. 2°. Fieri potest ut leges, in se et in circumstantiis generatim valde bonæ, in quibusdam locis ob specialia eorum adjuncta inconvenientes sint, vel etiam plus minus nocivæ. Hujusmodi leges, ut satis manifestum est, non ideo minus bonæ evadunt, etsi non expediat ut in istis regionibus observentur, et de facto, ex consensu Pontificis expresso vel tacito, non observantur.

Sectio Quarta.—*De Factis Dogmaticis et Moralibus.*

41. Factum dogmaticum, ut sic, est factum quod cum dogmate ita nectitur, ut illius facti notitia necessaria sit ad dogma edocendum vel purum tutumque conservandum. Factum morale est quod ita cum moribus necti-

tur, ut notitia ejus necessaria sit ad principia morum vel ipsos fidelium mores puros conservandos. Factum aliquod potest isto modo cum dogmate simul et moribus necti, et tunc esset simul dogmaticum et morale. Facta dogmatica possunt esse revelata vel non revelata: de his solis hic quæstio est. Plerique auctores de solo quarto facto dogmatico, n. 42, disserunt, vel de quibusdam aliis sub alio conceptu. Sed non est inter theologos discrepantia quoad rem, sed tantum quoad nomina et methodum.

42. Facta, saltem præcipua, dogmatica et moralia in resolutionibus quæstionum sequentium invenientur, quorum alia sunt dogmatica, alia moralia, alia plus minus mixta seu dogmatica simul et moralia:—

1°. An hic vel ille (v. g. Pius IX.) sit vere Romanus Pontifex, et ergo successor B. Petri et totius Ecclesiæ caput? 2°. An hoc vel illud concilium (v. g. Tridentinum) fuerit vere œcumenicum? 3°. An quibusdam vocabulis aut locutionibus, quasi formis sacris, accuratius et exquisitius significentur quædam dogmata; et e contrario aliis formis minus recte exprimantur? 4°. An hic vel ille liber (v. g. hic tractatus meus de Ecclesia) doctrinam habeat sanam vel pravam? Idem dicendum de parte aliqua libri, vel de manuscripto, vel de verbis factis v. g. coram concilio generali. 5°. Utrum hoc vel illud systema educationis, sive ad clericos sive ad laicos instituendos, sit bonum an malum, sit tutum an periculosum? 6°. Utrum hæc vel illa hominum societas (v. g. societas masonica) sit bona an mala in se, sit tuta an periculosa, sive intrinsece sive extrinsece? 7°. An sancti ab Ecclesia beatificati vel canonizati sint vere sancti? 8°. An hic vel ille ordo religiosus sit bonus et utilis?

I. *De vero Pontifice statuendo.*

43. Inter scholasticos olim disputatum fuit, an de fide divina sit hunc numero Pontificem, ut talem ab universa Ecclesia agnitum, esse revera successorem B. Petri; aliis affirmantibus, aliis negantibus: D. 1, n. 43. Quicquid de hac quæstione dicitur, certum omnino est Ecclesiam definiendo vel (quod idem est) aperte agnoscendo hunc, v. g., PIUM IX., esse vere Papam, infallibilem esse. Argumentum quod profert LUGO (d. 1, n. 327) ad probandum propositionem esse de fide, quæ affirmat hunc hominem esse verum Pontificem, probat saltem eam esse infallibiliter veram. "Ex Dei revelatione constat Ecclesiam non posse decipi in credendo universaliter aliquo errore, cum sit 'Columna et firmamentum veritatis' (1 Tim. ii.): in qua Ecclesiæ universalis infallibilitate non minus contineri videtur quod non possit Ecclesia errare in agnoscenda vera regula visibili suæ fidei, quam in rebus aliis credendis per fidem: plus enim Ecclesiæ noceret error circa ipsam regulam veritatis et fidei, quam circa alia objecta particularia, cum esset error in ipso fidei fundamento. Cum ergo regula visibilis, quam Ecclesia in sua fide sequitur, et sequi omnino debet, sit ejus visibile caput, nempe summus Pontifex, cujus doctrinam et definitiones amplecti debet, non potest Ecclesia decipi acceptando pro Pontifice et regula fidei, eum qui vere non esset Pontifex nec fidei regula, sed pseudopapa et homo privatus."

II.—*De Œcumenicitate Concilii definienda.*

44. Ecclesia definiendo concilium aliquod esse generale saltem in exitu, vel, quod idem sonat, concilium aliquod ut generale universaliter acceptando infallibilis est. Argumentum datum n. 43, hic applicari potest: vid. LUGO, ibid. n. 328.

III.—*De quibusdam formis verborum statuendis.*

45. Ecclesiam jus habere verba quædam statuendi et quasi consecrandi tanquam definite et etiam, inter ea quæ circumferuntur, sola apta et aptissima ad dogma aliquod significandum, ex ejus praxi patet. Eam vero in ejusmodi terminis statuendis infallibilem esse ex eo patet, quod alioquin errare posset in fide et docenda et conservanda: in illis enim statuendis intendit et docere fidem, et eam aptiori modo puram et securam conservare. Hinc Concilium Tridentinem verbum "transubstantiatio" consecravit ad significandam conversionem substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Christi:—"Quæ conversio *convenienter* et *proprie* a sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata:" Sess. 13, c. 4. Et in can. 2:—"Quam quidem conversionem Catholica Ecclesia *aptissime* transubstantiationem appellat." In constitutione "Auctorem fidei," Prop. 29, damnatur omissio verbi "transubstantiatio" in expositione fidei de Eucharistia, tanquam omissio "vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius [fidei] tuendam professionem adversus hæreses."

IV.—*De Sensu Librorum Dogmatico et Morali.*

46. Docet doctrina Catholica Ecclesiam jure divino auctoritatem habere, non solum singulares propositiones ut sanas probandi vel ut pravas damnandi, sed etiam libros (vel alia quæcumque scripta) probandi, utpote continentes doctrinam omnino sanam dogmaticam vel moralem vel utramque ; aut, propter doctrinam pravam in iis contentam, damnandi. De jure Ecclesiæ quoad singulares propositiones, sive eas probantis sive damnantis, inter eos qui nomen Catholicum tenuerunt nulla adhuc agitata est controversia, nec etiam quoad libros approbandos. Sola mota est quæstio de auctoritate Ecclesiæ in libris propter doctrinam malam damnandis, seu, quod idem est, de jure Ecclesiæ tribuendi alicui libro aliquam doctrinam pravam, utpote in eo vere significatam et contentam. Manifestum est idem dicendum esse de jure Ecclesiæ in statuendo sensu pravo libri dogmatico et morali. Brevitatis ergo et claritatis causa, de solo sensu dogmatico verba faciemus; et eo magis quia revera tota quæstio de hoc sensu agitata est. Quæ ergo in sequentibus de factis dogmaticis dicuntur et de factis moralibus, mutatis mutandis, dicenda sunt.

47. Porro orta est primum "hæc quæstio occasione libri JANSENII, episcopi Iprensis. Cum INNOCENTIUS X. constitutione quæ incipit 'Cum occasione,' data 3° Maii, 1653, quinque famosas propositiones extractas ex libro JANSENII cui titulus, 'Augustinus,' &c., damnasset, fautores JANSENII hanc damnationem admiserunt, dixeruntque has quinque propositiones, ut jacent, esse hæreticas, verum eas non reperiri in libro JANSENII, aut in ejus sensu non esse damnatas. Ut hoc effugium præcluderet ALEXANDER VII.,

bulla quæ incipit 'Ad sacram,' data 16° Octobris, 1656, constitutionem INNOCENTII X. confirmans et innovans, declaravit has quinque propositiones ex libro JANSENII, cui titulus 'Augustinus,' esse excerptas, ac in sensu ab auctore intento damnatas ['Quinque illas propositiones, ex libro præmemorati CORNELII JANSENII Episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem CORNELIO JANSENIO intentas damnatas fuisse, declaramus et definimus']. Tum . . . formulam edidit cui tenerentur subscribere Episcopi et alii, in qua expresse dicitur has quinque propositiones esse excerptas ex libro JANSENII, et in sensu ab auctore intento damnatas.

48. "Hanc constitutionem ut eluderent Jansenistæ, confugerunt ad distinctionem facti et juris, dixeruntque Ecclesiam esse infallibilem in quæstionibus juris definiendis, at non in quæstionibus facti; sicque persistunt in sua priori cavillatione, scilicet, doctrinam propositionum damnatam esse hæreticam, sed eam falso attribui libro JANSENII, et hoc vocant factum. . . . Quantum ad subscriptionem Formularii ALEXANDRI VII. rigidiores Jansenistæ tenent eam non posse fieri simpliciter, absque mendacio et perjurio; alii molliores, posse fieri simpliciter, eo prætextu quod, ut sibi fingunt, cadat super dogma quoad assensum interiorem, et super factum quoad obsequiosum silentium." BILLUART, d. 3, a. 7, § 1.

49. Verba quibus CLEMENS XI., in constitutione "Vineam Domini Sabaoth" silentium illud obsequiosum damnat, hæc sunt:—"Ut quævis imposterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (nam et impii in tenebris conticescunt) sed et interius obsequendo, quæ vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo

valitura constitutione, obedientiæ, quæ præinsertis apostolicis constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satis fieri . . . . decernimus, declaramus," &c.

50. De libro et de sensu ejus moveri possunt quæstiones *facti puri* et *facti dogmatici*. De facto puro seu non-dogmatico, nisi forsan in casu aliquo particulari dogmaticum evaderet, Ecclesia non judicat dogmatice, seu proponendo aliquid fidelibus obligatorie credendum. Quæstiones de facto puro, quod etiam vocatur factum personale, sunt:—

1°. An v. g. liber cui titulus "Augustinus" fuerit vere scriptus a JANSENIO? Factum ejusmodi "non definit Ecclesia; quæ de libris judicat, prout sub nomine hujus vel illius auctoris circumferuntur, et præsupposita ex communi hominum consensu verborum significatione." TOURNELY.

2°. An propositiones damnatæ totidem verbis in libro contineantur? Sufficit ut ibi quoad sensum contineantur: ipsa enim doctrina libri id est quod Ecclesia damnare intendit.

3°. An auctor libri doctrinam damnatam revera in mente tenuerit? Fieri enim potest ut, ex ignorantia linguæ, vel ex aliqua alia causa, scriptor aliud velit dicere aliud vero dicat. Sed de sensu isto interno non judicat Ecclesia.

51. Quod attinet ad ipsum factum dogmaticum duæ sunt quæstiones. Prima est quæstio juris, seu quæstio de ipsa doctrina, utrum sana sit an non. Secunda est quæstio facti, an doctrina ista in hoc libro contineatur; et eam in libro vere contineri factum est dogmaticum. Hinc v. g. Ecclesia definiendo quinque propositiones famosas esse hæreticas, quæstionem juris dirimit, et *dogma* definit; et definiendo has propositiones in libro JANSENII contineri, *factum dogmaticum* definit.

52. Damnari potest propositio absolute, seu *ut jacet;* vel inspectis adjunctis, seu *in sensu ab auctore intento.* Primo modo damnatur, cum spectatur in se et seposito omni contextu. Altero modo damnatur, cum inspiciuntur antecedentia, consequentia et aliæ circumstantiæ. Distinctio illa gravissimi momenti est. Propositio enim "quæ in se et logice, ut aiunt, vera est, si seorsum sumatur, potest damnari in aliquo libro vel auctore, quia propositio quæ in se et separatim sumpta vera est, relative ad mentem et sensum alicujus libri vel auctoris, consideratisque temporibus ac circumstantiis, non raro exitiosa est."—BAILLY, p. 1, c. 20.

53. Ipsa auctoritas in Ecclesia definiendi alicui libro inesse doctrinam pravam manifesta est. Jus enim habet et officium puritatem fidei et morum in fidelibus tuendi. Inanis autem esset auctoritas illa, nisi statuere posset utrum doctrina librorum sana sit an non. Ex una enim parte, universus mundus libris et aliis scriptis omnigenis inundatur suspectis, periculosis, malis. Ex altera parte, vix alia dari potest occasio ruinæ spiritualis in fide et moribus magis proxima et periculosa quam librorum ejusmodi lectio. De hoc legatur egregia S. ALPHONSI. "Dissertatio de justa prohibitione et abolitione librorum nocuæ lectionis." Vid. et BOUIX, de Curia Romana, pag. 388, &c. Aperta est conclusio. Sed quoniam Jansenistæ jus nudum Ecclesiæ, in perpetua praxi Ecclesiæ adeo manifestum, non denegarunt, sed tantum infallibilitatem in eo exercendo, non est opus hæc longius urgere.

PROPOSITIO.—*Ecclesia, definiens doctrinam pravam alicui libro inesse, infallibilis est.*

54. ARGUMENTUM I. Si Ecclesia in ista definitione conficienda fallibilis sit, ergo falli potest. Ergo potest librum damnare tanquam continentem doctrinam hæreticam, scandalosam, &c., qui tamen nonnisi doctrinam omnino puram continet. Ergo a suo munere fidem tutam et immaculatam custodiendi multipliciter deficere potest; 1°, definiendo doctrinam pravam ibi contineri, ubi doctrina Catholica sola inveniri potest; 2°, avertendo fideles a pascuis tanquam perniciosis, quæ tamen revera salubria sunt; 3°, docendo fideles errorem: hi enim sequentes definitionem Ecclesiæ, credunt doctrinam libri de argumento aliquo, v. g. de gratia efficaci, esse hæreticam, quæ tamen vere Catholica est; legentes librum, doctrinam ejus Catholicam pro hæretica habebunt.

55. ARGUMENTUM II. Admiserunt Jansenistæ, ut passim testantur auctores, Ecclesiam infallibilem esse definiendo librum vel scriptum aliquod Catholicum esse, et immune ab omni errore: quomodo definivit Concilium Tridentinum de Vulgata (Sess. 4) et de Canone Missæ (Sess. 22, Cap. 4). "Ergo etiam potest infallibiliter declarare alicujus libri doctrinam esse hæreticam: est enim paritas, et æque spectat ad pastorem posse ovibus ostendere noxias herbas, ut fugiant, quam sanas, ut sumant, neque tantum extra libros, uti vult SINNICHIUS, sed etiam in libris ipsis, qui maxime vitandi sunt; et si potest sanas herbas cum libris ostendere, cur non etiam noxias cum libris?" CROIX, de Conscientia, n. 209. Addit HENNO, q. 5, § 3:—"Non

minoris est potestatis Ecclesia ad judicandum de hæreticitate, quam de Catholicitate alicujus doctrinæ [in libro] ; quandoquidem æqualis sit necessitatis, imo majoris, declarare fidelibus errores, falsa dogmata, hæreses, &c. quam ipsis aperire fidei veritates et articulos."

Solvuntur Objectiones.

56. *Object.* 1. Ecclesia non habet infallibilitatem quæ ei promissa non est a Deo. Atqui non est promissa infallibilitas nisi quoad ea quæ revelata sunt a Christo et per Apostolos : in quibus certo non sunt facta dogmatica.

57. *Resp.* 1°. Distinguo majorem : Non habet infallibilitatem, nisi ei promissam explicite vel implicite: Concedo: Explicite et diserte: Nego. 2°. Nego minorem simpliciter et absolute. Infallibilitas enim promissa est et implicite et explicite: implicite, ut constat ex dictis, n. 54, et infra, n. 60; explicite, in eo quod ei promissum est ut nullum unquam errorem definire et fidelibus obligatorie credendum proponere possit.

58. *Object.* 2. Ergo factum definitum credendum est ut dogma adei.

59. *Resp.* Distinguo : Ut dogma immediate revelatum, et ut *de* fide Catholica credendum : Nego : Ut dogma sane fidei, seu veritas fidei (ut id vocat ANTOINE, de Fide, s. 4, c. 3, a. 7, § 4); vel ut veritas Catholica (n. 5), vel factum Catholicum fide divina credendum : Concedo.

60. Quædam hic ex eodem ANTOINE haud inutiliter exscribemus. Infallibilitas Ecclesiæ in his factis definiendis "implicite saltem et æquivalenter revelata est in Scripturæ locis supra allatis, ut istis : 'Portæ inferi non prævalebunt adversus eam :' 'Docete . . . et ecce ego vobiscum sum,' &c. Nam his et aliis similibus locis clare promittitur Ecclesiæ

infallibilitas omnis necessaria ad semper fideles omnes bene docendos, et depositum fidei servandum usque ad finem mundi; qualis est infallibilitas in interpretandis et decidendis textibus dogmaticis. Tum quia Ecclesia, in Conciliis Ephesino et Chalcedonensi et aliis, sibi exercite seu praxi et usu attribuit hanc infallibilitatem . . . .

"Sicut est de fide Ecclesiam esse infallibilem circa fidei dogmata, quamvis hæc infallibilitas nondum sit expresse definita ab Ecclesia; ita etiam est de fide Ecclesiam esse infallibilem circa textus dogmaticos, quamvis hæc infallibilitas non fuerit expresse definita ab Ecclesia. Nam ut utrumque fide constet, satis est quod Ecclesia utramque infallibilitatem usu ipso continuo demonstret, anathematizando scilicet eos, qui suis decretis non adhærent. Quæ quidem agendi ratio constans est ac perpetua suæ infallibilitatis declaratio: alioquin enim iniquum esset fideles sub anathemate obligare ad assentiendum firmiter decretis quibus falsum subesse posset . . . .

"Constans illa Ecclesiæ circa textus dogmaticos praxis æquivalet definitioni expressæ: quæ proinde non requiritur ad hoc, ut infallibilitas Ecclesiæ circa textus dogmaticos sit fidelibus sufficienter proposita tanquam fidei dogma."

61. *Object.* 3. Si Ecclesia sit infallibilis in his, id debuit *expresse* definire, præsertim post negatam a Jansenistis istam infallibilitatem.

62. *Resp.* Nego. "Nam Ecclesiæ circa fidei dogmata infallibilitas ab hæreticis impugnata fuit, et nunc etiam a Calvinistis et Lutheranis impugnatur, et tamen Ecclesia hanc nondum expresse definivit, quia judicavit constantem hujus infallibilitatis usum sufficere, et æquivalere expressæ definitioni. Similiter Ecclesia expresse non definit suam circa textus dogmaticos infallibilitatem, quia judicat con-

stantem hujus infallibilitatis usum sufficere, et expressæ definitionis locum tenere. Igitur Ecclesia neutram infallibilitatem expresse definit, quia suum de utraque infallibilitate sensum exprimit per praxim suam circa dogmata fidei et textus dogmaticos." *Idem*, ibid.

Ceteræ objectiones solutæ videantur, D. 17, n. 140, &c.

V. *De Educatione.*

PROPOSITIO I.—*Ecclesia jure divino auctoritatem habet definiendi utrum systema aliquod educationis bonum sit an malum, tutum an periculosum.*

63. ARGUMENTUM. Probatur propositio eodem genere argumenti quo probatur auctoritas Ecclesiæ in probandis et damnandis libris; ex eo nempe quod absolute necessaria est ista auctoritas, ut Ecclesia suo munere fungi possit custodiendi fidem et mores fidelium. Imo multo magis necessaria est hæc auctoritas quoad educationem quam quoad libros. Ut enim alia omittam, 1°, educatio juniores etiam tenerioris ætatis et ex omni gradu societatis afficit; lectioni librorum pravorum plerumque non objiciuntur nisi qui paulo magis adoleverunt, et excultioris sunt gradus. 2°. Lectio librorum unum tantum est, etsi valentissimum, mediorum, quibus pueri ad bonam vel malam frugem ducuntur; educatio in se continet plura talia media, haud raro omnia aut fere omnia, ut jam videbitur.

PROPOSITIO 2.—*In omnes locos educationis, etiam secularis, Ecclesia jure divino eatenus auctoritatem habet, ut ea omnia constituere possit, quæ necessaria sint ad custodiam puritatis fidei et morum discipulorum Catholicorum.*

64. Si Jus Ecclesiæ quoad educationem secularem vindi-

cetur, eo ipso a fortiori quoad ceteras species educationis vindicatur. Sit igitur, quoad illam educationem,

ARGUMENTUM. Ubicumque periclitentur fides vel mores Catholicorum, ibi Ecclesia præfatam auctoritatem pastoralem habet, et exercere potest. Atqui in educatione seculari fides et mores Catholicorum periclitari possunt. Ergo, &c. Major patet. Minor, cujus contradictoria propositio unum est ex præcipuis doctrinæ adversariorum fundamentis, probatur. Multis periculis obnoxia est educatio illa, quæ ad duo capita revocari possunt. *Primum* vocari potest negativum, et ex eo est quod religiosa educatio excludatur; et quo magis pure secularis est educatio, eo magis grave est hoc periculum. Graviter enim vulnerata est nostra natura in Adam, et facta est ad peccatum prona valde, ita ut, sibi relictâ, "cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore:" Genes. vi. 5. Solent homines naturaliter, ut omnibus notissimum est, ex scientia sua tumescere, superbire, magnam arrogantiam sibi sumere, quasi essent "sicut dii, scientes bonum et malum:" Genes. iii. 5. Quot sunt hodie ubique, qui, in ipso medio lumine Christi, non minus quam pagani antiqui, "evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt:" Rom. i. 21, 22. Nisi educationem illam secularem educatio religiosa concomitans simul quasi penetret, informet, vivificet, sanctificet, magnum plane ruinæ animarum periculum, imo periculum intrinsecum, esse potest.

65. *Secunda* species periculorum positiva vocari potest, et multiplex est. In commentariolo Anglice scripto, edito anno 1851, cui titulus, "An Essay on Education, considered with reference to the interests of Religion, and the rights of the State and the Church," præcipua ex periculis

istis enumeravi, et quædam paulo fusius descripsi. Ea hic brevius indicabo. 1°. Primum periculum ex magistris esse potest. Hi, præsertim si acatholici essent vel etiam Catholici male affecti erga Ecclesiam, etiam in disciplinis pure per se secularibus, prava principia, vel aperte vel furtim subdole, variis modis insinuare possent. 2°. Secundum periculum ex libris et libellis esset, qui numero infiniti quotannis emittuntur, et quibus minimo vitio vertitur quod mundana omnino sapiant, et mentem ab æternis avertere nati sint et in terrenis totam defigere. 3°. Tertium periculum esse potest ex condiscipulis. Etiam in collegiis ecclesiasticis bene constitutis, in quæ non admittuntur nisi qui testimonia vitæ probatæ gravia habent, aliquando delitescunt qui sodalium mores corrumpere nitantur, vel etiam actu corrumpant et depravent. Sed in scholis et collegiis secularibus longe longeque plura, graviora, instantiora sunt ejusmodi pericula, vel plerumque facile esse possunt. Censeo fere omnes qui in consuetudinem peccandi venerunt, malum didicisse primùm ex pravis exemplis condiscipulorum, collusorum, famulorum. Hinc parentes pii et sapientes, qui liberorum suorum bonum spirituale ut "unum necessarium" exoptant, et studiose quærunt et curant, summa et continua diligentia laborant et vigilant, ut ab omni extraneorum consortio et societate, nisi quæ necessaria sit et manifeste tuta, prohibeantur; illud præ mente semper habentes:—"Nulla satis securitas ubi periclitatur æternitas." Hæc omnia, exemplis adductis, et variis circumstantiis et rebus, quæ physice et per se cursim spectatæ nonnisi minutæ viderentur, explicatis et quoad eorum in mores puerorum vim quotidianam inspectis et ponderatis, in immensum produci possent.

Argumentum ex mente et praxi Ecclesiæ, imo ex aperta definitione S. Pontificis, vid. D. 17, n. 177.

VI. *De Societatibus secretis seu occultis.*

66. Quæstio hic non est de societatibus publicis; nec de conventibus secretis hominum casu convenientium; nec de societatibus ad bonum publicum a legitima potestate constitutis, et quarum membra de negotiis sibi mandatis secreto deliberant et consilia conferunt, quales sunt Congregationes Romanæ, concilia reipublicæ, concilia militaria, &c. Harum enim societatum membra omnibus nota sunt, et sunt homines delecti propter eorum singularem sollertiam et peritiam in rebus tractandis quæ iis concredendæ sunt, et, saltem si sermo sit de societatibus seu congregationibus ecclesiasticis, propter eorum singularia merita et eximiam probitatem et pietatem. Fines harum societatum omnibus noti sunt, et plane honesti et laudabiles sunt, nempe, ultimi saltem, ut bono vel Ecclesiæ vel reipublicæ prospiciant. Negotia denique ab istis societatibus tractata omnibus nota sunt, saltem in genere vel specie. Nihil ergo in earum conventibus occultum est, præter ipsas deliberationes vel materiam particularem, de qua in conventu aliquo particulari deliberatur.

67. Sed, etsi societates ejusmodi aliqua ratione secretæ sint, "societates secretæ" nullomodo vocari possunt. Ista enim appellatio, non solum usu Ecclesiastico sed etiam vulgari, nonnisi malo sensu ubique adhibetur. Societas secreta, theologice spectata, et secundum usum locutionis ecclesiasticum, et prout ecclesiasticæ auctoritati et censuræ subest, definiri potest:—Societas hominum

fœdere secreto et stabili conjunctorum, et inspectioni et moderationi auctoritatis legitimæ sive ecclesiasticæ sive civili occlusa. Dixi "stabili," alioquin non esset societas: ceteri termini definitionis plani sunt. Hæc, ut patet, non est definitio societatis secretæ ut sic et in genere, sed illius societatis quæ, ut dixi, usu loquendi communi secreta vocatur et specialiter et specialissime ab Ecclesia damnatur. Aliæ esse possunt hominum societates et conventus, et occulti et publici, et mali et periculosi: sed societatem secretam jam definitam *specialiter* damnat Ecclesia, quia malum vel periculum ejus non solum intrinsecum est sed *speciale.*

68. Societates secretæ, physice spectatæ, diversæ sunt ex diversitate finis proximi, cæremoniarum quibus inaugurantur membra, regularum, &c. Hæc ad theologiam non pertinent, nisi in quantum juvant ad diversitatem moralem dignoscendam. Moraliter diversæ sunt quæ inter se, specie vel gradu mali vel periculi, differunt: quoniam enim in societatibus istis multa esse possunt capita mali et periculi, patet aliam aliâ eo pejorem vel minus malam esse quo plura vel pauciora capita ista teneat. Capita hæc in constitutionibus Pontificiis indicantur, CLEMENTIS XII., "In eminenti," 1738; BENEDICTI XIV., "Providas," 1751; PII VII., "Ecclesiam a Jesu Christo," 1821; LEONIS XII., "Quo graviora," 1825. In constitutione BENEDICTI hæc habentur:—"Inter gravissimas præfatæ prohibitionis et damnationis [Masonismi] in præinserta constitutione [CLEMENTIS] enuntiatas una est, quod in hujusmodi societatibus et conventiculis cujuscumque religionis ac sectæ homines invicem consociantur: qua ex re patet, quam magna pernicies Catholicæ religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et im-

pervium secreti fœdus, quo occultantur ea quæ in hujusmodi conventiculis fiunt . . . . . Tertia est jusjurandum quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt: quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur quæcumque requiruntur ad dignoscendum an aliquid in hujusmodi conventibus fiat quod sit contra religionis aut reipublicæ statum et leges. . . . . Quinta est, quod jam in pluribus regionibus memoratæ societates et aggregationes secularium principum legibus proscriptæ atque eliminatæ fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eædem societates et aggregationes male audirent, eorumque judicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent." Temporis decursu aliæ succreverunt societates occultæ, seu potius unius et ejusdem societatis sectæ et familiæ, omni juri sacro et civili infensæ, deisticæ et etiam atheæ; quas commemorant PIUS et LEO.

69. Meum non est particulares societates describere, sed tantum principia theologica proferre et statuere. Quæstio ergo hic est an societas occulta quæ hac vel illa nota insignitur, legitimum sit objectum auctoritatis Ecclesiæ, et jure ab ea damnabilis vel damnata. Insuper, quoniam res est hic cum Catholicis, saltem professis, prætermittimus omnes illas societates quæ nihil aliud sunt quam conjurationes adversus Ecclesiam vel supremam potestatem civilem vel utramque: omnes enim hujusmodi societates vi nominis, jure non solum ecclesiastico sed divino, jam damnatæ sunt.

70. Primaria et fundamentalis nota societatis secretæ ea est quæ in definitione supra data, n. 67, exhibetur,

nempe, quod membra ejus secreto consociantur, et acta eorum legitimis potestatibus occluduntur. Quæritur an propter hanc notam solam, nullâ aliâ appositâ, jure damnabiles sint occultæ societates? Respondeo affirmative.

71. ARGUMENTUM I. ex periculis hujusmodi societatum intrinsecis et inhærentibus. Non loquimur de intentione *operantis*, ut aiunt, sed de intentione *operis*. Supponimus ergo membra non consociari aut contra rempublicam aut contra Ecclesiam, nec in aliquem finem malum, sed in finem per se pure indifferentem vel etiam laudabilem: alioquin societas non solum intrinsece *periculosa* esset sed intrinsece *mala*. Pericula essent fidei membrorum vel moribus vel utrisque, ex eo quod impossibile sit plures occulte convenire quin in iis sint mali. Si ita se res habeat in publicis hominum conventibus promiscuis, quanto magis in occultis? 1°. Ipsæ enim occultationes et arcana consilia per se incitamenta sunt haud levia ad insidias omnigenas et opera tenebrosa ponenda. 2°. Homines qui alios a recta via abducere volunt secreta regulariter quærunt, loca secreta frequentant, secreto in aures susurrant et mussitant, secreto laqueos obtendunt, in omnibus secreti sunt. Hoc adeo verum est ut qui alios occulte convenientes vident, quasi lege quadam naturæ nostræ universali et instinctu quodam quasi invicto, eos illico, nisi alioquin probi esse noscuntur, pro suspectis et conjuratis habeant. 3°. Experientiâ omnium seculorum constat societates secretas semper, etsi ab ipso initio non adeo periculosæ esse visæ fuerint, tales decursu temporis, et quidem brevi, evadere. Sunt enim ubique inquieti, rerum novarum cupidi, factiosi, veteratores, qui, sub specie boni publici procurandi, quæ sua sunt sola quærunt: hi et alii ejusdem generis, scientes occultas sectas media esse

ad suos fines assequendos valentissima, "ut sagittent in obscuro rectos corde" (Psalm. x. 3), eas vel constituunt, vel constitutis se immiscent, easque veneno suo inficiunt. Quam celeriter vel optimi juvenes peste sectarum illarum toti corrumpantur et vitientur, norunt omnes qui talium rerum peritiam habent; quod et ipse ex non paucis exemplis tristibus didici et quasi propriis oculis vidi.

72. Sed etsi supponas existere posse vel actu existere unam et alteram societatem secretam, quæ nec mala est nec periculosa, jure tamen ejusmodi societas damnari potest: seu, aliis verbis, jure damnari possunt omnes quæcumque societates secretæ, nulla excepta. Quia 1°, etsi hodie non censeatur periculosa, talis, ex jam dictis, brevi fiet. Et attenta natura humana, qualis de facto est, ubique adeo corrupta et infirma, attento infinito hominum numero malorum et pessimorum, qui in omni regione et in omni loco vel delitescunt vel palam grassantur, impossibile est rem aliter se habere. 2°. Semper in hujusmodi societatibus adest *præsumptio* periculi, imo gravis et gravissima præsumptio. Hoc vero sufficit ut jure indiscriminatim et absolute damnentur et prohibeantur: prout docent theologi in tractatu de legibus.

73. ARGUMENTUM II. ex mente et praxi Ecclesiæ. Ex verbis enim Summorum Pontificum supra, n. 68, prolatis, patet unam ex notis malis, quæ istis societatibus affixæ sunt et ob quas ab Ecclesia reprobatæ sunt, esse ipsam per se et definite earum naturam abditam et occultam. Omnis ergo societas secreta (ut supra definita) non solum damnabilis est, sed de facto ab Ecclesia *damnata fuit.*

VII. *De Sanctorum Canonizatione.*

74. "Quamvis in sensu largiori omnis ille sit et dici valeat Sanctus, qui in gratia sanctificante seu habituali existit, præsertim si virtutibus et perfectione splendet . . . tamen regulariter loquendo, et proprie ad propositum, Sanctus est et dici potest omnis et solus ille, qui rite canonizatus, id est, per Pontificem albo seu numero et catalogo aliorum Sanctorum publice, solemniter ac canonice adscriptus, atque tanquam Sanctus declaratus et definitus est, addito statuto, ut ab omnibus Christi fidelibus pro tali habeatur . . . . Pariter licet in sensu largo varii sint ac dicantur Beati, tamen proprie et ad propositum loquendo, Beatus est et dici potest omnis et solus ille, qui ex speciali concessione Summi Pontificis ab aliqua provincia, religione vel loco tanquam in cœlo existens, cultu aliquo publico (v. g. recitatione divini officii, celebratione missæ, expositione reliquiarum ejusdem publica, prout nempe et quantum concedit Papa), coli et venerari valeat." REIFFENSTUEL, in 3 Decretal. Tit. 45, n. 2, 3.

75. Hæc sunt ergo capita discrepantiæ præcipua inter Canonizationem et Beatificationem. In canonizatione 1°, definitur canonizatum esse Sanctum et 2°, ut talem in universa Ecclesia habendum et dicendum esse et 3°, ut talem cultu publico in universa Ecclesia coli posse. Etsi enim non omnium canonizatorum officia et missæ ad universam Ecclesiam extendantur, alio eos cultu publico tanquam Sanctos prosequi possunt fideles. Denique 4°, canonizatio sententia est ultima et definitiva, qua causa in perpetuum finitur. In beatificatione 1°, non expresse definitur beatificatum esse Sanctum aut Beatum, sed tan-

tum conceditur facultas ut hoc titulo insigniatur. 2°. Non est vocandus Sanctus sed Beatus. 3°. Non est cultu publico prosequendus, nisi secundum limites præfinitos, locorum, &c. 4°. Sententia beatificationis non est ultima et definitiva.

76. Dixi "cultu *publico*." Porro cultus "privatus est qui non exhibetur nomine Ecclesiæ, nec tanquam institutus ab ea, sed fit ex privata devotione colentis, recitantis v. g. in honorem alicujus privatas aliquas preces . . . jejunantis, se mortificantis, sive dein in occulto, sive in publico et aliis videntibus, talem cultum exhibeat. Cultus publicus est, qui fit nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, sive dein publico in loco sive in occulto fiat. Cultus enim publicus, seu solemnis, non ideo talis appellatur, quod publice vel coram aliis exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea." REIFFENSTUEL, ibid. n. 16. Cultum illum privatum deferre licet etiam non adhuc beatificato, ut docent iidem REIFF. n. 21; BELLARM. l. c. et alii multi apud SCHMALZGRUEBER, in eundem locum Decretalium, n. 7—modo tamen documenta sint idonea sanctitatis ejus.

77. Ecclesiam in canonizandis Sanctis infallibilem esse certum est apud omnes auctores graves. Et, etsi propositio id affirmans non sit de fide Catholica, sine dubio est definibilis de fide. Sententia autem negans, præter notam temeritatis, et alias mereretur: D. 17, n. 201. Ad istam infallibilitatem probandam unum tantum hic proferemus argumentum. Alia argumenta cum objectionibus solutis in opere majori videantur.

78. Si fallibilis sit Ecclesia in Sanctis canonizandis, ergo fieri potest ut universis fidelibus colendum proponat hominem damnatum; qui, ex ipso decreto et definitione

Ecclesiæ, a fidelibus ubique titulo Sancti appelletur, et ut Sanctus honoretur et invocetur; cujus laudes per Ecclesiam celebrentur; in cujus honorem missæ offerantur, officia recitentur. Sed sanctitati Ecclesiæ essentiali absolute repugnat ut hæc fiant. Ad sanctitatem enim Ecclesiæ absolute et imprimis necessarium est ut cultus ab ea, præsertim pro universa Ecclesia, decretus et definitus sit omnino sanctus et purus: nec magis ab infallibilitate deficeret, definiens propositionem hæreticam ab omnibus credendam, quam a sanctitate deficeret, definiens cultum superstitiosum et impium ab omnibus frequentandum. Atqui cultus religiosus homini damnato delatus cultus esset summe impius et superstitiosus; cujus vel notionem, quasi ipsius fere diaboli cultum, horrent aures Christianæ. Vel ergo Ecclesia sancta non est, sed superstitionis et impietatis universalis nutrix et cultrix, vel omnino dicendum est eam esse infallibilem in canonizatione Sanctorum.

VIII. *De Approbatione Ordinum Religiosorum.*

79. "Observandum est duo considerari posse in approbatione religionis. Prius est, ipsa Pontificis definitio seu judicium, quo decernit hanc vel illam religionem, quoad suum proprium institutum, esse bonam, et non solum rectæ rationi sed etiam divinæ legi et Evangelio consentaneam, atque adeo per se utilem ad Christianam perfectionem acquirendam. Posterius est, quo Pontifex judicat istam religionem esse hic et nunc Ecclesiæ utilem, et propterea nunc admittendam. Quantum ad prius, certum omnino est Pontificem non posse errare, ita ut Dominicus Bannes affirmet se non dubitare quin oppositum sit hæ-

reticum: eique conformiter scribunt TANNERUS, LUISIUS TURRIANUS et alii.

80. "PROBATUR. Quia Pontifex potestate sua pontificia utitur, quando aliquam religionem approbat. Atqui Pontifex, agens ut Pontifex, non potest errare definiendo quidpiam ad mores pertinens totamque Ecclesiam concernens. Ergo non potest errare approbando aliquam religionem: quamvis enim una religio certi alicujus generis homines certumque vivendi modum contineat, pertinet tamen ad totam Ecclesiam, non solum quia toti Ecclesiæ deservit, sed etiam quia tota Ecclesia debet eam probare, eamque ut bonam et ex se perfectioni evangelicæ acquirendæ utilem admittere, postquam Summus Pontifex illam pro tali probavit." SYLVIUS, Controv. l. 4, q. 2, a. 16.

81. Quoad secundum. "Ex his non potest æque certo inferri, quod Pontifex interdum errare non possit contra regulas prudentiæ, admittendo religiones bonas quidem et sanctas, tamen hic et nunc minus Ecclesiæ convenientes, sive ob confusionem, quæ in aliis oritur ex nimia multiplicatione, sive ob alias causas. Quamvis nec hoc facile præsumendum sit ob reverentiam Pontifici debitam: imo sine magna temeritate idem citra grave fundamentum præsumi non possit. Similiter satis constat Pontifices in multiplicandis legibus aut censuris posse errare contra prudentiam." HERINCX, d. 6, n. 91. Eandem sententiam tenent BANNES, SYLVIUS, TANNER, n. 282, (qui dicit quod hoc "communiter omnes fatentur,") &c. Ejusmodi vero errorem possibilem esse negat VALENTIA, § 40, quem sequitur CASTROPALAO, § 6, n. 4. Forsan non adeo in re dissentiunt inter se isti theologi, et utraque sententia conciliari potest in verbis BANNESII:—"Possibile est Summum Pontificem ex

negligentia aut ignorantia aut falsa informatione aliquo modo errare secundum prudentiam in approbatione et confirmatione plurium religionum, quam opus erant in Ecclesia Dei: nunquam tamen hujusmodi error cedet in *perniciem Ecclesiæ*, quamvis quibusdam possit esse nocivus"—per accidens nempe, non per se.

Sectio Quinta.—*De Philosophia.*

82. Hac nostra ætate plures, præsertim in Germania, apud quosdam qui fidem Catholicam profitentur, grassantur errores perniciosissimi de juribus, ut aiunt, philosophiæ seu scientiarum naturalium. Errorum istorum asseclæ, dum ex una parte "philosophiæ libertatem, seu potius effrenatam licentiam tam acriter, tam temere" propugnant (verba sunt Pii IX. in Brevi dogmatico, "Gravissimas," ad Episcopum Monacensem, die 11 Decembris, 1862, dato); theologiam scholasticam et doctores scholasticos, "quæ ignorant blasphemantes" (2 Pet. ii. 12), dicteriis summe injuriosis impetunt, irrident, lacerant. In hoc capite sermo noster solum est de objectis auctoritatis Ecclesiæ; in hac ergo Sectione inquirendum tantum habemus, an et quousque scientiæ naturales, ut vocantur, inter ista objecta sint annumerandæ.

83. Aliud est philosophia in se spectata, aliud omnino est liber seu scriptum philosophicum. Fieri enim potest ut sit scientia aliqua philosophica, quæ per se nihil continet ad fidem vel mores ullomodo pertinens, et tamen in libro de ista scientia expositionibus philosophicis immisceri possunt propositiones quæ fidem aut mores plus minus tangerent. Sic, tractatui anatomico inseri possunt propositiones materialismum insinuantes. Hoc posito, dico philosophiam

et libros philosophicos quadruplici modo obnoxios esse posse auctoritati et judicio Ecclesiæ.

84. 1°. Philosophia est quæ directe et omnino Ecclesiæ auctoritati subsit. Talis est philosophia ethica. Talia sunt omnia vel fere omnia quæ in metaphysica speciali constituuntur dogmata, de cosmologia, de psychologia, de theologia naturali. Hæc enim, etsi ratione investigantur, sunt quoque revelata vel immediate, ut existentia et attributa Dei, multa principia ethica; vel mediate, ut sunt alia principia ethica, quæ ex revelatis ope rationis educuntur; vel ex lege naturali.

85. 2°. Fieri potest ut, in verbo Dei scripto vel tradito, mentio sit de rebus in se pure philosophicis et ad scientias pure naturales pertinentibus. Ad Ecclesiam pertinet definire, si velit, verum sensum textuum ejusmodi, et declarare utrum S. Spiritus revera voluerit veritates philosophicas in iis revelare (ut passim in Scripturis, præsertim V. Testamenti, revelantur facta historica, genealogiæ, &c.); an vero verbum suum in istis materiis ad usum communem loquendi et sentiendi accommodaverit tantum, et nihil de ipsa re philosophica revelare voluerit. Ecclesiam habere auctoritatem ejusmodi quæstiones solvendi infallibiliter planum est ex toties supra dictis: nec id agendo sese quæstionibus pure philosophicis immisceret, sed tantum interpretaretur verbum Dei.

86. 3°. Alia est philosophia quæ, etsi primo obtutu non ad forum Ecclesiæ sed ad forum Aristotelis pertinere videretur, principia tamen habet et conclusiones quæ, prout vera vel falsa sunt, prout recte vel male usurpantur, in præsidium vel ruinam religionis facile converti possunt. Multiplici specie et modo hoc fieri potest. Sic, quæstiones in logica tractatæ de veritate, de certitudine, de testimonio

sensuum de vi auctoritatis, &c. quæstiones sunt pure philosophicæ : in iis enim excutiendis conclusiones educuntur et firmantur ex ratione sola, nullo argumento ex revelatione allato. Et tamen norunt omnes conclusiones et theorias falsas in materiis illarum quæstionum a LAMENNAIS, FROHSCHAMMER et aliis olim et recentius in lucem editas fuisse, quibus non solum ipsa fœdata est philosophia, sed fundamenta religionis Christianæ periclitata sunt. Sed philosophia prava non solum fidem sed mores hominum lædere et corrumpere potest, imo mala moralia perniciosissima inducere et undique diffundere.

87. 4°. Libro philosophico, ut supra dictum est, n. 83, immitti possunt doctrinæ et propositiones, quas non postulat ipsa tractatio philosophica, sed quæ ei externæ sunt et adventiciæ, et quæ aliquid pravum vel periculosum aut insinuarent aut diserte significarent. Hunc casum non esse imaginarium seu opinatum constat ex multis libris Anglicis philosophicis et aliis, quorum argumenta nullomodo ad religionem pertinent, qui tamen istis spurcitiis inquinantur.

88. Ex dictis in hac et antecedentibus hujus Disputationis Sectionibus satis vindicatur jus Ecclesiæ in philosophiam. Jus enim habet Ecclesia ad inspiciendum an in aliqua philosophica scientia aliquid inveniatur, sive in ipsa scientia sive in modo quo tractatur, quod fidem vel mores directe vel indirecte tangat. Si nihil ejusmodi inveniat, rem ad philosophos remittit et tradit "disputationi eorum" (Ecclesiastes, iii. 11) : si vero aliquid tale deprehenderit, de eo judicat ut in aliis rebus similibus. In *ipsa* quidem philosophica scientia *vera* nihil unquam esse potest reprehensione dignum : sed multæ sunt in mundo quæ vocantur scientiæ philosophicæ, et quæ plus minus vanæ et pravæ

sunt. Errores istorum recentium ad tres primarios revocari possunt. Primus est error qui affirmat philosophiam non solum non esse theologiæ subditam, sed ei dominari; ita ut in philosophicis investigationibus exercendis nullomodo attendi debeat definitio Ecclesiæ. Ita cum rationalistis FROHSCHAMMER. Alter est error huic similis, seu potius idem ipse sub alio conceptu, qui affirmat Ecclesiam de libris vel quæstionibus philosophicis, utpote omnino extra forum ejus positis, nihil definire posse. Tertius error affirmat Ecclesiam non posse lectionem vel editionem libri philosophici prohibere, nisi in eo contineatur aliquid theologice falsum. Ista deliramenta paulo latius dissipantur, D. 17, n. 235, &c. Quoad difficultatem ex condemnatione Galilei vid. ibid. n. 245, &c.

SECTIO SEXTA. *Annotationes Quædam de Definitionibus et Decretis Ecclesiæ Dogmaticis.*

89. Quoniam non omnia quæ in actis Conciliorum vel constitutionibus R. Pontificum habentur, obligatorie ab omnibus credenda proponuntur; et quia, etiam inter credenda, non omnia proponuntur tanquam immediate revelata et definita de fide Catholica; idcirco operæ pretium erit (per modum Appendicis ad hoc caput et totam hanc hujus operis Partem Secundam) criteria quædam statuere, quibus altera ab alteris secernantur. Sermo non est de decretis disciplinæ sed de solis decretis dogmaticis seu doctrinalibus; et de his duo inquirenda sunt:—1°. Quomodo in iis ea quæ Ecclesia definire et docere ut obligatorie credenda voluit, ab illis secernantur

quæ non sunt definita? 2°. In definitis, quomodo ea quæ de fide sunt ab illis secernantur quæ non sunt de fide?

90. Quoad quæstionem *primam*. I. In Conciliis generalibus (de particularibus enim nulla hic quæstio esse potest) ea sola credenda proponuntur quæ in canonibus et decretis proferuntur. Ratio est quia in illis solis Episcopi intendunt definitive docere; et etsi in aliis forsan aliquo modo doceant seu sententias suas proferant, non tamen volunt in his definiendo docere. Hinc quæ in congregationibus proferuntur, vel etiam in ipsis sessionibus, et etiam uno animo atque una voce, si nec in decretis nec in canonibus inveniantur, non sunt ut talia obligatorie credenda. Dico "ut talia;" fieri enim potest ut alibi definiantur.

91. II. Quoad argumenta quæ in decretis vel canonibus proferuntur, distinguendum est. Vel enim ex Scriptura aut traditione proferuntur, vel ex rationibus theologicis aut philosophicis. Si primum, tunc, si modo definitivo proferantur, a Concilio vel Pontifice declarante hunc vel illum esse verum sensum Scripturæ aut cujusdam textus singularis Scripturæ, aut esse veram traditionem Ecclesiæ, sine dubio talis declaratio obligatorie credenda est. In hoc enim casu Ecclesia Scripturam vel traditionem judicio dogmatico interpretatur; et in tali judicio faciendo infallibilis est. Hoc modo Concilium Tridentinum S. Scripturam et traditionem in decretis sæpius interpretatur: v. g. Sess. Cap. 6:—"De hac dispositione [ad justificationem] scriptum est:" &c. deinde varios profert textus Scripturæ. Similiter ibidem, Cap. 8:—"Cum vero Apostolus dicit (Rom. iii.), justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in sensu intelligenda

sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur," &c. deinde prosequitur expositionem sensus illius scripturalis et traditionalis. Similiter et Sess. 13, Cap. 1, de verbis quibus institutum est sacramentum Eucharistiæ; et alibi sæpius.

92. Si vero textus Scripturæ proferat Concilium hoc vel illo sensu, non definiens sensum istum esse verum sensum a S. Spiritu intentum, sed vel verba accommodando, vel per modum argumenti ad hominem, vel alio aliquo modo ea usurpando, tunc planum est Concilium non voluisse sensum præfatum pro definito haberi. Idem dicendum est de textibus simili modo adhibitis in constitutionibus Pontificum. Exemplum habes clarum in Concilio Tridentino, Sess. 13, Cap. 2; ubi, sermonem de Eucharistia habens, profert textum ex Joan. vi. 58, quasi de Eucharistia in illo textu locutus fuisset Christus, et tamen, Sess. 21, Cap. 1, de illo ipso sermone apud Joannem vi. dicit:—"Utcumque juxta varias Sanctorum Patrum et doctorum interpretationes intelligatur." Censeo Concilium, Sess. 13, revera non accommodare sed interpretari verba Christi, sed non definiendo; ut patet non solum ex Sess. 21, sed ex modo quo verba adhibentur, Sess. 13: ibi enim simpliciter citatur textus, nullo apposito verbo quod definitionem vel minimum sonat. In textibus ergo Scripturæ proferendis aliquando patet Concilium velle eorum sensum definire, aliquando patet Concilium hoc non velle, aliquando vero dubium est de intentione Concilii. Si verum existat dubium ejusmodi, tunc nulla est definitio: non magis enim definitio dubia definitio est vera et obligans, quam lex dubia lex est vera et obligans.

93. Hæc de argumentis ex Scriptura vel traditione

eductis, seu potius de interpretatione Scripturæ vel traditionis. Quoad alia vero argumenta, quæ theologica aut philosophica vocantur, in iis proferendis nihil intendit definire Concilium vel Pontifex, et ergo nihil definit—hoc enim universaliter verum est, nempe, nihil definitum esse ultra intentionem definientis: ZALLINGER, Liber Subsidiarius seu Isagogicus, n. 95. Ista autem argumenta ob varios fines optimos proferri possunt. Hinc in multis quæstionibus (ut ait LUGO, de Justitia et Jure, d. 10, n. 2) "magis certa est conclusio, quam rationes, quæ variæ a diversis afferuntur ad ejus probationem."

94. III. *Finis* intrinsecus et ipsius operis, in condendis decretis et canonibus, nihil aliud est quam veræ fidei conservatio et confirmatio, et errorum damnatio et depulsio. "Cum hujus sacrosancti Concilii præcipua cura solicitudo et intentio sit, ut, propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, Jesu Christo qui vera lux est annuente, candor puritasque refulgeat; et ea, quæ reformatione egent, reformentur;" &c. Conc. Trid. Sess. 2, et alibi sæpius. Præter hunc finem generalem, alia dari possunt motiva particularia quoad decreta particularia, v. g. ex vi horum et illorum argumentorum, ex propensione ad has vel illas sententias, Thomistarum ad Thomisticas, Scotistarum ad Scotisticas, &c. vel etiam ex causis minus commendandis. Satis planum est hæc omnia definitioni omnino externa esse, nec ejus auctoritatem et vim obligatoriam ullomodo participare.

95. IV. Obiter dicta non sunt definita Per obiter dicta censo ea omnia esse intelligenda quæ non sunt ipsa doctrina vel pars doctrinæ, quam Concilium vel Pontifex diserte suscipit definire et definit. Talia sunt ar-

gumenta de quibus n. 92; verba facta de aliis punctis doctrinalibus, sive cum doctrinâ hic et nunc definitâ sint connexa sive non; narrationes factorum; &c. In decretis dogmaticis Tridentinis rariora sunt ista obiter dicta, in canonibus vel nulla vel rarissima: in constitutionibus vero Pontificum, ob diversum modum definiendi, haud ita rara sunt.

95. V. Inter obiter dicta recensendæ sunt opiniones pure philosophicæ. Sed, quod non semel dictum est contra Jansenisticum errorem hodie de novo excitatum, sedulo præ mente tenendum est, ad infallibilitatem Ecclesiæ pertinere, ut nunquam definire possit aliquam propositionem, sive in materia philosophica sive in ulla alia, cujus definiendæ auctoritatem non habeat ex jure divino: et omnem propositionem vere definitam ab Ecclesia statim et absolute acceptandam esse, absque ulla inquisitione materiæ in qua versatur propositio, utrum sit definibilis an non.

96. Sed de his obiter dictis duo notanda sunt, quæ quoad substantiam notata sunt, D. 1, n. 169, ad calcem; D. 11, n. 30, 31. Primum est quod, si forsan in aliquo istorum obiter dictorum, v. g. in narratione factorum personalium, error deprehendatur, qui eum reperit patefacere potest, sed cum reverentia, non jactanter et irrisive, ne forsan in maledictionem Chanaani incidat. Secundum est quod, etsi obiter dicta et alia non definita non sunt obligatorie credenda, ea tamen esse possunt quæ auctoritatem sibi consilient magnam et permagnam: quod tunc præsertim contingeret, si cum deliberatione solemniori fuerint prolata, vel si in constitutionibus Pontificum eo modo proferantur qui indicet mentem et sensum S. Sedis permanentem.

97. Quoad quæstionem *secundam* (n. 88), de secretione eorum quæ definita sunt de fide, ab iis quæ definita quidem sunt sed non de fide; in ista distinctione statuenda, alia facilia sunt et plana, alia vero difficilia et obscura. I. Manifesta est res, si Concilium vel Pontifex diserte affirmet aliquam doctrinam 1°, esse de fide vel 2°, esse revelatam (quomodo definita est immaculata conceptio B. V. Mariæ*) vel 3°, doctrinam oppositam esse hæreticam (quomodo propositiones quædam damnantur in constitutione "Auctorem fidei") vel 4°, hæreticum declarat qui doctrinam tenet oppositam.

98. II. Item 5°, si definiat doctrinam aliquam esse dogma Catholicum (ut PIUS VI. in constitutione "Super soliditate," damnando EYBELUM): etsi enim veritates theologicæ vocari possint dogmata Catholica, non ita vocantur in definitionibus Ecclesiæ. Item clarius adhuc 6°, si declaret doctrinam esse dogma fidei, vel dogma fidei Catholicæ, vel 7°, contineri in Scriptura aut verbo Dei. Item, ait CANUS, si declaret oppositum "esse Evangelio doctrinæve Apostolorum contrarium." Et merito; etsi enim doctrina esse possit indirecte contraria, per verba ista in definitionibus significatur eam esse directe et immediate contrariam.

99. III. Uno verbo definitio est de fide, quacumque forma verborum adhibita, si plane significet doctrinam esse revelatam vel oppositam esse hæreticam. Hinc, si in decreto dicatur doctrinam aliquam perpetuo in Ecclesia creditam fuisse, fidem esse omnium, a Patribus traditam fuisse, &c. eo ipso affirmatur eam esse revelatam, hæc enim nonnisi de revelatis affirmantur. Simili-

* Et postea, in Concilio Vaticano, Infallibilitas R. Pontificis. 1874.

ter dicendo doctrinam aliquam esse contra fidem Ecclesiæ, &c. dicitur eam esse hæreticam.

100. Quatuor regulas tradit CANUS (l. c.), quarum prima et ultima in jam traditis includuntur. Secunda et tertia hæ sunt:—"Altera nota est, cum in hanc formam Synodus decreta præscribit: Si quis hoc aut illud senserit, anathema sit: qualia permultæ sunt in Concilio Toletano primo et in Synodo Tridentina. Tertia est, si in eos, qui contradixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur." Quoad secundam regulam, etsi eam in fere omnibus casibus veram esse concedo, an vero rigorose universaliter valeat, judicium sapientium et eruditorum qui rem cogitato perpenderant habere vellem—auctores enim communissime quos præ manibus teneo CANUM sequuntur, vel ipsa ejus verba exscribendo vel sensum eorum forma contractiore exprimendo, ut SARDAGNA, n. 171; DENS, n. 89; SCHRAM, § 28; BOUVIER, pag. 385; SOGLIA, C. 1, § 11; &c. &c. Tertiam vero regulam, etsi plerique auctores (qui nempe de hoc argumento disserunt) cum CANO consentiunt, nullo quem vidi refragante (has quatuor regulas CANI "theologi et canonistæ summa consensione amplexi sunt," ait SOGLIA), nullomodo, saltem nisi interposita distinctione, admittere possum. In decretis et canonibus conciliorum generalium, plerumque forsan, nonnisi qui doctrinas hæreticas tenent excommunicatione ipso jure innodantur. Sed in decretis Pontificum, in quibus damnantur propositiones plures, etiam propositiones inter quas ne una quidem ut hæretica notatur, ipso facto excommunicantur qui eas vel aliquam ex iis docent et defendunt, &c.

101. Sed revera tanti non est momenti accurata ista in omnibus et exquisita secretio eorum quæ de fide sunt

ab aliis definitis. Peccat enim graviter qui cuicumque definitioni Ecclesiæ se opponit, vel qui quamcumque propositionem ab Ecclesia damnatam tenet, sive propositio damnata fuerit ut hæretica, sive sub quacumque alia censura theologica. Insuper, assensus qui dogmaticis Ecclesiæ definitionibus adhibetur, sive de fide sive aliis, ex gratia et virtute fidei provenit. Si ergo de aliqua definitione Ecclesiæ dubium rationaliter existat utrum sit de fide Catholica an alio modo certa, credatur simpliciter ut doctrina Catholica, et hoc sufficit. Paucissimæ autem sunt ejusmodi definitiones.

102. Quæ pure veritates Catholicæ sunt plerumque, ut supra n. 5 dictum est, modo negativo, contrariis erroribus damnatis, proponuntur. In Concilio Tridentino utroque modo doctrina Catholica statuitur et docetur; modo positivo et, ut videtur, magis directe ad ipsorum fidelium institutionem, in decretis quæ generatim in capita dividuntur; in canonibus modo negativo et directe ad errores oppositos indicandos et damnandos. "In capitibus continetur quid credendum, et in canonibus quid damnandum et non credendum," ait auctor anonymus (presbyter, ut puto, Nanciensis in Gallia) operis cui titulus "Elementa Theologiæ" (Paris. 1843), n. 107: quod et ipsum Concilium diserte declarat, Sess. 6, in fine decreti, verbis infra prolatis, n. 104. De decretis illis sequentia habet DENZINGER, in Præfatione operis valde utilis (etsi in quibusdam manci), cui titulus "Enchiridion Symbolorum et Definitionum," &c., pag. 9 :— "Expositiones canonum v. g. capitula Tridentini, parentheses, rationes additæ *ut plurimum* non cadunt sub definitionem, maximæ tamen sunt auctoritatis." Per parentheses, ut puto, significat obiter dicta; de quibus

et de rationibus additis, sive in capitulis sive in canonibus, vid. supra, n. 92, &c. Sed his et similibus prætermissis, censeo omnino veram et certam esse sententiam quæ affirmat Concilium Tridentinum, non tantum ut plurimum sed *semper*, quotiescunque in capitulis docet et doctrinam proponit, non minus decretorie et infallibiliter docere et definire quam in canonibus.

103. "Ea quæ tradit Concilium [Tridentinum] in capitibus esse fidem Catholicam necessario credendam, colligitur ex fine cujusque sessionis, antequam canones ponantur, præsertim vero id apparet in sessione 6: quare nullus hactenus prædicto modo ad testimonia Concilii et Innocentii respondere ausus est." VASQUEZ, in 1. 2. d. 200, n. 45. Similia habet in 3 partem, d. 207, n. 26, et alibi. "Docuit hoc [per hæresim omitti habitum fidei] expresse Tridentinum, sessione 6, capite 15, dicens: 'Asserendum est' &c. . . . . Dicunt vero aliqui hæc verba non facere certam fidem, quia postea in canonibus posuit Concilium illam partem negativam, quod 'fides non amittatur per omnia peccata;' non tamen partem affirmativam, quod 'fides amittatur per infidelitatem.' Sed hoc non multum refert, quia etiam doctrina capitum de fide tenenda est . . . . nihilominus tamen omitti potuit illa pars in canone 28, *quia illam non negabant hæretici, contra quos canones facti sunt.* Magis videtur obstare, quia Concilium non directe, sed quasi obiter et per parenthesim, illud docet; propter quod non dixi rem esse de fide." SUAREZ, de Fide, d. 7, S. 4, n. 3. "Doctrina etiam in illis capitibus [Tridentini] tradita non minus ad fidem pertinet, quam doctrina canonum." LUGO, de Fide, d. 17, n. 54.

104. Satis clara ad rem sunt verba professionis fidei

Pii IV. quæ profert Lugo, d. 1, n. 270:—"Cetera item *omnia* a sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo *tradita, definita et declarata* indubitanter recipio atque profiteor." Sed adhuc clariora et definitiora sunt testimonia ipsius Tridentini quæ memorat Vasquez (quod tamen dicit de declarationibus in fine *cujusque* sessionis, ante canones, non est rigorose verum, ut jam videbitur). Sic, in procœmio decreti et capitulorum de justificatione, Sess. 6, hæc habentur:—"Tridentina Synodus . . . . exponere intendit omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, &c. . . . . districtius inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare aut docere, quam præsenti *decreto* statuitur ac declaratur." Deinde sequitur decretum in 16 capita divisum, quibus absolutis, hæc statim adjunguntur:—"Post *hanc Catholicam* de justificatione doctrinam, *quam nisi quisque fideliter firmiterque receperit, justificari non poterit*, placuit sancta Synodo hos canones subjungere, ut omnes sciant non solum quid *tenere et sequi*, sed etiam quid *vitare et fugere* debeant." Ex his manifestum est Concilium non minus in decretis quam in canonibus definitive docere voluisse: imo in decretis *docet*, in canonibus *damnat*, ut supra dictum est, n. 102. Similia habentur in procœmio et fine capitum decreti, Sess. 13 et 14. In fine decreti hujus Sess. 14 hæc habentur:—"Hæc sunt, quæ de Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis sacramentis sancta hæc œcumenica Synodus profitetur et docet, atque omnibus Christi fidelibus *credenda et tenenda* proponit:" &c. Similia habentur Sess. 21, 22, 23. Notandum est in istis *solis* sessionibus hic memoratis dantur decreta cum canonibus subjunctis: et in omnibus et singulis his sessioni-

bus aperte declarat Concilium se definitive docere. Dixi "in istis solis;" in sessione enim 4 datur decretum de Scripturis Canonicis, anathemate subjuncto. In sess. 5 et 7 dantur canones absque ulla alia expositione doctrinali; fere idem dicendum est de sess. 24. In sess. 25 definitur doctrina de purgatorio: definitur etiam doctrina de invocatione Sanctorum, &c. et de indulgentiis; damnatis hæreticis qui contra sentiunt. In ceteris sessionibus, præter supra memoratas, nihil sive per decreta sive per canones definitur.

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

PARS TERTIA:

DE SUMMO PONTIFICE.

CAPUT SEPTIMUM DECIMUM.

DE PRIMATU S. PETRI.

1. De magnitudine et utilitate argumenti hujus tertiæ operis nostri partis egregie scripsit Bellarminus, in præfatione in libros de S. Pontifice, ex qua sequentia excerpimus:—"Quæstionis de Pontifice magnitudo atque utilitas ex duobus potissimum intelligetur: ex magnitudine rei, de qua agitur, quæque in dubium revocatur, et ex multitudine et contentione adversariorum. Etenim de qua re agitur, cum de primatu Pontificis agitur? Brevissime dicam, de summa rei Christianæ. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi et concidere? Quid enim aliud est quærere, an oporteat ab ædificio fundamentum removere, a grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput a corpore, quam an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sydera obscurari, corpus jacere?

"Porro adversarii, id est, hæretici, cum in aliis fere dogmatibus non minus inter se quam a nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut totis viribus summaque animi contentione Romani Pontificis sedem oppugnent. Nulli fuerunt unquam hostes Christi atque Ecclesiæ, qui simul cum hac sede bellum non gesserint."

2. Doctrina Catholica de primatu S. Petri et successorum ejus Romanorum Pontificum ex manifesta fide Ecclesiæ omnibus nota est. Insuper patet ex propositionibus positive definitis et ex propositionibus damnatis. Sufficit hic proferre definitionem Concilii Florentini, ad calcem Sess. 25 apposita (HARDOUIN, tom. 9, col. 423-4) :—

'Ορίζομεν την ἁγιαν αποστολικην καθεδραν, και τον Ρωμαϊκον αρχιερα εις πασαν την οικουμενην το πρωτειον κατεχειν, αυτον τε τον Ρωμαϊκον αρχιερα διαδοχον ειναι του μακαριου Πετρου του κορυφαιου των αποστολων, και αληθῆ τοποτηρητην του Χριστου, και πασης της εκκλησιᾶς κεφαλην, και παντων των Χριστιανων πατερα τε και διδασκαλον ὑπαρχειν, και αυτῳ εν τῳ μακαριῳ Πετρῳ του ποιμαινειν, και διϊθυνειν, και κυβερνᾶν την καθυλικην εκκλησιαν απο του Κυριου ἡμων Ιησου Χριστου πληρη εξουσιαν παραδεδοσθαι, καθ' ὁν τροπον και εν τοις πρακτικοις των οικουμενικων συνοδων και εν τοις ἱεροις κανοσι διαλαμβανεται. "Diffinimus sanctam Apostolicam sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur."*

3. Primatum non solúm jurisdictionis sed et honoris S.

* Sedente Concilio Vaticano, scriptum emisit infelix iste Dœllinger, in quo negabat hunc esse textum Concilii genuinum. Mendacia et cavilla-

Pontifici elargitus est Christus. Sed in hoc per se et seorsum demonstrando non est opus ut immoremur: ex primatu enim jurisdictionis tota ratio primatûs honoris exurgit, seu potius hæc in illo continetur. Qui supremam in omnes habet jurisdictionem eo ipso præ omnibus supremum tenet locum honoris et dignitatis; abdicata jurisdictione eo ipso abdicatur et dignitas.

4. Alios in hac materia, præter Novatores et Græcos, adversarios habemus debellandos. Prima classis eorum est qui, admittentes primatum S. Petri et successorum ejus, dixerunt jurisdictionem S. Pontificis e cœtu fidelium, cui eam immediate elargitus est Christus, in eum derivari. Ita Richeriani, Febroniani, Jansenistæ. Hæc sententia hæretica est, et ut talis damnata ab Ecclesia: Prop. 3, Constit. "Auctorem fidei." Altera classis eorum est qui Gallicani audiunt, quorum alii Gallicani parlamentarii vocantur, alii Gallicani theologici seu moderati. Illi puri Jansenistæ fuere; hi de institutione primatus divina immediata omnino recte sentiunt, et inter eos insignes extiterunt ejusdem institutionis defensores, quædam tamen tenuerunt de ipsius primatus natura, adhuc sane ab Ecclesia non expresse damnata,* sed prorsus futilia et falsa. Doctrinam Catholicam contra solos Protestantes in hoc capite firmabimus.

tiones, quibus id demonstrare conatus est, invicte dissipatæ sunt in periodico celeberrimo, cui nomen *Civilitas Catholica*. Versio Anglica hujus egregii commentarioli videatur in *The Vatican* (Londini, 1870), p. 141, &c., et in *The Dublin Review*, April, 1870, p. 521. &c. Hanc definitionem Florentinam innovavit suamque fecit idem Concilium Vaticanum, 1874.

* Nunc autem, a Concilio Vaticano omnia penitus extincta, ex Ecclesia in æternum ejecta. 1874.

SECTIO PRIMA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO. *Christus Constituit S. Petrum supremum totius Ecclesiæ Moderatorem et Caput.*

5. Nota 1°. Quoniam, ut jam dictum est, cum solis Protestantibus concertatio hic habetur, præstat propositionem ista forma generali enunciare: contra eos enim sufficit Petrum aliqo modo constitutum fuisse supremum totius Ecclesiæ rectorem et moderatorem, quicumque demum sit illius moderationis ambitus. 2°. Argumenta quæ ex Scriptura conficiuntur hic sola proferemus. Multa Patrum testimonia primatum S. Petri et ejusdem in successoribus perpetuitatem conjunctim vel diserte vel implicite affirmant. Omnes igitur textus Patrum in opere majori in Disputationem de Primatu Romani Pontificis reservantur. Eandem ordinationem in hoc compendio sequimur. Præter indicem autem titulorum, quibus et S. Petrus et R. Pontifex a Patribus insigniuntur, non possumus nisi particulas ex paucis quibusdam textibus proferre. Ipsi textus integri cum ceteris textibus et solutionibus objectionum in eadem Disputatione videantur.

6. Ex Matth. xvi. triplex eruitur argumentum:—"Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi: et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis. . . . Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dictis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædi-

ficabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis." Καγω δε σοι λεγω, ὁτι συ ει Πετρος, και επι ταυτῃ τῃ πετρᾳ οικοδομησω μου την εκκλησιαν· και πυλαι ἁδου ου κατισχυσουσιν αυτης. Και δωσω σοι τας κλεις της Βασιλειας των ουρανων· και ὁ εαν δησῃς επι της γης, εσται δεδεμενον εν τοις ουρανοις· και ὁ εαν λυσῃς επι της γης, εσται λελυμενον εν τοις ουρανοις.

7. ARGUMENTUM I. "Tu es Petrus: et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ inferi non prævalebunt adversus eam."

De hoc textu octo sequentes quæstiones moveri possunt, et omnes, aut fere omnes, nos inter et hodiernos Protestantes actu moventur.

1°. An *Petrus* et *petra* sint unum et idem?

2°. An per verba *Ecclesiam meam* significetur Ecclesia universalis?

3°. Utrum in locutione *adversus eam*, vocabulum *eam* significet Petrum, an Ecclesiam?

4°. Quid significetur per metaphoram, quæ existit in vocabulo *petra*, per se?

5°. Quid significetur per alteram partem metaphoræ, seu metaphoræ continuationem, *Ecclesiam super petram ædificandam esse?*

6°. Quid significetur per metaphoram quæ inest verbis *portæ inferi*, per se?

7°. Quid significaverit Christus dicendo *portas inferi non esse prævalituras adversus Ecclesiam?*

8°. Qui sint illi hostes qui hic vocantur *portæ inferi?*

Istæ quæstiones, in opere majori latius enucleatæ (D.

6, n. 125, &c. D. 18, n. 11, &c.), in hoc compendio brevius explicandæ sunt.

8. *Prima* quæstio: An *Petrus* et *petra* idem sonent, idemque objectum significent? Negativa haud paucorum Protestantium responsio non leve argumentum est vis demonstrationis Catholicæ, quæ ex hoc textu construitur. Fere omnes graves auctores Protestantici recentiores respondent cum Catholicis affirmative; et quidam illorum ingenue fatentur veteres Protestantes in sententiam negativam ivisse, non quia eam veram esse putarent, sed ut argumentum Catholicorum facilius et securius declinarent: vid. D. 18, n. 16 et 148. Porro responsio affirmativa argumentis invictis directis et indirectis (seu quibus interpretationes oppositæ evertuntur) demonstratur. Unum tantum et alterum argumentum directum hic dabimus.

9. Petra seu saxum Hebraice est כֵּיפָא *Kepha*. Quoniam Christus lingua Hebraica, seu potius dialecto hujus linguæ (Chaldaica vel Syro-Chaldaica) qua tunc usi sunt Judæi, locutus est, sine dubio idem verbum, *Kepha*, in utroque inciso adhibuit:—"Tu es Kepha et super hoc Kepha," &c. Hoc confirmatur ex verbis Christi cum primùm ad eum adductus fuit Petrus:—"Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus:" *συ κληθηση Κηφας· ὁ ἑρμενευεται Πετρος*: Joan. i. 42. Planum est, quando idem nomen in duobus incisis immediate conjunctis adhibetur, idem objectum (rem vel personam) in utroque inciso significari—nisi aliquid adjectum fuerit, quo indicetur diversa objecta significari. Ita fert usus universalis.

10. Satis autem aperta est ratio ob quam interpres Græcus vocabulis diversi generis usus est. In primo enim inciso masculinum adhibet genus, quia mos non erat apud

Græcos ut viri nominibus feminini generis appellarentur: in secundo vero inciso feminino utitur genere, quia etsi πετρος aliquando usurpetur ad significandum *saxum* (ut alii contra alios volunt: vid. PARKHURST, in voc. κηφας, BLOOMFIELD, in loc.), hic tamen usus rarissimus est (eum LIDDELL videtur omnino negare: —"πετρος *a piece of a rock, a stone,* and thus distinguished from πετρα"), et in universa Scriptura ne unum quidem est exemplum; dum usus vocabuli πετρα ad saxum significandum valde communis est; Exod. xvii. 6; xxxiii. 21, 22; Num. xxii. 8, 10, et alibi sæpius in Vet. Testamento; in Novo autem, Matth. vii, 24, 25; xxvii. 51, 60, &c.

11. Non dicitur "Tu es Petrus, et super petram," sed "super *hanc* petram," επι ταυτη τη πετρᾳ (quod Anglice reddi potest, "Thou art Rock, and on this very Rock"). Secundum usum loquendi universalem, pronomen istud demonstrativum ad subjectum immediate antecedens referri debet—nisi forsan alia relatio in textu plane significetur; quæ tamen in textu nostro nullo modo significatur vel insinuatur.

12. Ad *secundam* quæstionem responsio affirmativa omnium est, et manifesta: vid. c. 10, n. 44.

13. *Tertia* quæstio: Utrum, in locutione *adversus eam*, vocabulum *eam* referendum sit ad *Ecclesiam* an ad *Petram?* Resp. 1°. Nostra nihili interest utrum Petra an Ecclesia pro antecedenti habeatur; in utroque enim casu, ut ex infra dicendis constabit, idem est sensus dogmaticus. 2°. Omnes auctores, ait MALDONATUS, tenent vocabulum "eam" esse ad "Ecclesiam" referendum, excepto Origine et Chrysostomo, qui etsi putent ad "petram" referri posse, probabilius tamen censent ad "Ecclesiam" referri debere. Fere omnes interpretes insigniores, ait BLOOMFIELD, re-

ferunt "eam" ad "Ecclesiam"—per interpretes significans, ut puto, more suo, interpretes Protestanticos, aut eos maxime.

14. *Quarta* quæstio: Quid significetur per metaphoram quæ existit in vocabulo *petra* per se? Resp. Prius notandum est tres esse regulas metaphoræ generales. 1°. Quotiescunque aliquis vocatur nomine alicujus rei, v. g. petræ, ita vocatur ob aliquam quæ ei inest qualitatem, in qua similis est petræ, et ob quam similitudinem Petra vocatur. Metaphora enim, ut norunt omnes, nihil aliud est quam similitudo tacita seu implicita. 2°. Hæc qualitas debet esse insignis in re cujus nomine aliquis vocatur; qualitas esse debet, qua, vel ex natura sua vel ex usu et conceptu hominum vel ex utroque, ista res ab aliis ejusdem generis distinguatur. 3°. In hac qualitate solâ, aut forsan numero qualitatum, comparatio fit. In ceteris qualitatibus maxima intercedere potest disparitas inter duos terminos comparationis.

Hæ tres regulæ communes sunt omnibus metaphoris, certæ, claræ et ab omnibus receptæ. Sic, si aliquis vocetur *vulpes*, per hoc significatur eum esse valde callidum et vafrum: vulpes enim insignis est vafritiæ, aut saltem ut talis apud omnes habetur. Eodem modo si aliquis vocetur *leo*, intelligitur esse insignis fortitudinis; si *asinus*, insignis stoliditatis; si *Angelus*, insignis sanctitatis; si *diabolus*, insignis impietatis; &c., &c. In omnibus his exemplis et aliis quæcunque afferri possent, tres datæ regulæ verificantur. Nuuc ad quæstionem—

15. De metaphora petræ, in se spectatæ, sequentia noto. 1°. Petra typus est roboris, soliditatis, firmitatis.* Hinc

* Notandum est, Matth. xvi. 18, exhiberi imaginem ædificii constructi super petram, non quasi infimam seriem lapidum seu initia ædi-

non ob quasvis qualitates (positis etiam ceteris jam enumerandis conditionibus 3°, et 4°,) aliquis vocaretur Petra, sed ob eas tantum quæ vires et robur aut corporis aut animi, vel quoad voluntatem vel quoad intellectum vel quoad utrumque, manifestant, qualis est fortitudo, sapientia, &c. 2°. Imo qualitates præ se ferre debent aliquam notam gravitatis, excellentiæ et præstantiæ, quæ observantiam et admirationem hominum conciliaret. Hinc nemo vocaretur Petra, quia optimus esset violinista, cantor, coquus, hortulanus, histrio, mimus, pugil, &c.; omnes enim illæ dotes vel deficiunt in dignitate, vel secum ferunt non ideam roboris, sed tantum agilitatis, subtilitatis mentis, &c. 3°. Nec etiam ob aliquam qualitatem seu dotem, quæcunque sit, vocaretur aliquis, saltem simpliciter et absolute, Petra, nisi hæc qualitas permanens esset, et ille eam, datis occasionibus, semper, et generatim egregie, manifestaret. Hinc, si quis, etsi centies se fortiter et impavide gessisset, etiam semel tamen se ignave gereret, non vocaretur Petra quoad fortitudinem. Sic, qui etiam semel, aut saltem semel et iterum, in aliquo munere gerendo, stulte,

ficii quibus muri reponuntur et ex quibus exurgunt, sed *solum*, *sedem*, *crepidinem in qua totum ædificium construitur*. Hinc male quidam interpretantur *petram* per *lapidem fundamentalem* (Anglice "a foundation-stone"), nisi tantæ magnitudinis esse intelligatur, ut tota civitas seu arx in ea construeretur; et tunc non esset *lapis* sed *petra*, *rupes*. Etiam vox *fundamentum* loco *petræ*, pravæ interpretationi valde obnoxia est, nisi 1°, intelligatur sensu dato *soli*, *sedis*, *crepidinis*, et nisi 2°, (quod cautissime notandum est) addatur vel supponatur fundamentum *firmum et firmans*, fundamentum *petreum*. Vox enim *fundamentum* per se abstrahit a firmitate vel infirmitate, et potest esse infirmum (ut in casu stulti ædificatoris, Matth. vii. 26), quod, ut ex dictis constat, non potest affirmari de fundamento *petra*.

etsi alias semper sapientissime, ageret, non vocaretur Petra quoad sapientiam. 4°. Nec, etiam si qualitas sit permanens et ex iis quæ secum ferunt ideam roboris et gravitatis, nisi aliquis eam gradu eximio habeat et manifestet, non vocaretur quoad illam Petra. Hinc qui fortis est aut sapiens, sicut alii homines fortes aut sapientes, non vocaretur Petra quoad hæc.

16. Ex his concludo ut aliquis jure vocaretur Petra ob aliquam qualitatem seu dotem, quatuor requiri. Qualitas 1°, debet secum ferre ideam roboris; et 2°, dignitatis; 3°. debet esse permanens; 4°, debet haberi in gradu eminenti. Hinc, si aliquis vocetur Petra quoad fortitudinem, mores, scientiam, &c. (ut Anglice dicimus, "a rock of wisdom, a rock of sense," &c.), quoniam hæ sunt ex iis qualitatibus in quibus prima et secunda ex conditionibus commemoratis inveniuntur, statim intelligitur, quoad *fortitudinem*, quod se semper talem exhibuerit qui nullo malo deterreri, nullo metu superari, potest; quoad *mores*, quod in virtute firmus sit, quod nulla tentatione, nullis incursibus vel illecebris aut diaboli aut mundi aut carnis, in malum inclinabitur; quoad *scientiam*, quod sit doctissimus, quod scientia valeat lata, profunda, accurata.

17. *Quinta* quæstio: Quid significetur altera parte metaphoræ, *Ecclesiam super petram ædificandam esse?* Resp. De metaphora petræ relate ad ædificium in ea constructum, sequentia noto. 1°. Nomen petræ, in isto casu, ingerit ideam non tantum roboris sed et *roborantis, firmantis:* petra non tantum petra est, sed *petra firmamentum* (Anglice, "a rock-support"). Duo ergo clare et emphatice hac metaphora significantur, nempe, ædificium petræ superstructum firmum esse, *et* firmum esse *quia* petræ superstructum. Certa sunt hæc et manifesta. Sic,

si de domo Joannis—idem est de quovis alio ædificio—dicam, "Domus Joannis super sedem firmam ædificatur, super petram ædificatur," statim ab omnibus intelligor significare velle domum Joannis esse firmam et a ruina securam, et firmam et securam esse *quia* sede tam solida construitur. E contrario, si dicam, "Domus Joannis ædificatur super fundamentum infirmum, super solum tenue et solutum," significo et domum instabilem esse, et instabilem esse *quia* super sedem tam infirmam ædificatur.

18. 2°. Iterum dicendo ædificium super sedem firmam construi, dico illud non tantum a casu, sed etiam a scissura, securum esse. Muri ejus non tantum in ruinam non delabentur, sed non scindentur; non tantum stabunt, sed stabunt sibi cohærentes, uniti, et uniti *quia* super tale fundamentum constructi. In ipsa idea firmitatis ædificii includitur idea cohærentiæ partium ejus. Ita omnes intelligunt: ædificium est firmum, *ergo* est indivisum. Si scissuris obnoxium esset, non firmum vocari debet, sed instabilitatis typus conspicuus.

19. 3°. Insuper, firmitas aut instabilitas ædificii cujusvis significatur, designando facultatem ædificatorum, an fuerint boni necne. Si dicam, "Domus Joannis a peritissimo et sapientissimo artifice constructa est," omnes me statim intelligunt affirmare velle domum esse optime ædificatam et firmissimam. Si, e contrario, domum illam a quodam artifice imperito et rudi ædificatam fuisse dicam, plane significo domum esse male ædificatam. Quis est autem qui hoc ædificium construxit? Christus Deus—"*ædificabo* Ecclesiam meam."

20. 4°. Præterea, firmitas ædificii significatur, si illud firmum esse affirmetur ab aliquo, in tali re, judice optimo:

quod hic ab eodem Christo Deo duplici modo affirmatur, dicendo hoc ædificium esse *super petram* extruendum, n. 17, 18; *et* dicendo portas inferi adversus eam non esse prævalituras. Etenim—

21. 5°. Ultimo, non aliis verbis fortioribus, non alia imagine clariori, depingi potest firmitas et soliditas ædificii, quam dicendo hostes potentissimos et infensissimos illud demoliri, sed conatu prorsus irrito, eniti; quod hic de Ecclesia affirmat Christus. Sed hoc ad sequentes quæstiones pertinet.

22. *Sexta* quæstio: Quid significetur per metaphoram quæ inest verbis *portæ inferi*, per se? I. Per *portas* non significantur portæ solæ, sed, per synecdochen, tota civitas vel arx. Tropus hic apud antiquos multo significantior et usitatior erat quam apud nos. Hinc "portas possideri, firmari, everti," &c., idem sonabat ac "civitatem universam possideri, firmari, everti," &c.:—"Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum:" Genes. xxii. 17; "Possideat semen tuum portas inimicorum suorum:" Ibid. xxiv. 60; "Portas hostium ipse [Dominus] subvertit:" Judic. v. 8; et similiter alibi sæpius.

23. II. Per *portas inferi* (quicquid per *inferum* sensu literali significetur, de quo vid. D. 6, n. 144) significatur Ecclesiæ hostis, seu potius hostium cœtus ille magnus, potentissimus, infensissimus et implacabilis, qui contra eam odio accensus summo bellum gerit æternum et inexpiabile. Et hæc significat hic textus: quis vero sit ille hostium cœtus non in hoc textu, sed in aliis plurimis Scripturæ locis, significatur; prout infra, n. 29, &c., videbitur.

24. 1°. Hostis est potentissimus. Probatur ex ipso nomine *inferi*. Sive enim literaliter significet *sepulchrum*,

sive *receptaculum animarum mortuorum,* sive *infernum damnatorum,* singula horum, etiam secundum usum loquendi vulgarem et universalem, ideam connotant vis cujusdam valde magnæ, imo horrendæ, tremendæ, inexorabilis. "Ab inimicis meis salvus ero. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes Belial terruerunt me. Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis: 2 Reg. xxii. 4–6. "Deglutiamus eum sicut infernus viventem, et integrum quasi descendentem in lacum :" Prov. i. 12. "Infernus et perditio nunquam implentur :" Ibid. xxvii. 20. Similiter in aliis multis locis; Cant. viii. 6; Isai. v. 14; Hebr. ii. 14, 15; Apoc. vi. 8; xx. 14; &c. &c.

25. 2°. Hostis ille malignissimus et infensissimus est. Quod probatur ex fine quem sibi adversus Ecclesiam assequendum proponit. Exhibetur enim ut eam totam demoliri et penitus destruere contendens: est ergo ei infensissimus. Probatur etiam ex natura et qualitate Ecclesiæ quam impetit. Ecclesiæ enim sanctæ Dei—quæ regnum, templum, corpus, sponsa ejus dilectissima est—nemo adversarius esse potest, nisi qui spiritu perquam diabolico impletur et agitur; qui ergo summe malignus est infensus est.

26. *Septima* quæstio: Quid significavit Christus dicendo *portas inferi adversus Ecclesiam non esse prævaliturasʔ* Resp. Significatur portas inferi non esse Ecclesiam victuras: et hunc sensum sic simpliciter et nude prolatum nemo, ut puto, adversariorum ausus est aperte negare. Sed propter quorundam evasiones, verba textus penitius scrutavimus, D. 6, n. 150, &c.

27. Præfata expositio metaphoræ petræ ut significantis quoddam in se firmissimum, et quæcunque in ea re-

posita sunt securissime firmantis, ex multis locis cripturæ demonstratur.

Celebris est locus Matth. vii. 24–27, qui tam clarus et textui Matth. xvi. 18 tam consentaneus est, ut clarior et gravior nostræ expositionis confirmatio vix concipi possit:—"Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam: et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna."

Videmus hic quomodo firmitas domûs eximia per varias circumstantias magis magisque declaretur. 1°. Vir enim erat sapiens; et 2°, ideo sedem elegit suæ domui ædificandæ firmissimam ["super hanc petram"], domumquæ suam ei superædificavit ["ædificabo Ecclesiam meam"]; et 3°, etsi pluviarum, fluminum, ventorum ["portæ inferi"] vis maxima in eam furentur ingruat, firma tamen manet ["non prævalebunt adversus eam"]; et 4°, firma manet *quia* ædificata est super *petram*:—"fundata *enim* erat super *petram*." Quæ omnia, si fieri posset, in luce adhuc clariori ponuntur exemplo opposito viri stulti qui domum suam in sede infirma ædificavit, unde cum magna ruina cecidit. Sed hunc textum tam clarum ulterius explicare esset tantum diluendo extenuare.

28. Alii sunt textus multi, in quibus eadem metaphora petræ invenitur, eandemque magis minusve diserte

et plene sed clare ingerens ideam, nempe, firmitatis in se, et firmantis id quod in ea tanquam statumine reponitur.

"Dominus petra mea, et robur meum, et salvator meus. Deus fortis meus, sperabo in eum: scutum meum, et cornu salutis meæ: elevator meus, et refugium meum: salvator meus, de iniquitate liberabis me. Laudabilem invocabo Dominum: et ab inimicis meis salvus ero:" 2 Reg. xxii. 2–4: vid. n. 147.

"Ad te, Domine, clamabo; Deus meus [*Hebr.* petra mea: *Hieron.* fortis meus]:" Psalm. xxvii. 1; similiter et Psalm. xvii. 1, 2:—"Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. Deus meus adjutor meus [*Hebr.* petra mea]." Similiter et alibi in psalmis; xxvi. 3, 5, 6; xxxix. 2, 3; lx. 3, 4.

De Davide sermo est in omnibus illis textibus. De seipso in illis plane dicit 1°, se fuisse ab hostibus inimicissimis petitum, et 2°, a Deo in petra constitutum; quo 3°, ut ex ipsis verbis allatis nimis evidens est, significat se ab illis hostibus jam omnino securum esse.

29. *Octava* quæstio: Qui sunt hostes illi qui vocantur *portæ inferi?* Resp. Etsi textus ipse diserte non doceat qui sint illi hostes, facile tamen et certo ex aliis locis innumeris colligitur. Hostes enim Ecclesiæ ii sunt omnes qui membra ejus in peccatum et ruinam æternam ducere, eam lædere, vexare, coarctare, penitus demoliri conantur. Qui autem hi sunt in singulis fere paginis docet Scriptura. Celebris est locus S. Pauli ad Ephesios, vi. 11-17, ubi describens luctam inter membra Ecclesiæ et hostes, et adhortans fideles ad bonum certamen certandum, ad vividius depingendum certamen istud quomodo certari debet, imagines plures, et omnes a re militari translatas, congerit.

30. Hostes Ecclesiæ sunt diabolus et quicunque sub eo sunt, et per quos operatur : media autem seu arma quibus hostes illi adversus Ecclesiam utuntur, varia et multa sunt, quæcunque scilicet ad ruinam animarum et Ecclesiæ adhiberi possunt. Et 1° hostis principalis et ceterorum quasi dux et instigator *diabolus* est, qui in Scriptura varie vocatur, satan, homicida, pater mendacii, antiquus serpens, draco, &c. :—" Bonum vero semen, hi sunt filii regni : zizania autem sunt filii nequam ; inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus:" Matth. xiii. 38, 39. " Ecce, satanas expetivit vos, ut cribaret sicut triticum :" Luc. xxii. 31. " Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret:" 1 Pet. v. 8. vid. et Apoc. xii. 9 ; Hebr. ii. 14 ; 2 Cor. ii. 11 ; 1 Thess. ii. 18.

31. 2° Hostis est *mundus*. Matth. xviii. 7 ; Joan. xv. 18 ; 1 Joan. ii. 15 ; iii. 13 ; v. 4. 3° Hostis est *caro*. Rom. viii. 7, 8 ; Galat. v. 17 ; 2 Cor. x. 3 ; xii. 7. Sub aliquo horum trium vel omnibus simul, tanquam eorum ministri seu ab iis acti collocari possunt tres sequentes hostes. 4°, 5°, 6°, Hostes sunt *doctores hæretici*, sive sint ipsi hæresiarchæ sive hæresiarcharum discipuli ; *schismatici ; persecutores*, qui calumniis, legibus iniquis, &c., Ecclesiam denigrare et extinguere conantur. Act. xx. 29, 30 ; Philipp. iii. 2 ; Coloss. ii. 8 ; 2 Tim. ii. 16, 19 ; 1 Cor. i. 10 ; Jacob. iii. 16 ; Matth. v. 11 ; x. 17, 18 ; Joan. xv. 20, &c., &c.

32. Plures Patrum textus hanc expositionem firmantes videantur in opere majori, D. 6, n. 165. Videantur ibidem, n. 166, testimonia quædam doctorum Protestanticorum.

33. His ita positis, sic construitur argumentum nostrum. Petrus a Deo constitutus est (hic per promissum postea in-

fallibiliter solvendum), et solus constitutus est, ut Ecclesiam universam contra omnes quoscunque hostes, contra omnia quæcumque eorum molimina, securam et invictam servaret. Qui ita constituitur, eo ipso et quasi vi terminorum, supremus constituitur totius Ecclesiæ rector et caput. Ergo, &c.

34. Probatur propositio prima. 1°. Petrus est petra. Petram vero a Christo constitutam fuisse ex qua Ecclesia dictam firmitatem et securitatem haberet, jam demonstratum est, n. 14, &c. 2°. Petrum *solum* ita constitutum fuisse patet ex eo quod sermo Christi hic ad Petrum definite solum habetur; et ex eo quod munus hic Petro soli delatum alii vel aliis unquam mandatum fuisse, nusquam legitur vel insinuatur.

35. Probatur propositio secunda. Christus munus illud defendendi tutamque faciendi Ecclesiam contra omnia pericula, sive ab intra sive ab extra, Petro assignans, eo ipso omnia ei contulit quæ ad finem hunc assequendum necessaria sunt, tum ex natura rei tum ex revelatis in Scriptura. Atqui ad finem illum assequendum, necessarium erat, tum ex natura rei tum ex revelatis, ut Petrus totius Ecclesiæ rector esset supremus. Major propositio per se manifesta est.

36. Probatur minor propositio. 1°. Id ex natura rei necessarium est. Non enim potest societatem securam facere nisi qui universalem in ea jurisdictionem habet. Hoc adeo verum et apertum est, ut auctores passim, sive Catholici sive Protestantici, pro principio fundamentali tenent proximum finem et rationem primariam institutionis supremæ potestatis in societate civili esse ipsius societatis membrorumque ejus, in personis et bonis eorum, præsidium et incolumitatem. Idem finis eadem ratio est magistratuum

inferiorum in societatibus imperfectis quæ in societate perfecta continentur. Qui in societate civili constituitur ad eam contra incursus hostiles, contra omnia pericula interna et externa, defendendam, eo ipso constituitur cum auctoritate res et membra societatis quantum opus est inspiciendi et cognoscendi; has et illas leges, ordinationes, munia statuendi; his et illis muneribus idoneos præficiendi, præmiis et pœnis afficiendi; &c. &c., ut ubique in societatibus civilibus fit—sive potestas suprema in rege solo sita sit, sive in comitiis regni solis, sive in utrisque conjunctim. Si idea defensoris et tutoris societatis civilis necessario implicat ideam auctoritatis, et vice versa, quanto magis in Ecclesia? Proprium enim Ecclesiæ est ut 1°, oppugnetur ab hostibus omnigenis, visibilibus et invisibilibus, 2°, hisque infensissimis, potentissimis, callidissimis (supra, n.24, 25, 29, &c.); 3°, ut perpetuo et sine ulla cessatione usque in finem mundi impugnetur; 4°, et in omni loco et in omnibus membris suis. Munus sane quo auctus est Petrus ejusmodi societatem non solum defendendi, sed securam et illæsam conservandi, vel magnam quamdam secum fert et universalem et supremam auctoritatem, vel vanum est fallaxque sine re nomen.

37. 2°. Probatur ex S. Scriptura ea indicante in quibus defendendis defenditur Ecclesia, et modum indicante in quo defensio hæc exercenda est. Illa autem duo sunt præcipue, et ad quæ cetera ordinantur, nempe, fides et sanctitas morum. Fides pura, integra, firma magnum est illud principium vitæ et vigoris Ecclesiæ, quâ servatâ vincit mundum (1 Joan. v. 4); quâ depravatâ prona jaceret, a portis inferi vinceretur et extingueretur. In defendenda et tutanda fide, ubicumque periclitetur, maxime defenditur et tutatur Ecclesia. Quomodo autem in Scriptura ex-

hibetur fides defendenda? Docendo, denuntiando, tradendo satanæ adversarios fidei, præcipiendo, exhortando, instando opportune et importune, arguendo cum imperio, obsecrando, increpando etiam dure, vigilando, redarguendo, attendendo gregi, &c. (Matth. xxviii. 19; 1 Tim. i. 3, 20; iv. 11; vi. 2; 2 Tim. iv. 2, 5; Tit. i. 9, 11, 13; ii. 15; Act. xx. 28). Similibus modis munitur et excolitur puritas morum in fidelibus, et scandala præcaventur et exstirpantur. Opus non est textus exscribere vel indicare: patet enim ex Apostolorum Actibus et Epistolis vel leviter inspectis, ubique exerceri varia officia pastoralia docendi, invigilandi, has et illas ordinationes statuendi, &c. ad fidem moresque conservandos, uno verbo, ad Ecclesiam contra portas inferi defendendam et conservandam. Petrus ergo electus ad universam Ecclesiam contra easdem portas inferi securam custodiendam, eam iis mediis custodire debuit quæ, ab ipso Deo constituta, ubique in Ecclesia exercita sunt, et ergo hoc ipso universæ Ecclesiæ creatus est Pastor et Episcopus.

38. Argumentum II. "Et tibi dabo claves regni cœlorum" Per "regnum cœlorum" hic significari eandem Ecclesiam cujus mentio fit in verbis præcedentibus communissime auctores Protestantici concedunt, Schleusner, in voc. Rosenmuller, Kuinoel, Bloomfield, Alford, Whitby, &c. Rose apud Parkhurst, in vocem, hanc interpretationem dubiam esse censet. Robinson per regnum cœlorum intelligit Ecclesiam triumphantem ("[the Church] as perfected in the future world"). Sed absurda est hæc sententia, solaque Catholica admittenda est. 1°. Petrus, ut jam probabitur, jurisdictionem hic promissam accepit in regno cœlorum exercendam. Sed non accepit jurisdictionem in Ecclesia triumphanti exercendam. 2°. In prima

promissione (seu in prima parte promissionis) sermo est de Ecclesia militanti, ut omnes concedunt et ex dictis patet; similiter potestas solvendi et ligandi, de qua in tertia promissione sermo est, exercetur in terra seu in Ecclesia militanti; ergo promissæ sunt claves pro eadem Ecclesia. Alioquin transitus esset, absque ulla ejusdem significatione, ab Ecclesia militante ad Ecclesiam triumphantem et statim ab hac ad illam: qui modus loquendi ad minus valde durus esset.

39. Sicut per metaphoram petræ Ecclesiam munientis significatur suprema potestas implicite, ita per metaphoram clavium significatur eadem potestas explicite et diserte. Possessio vel traditio clavium alicujus loci (domus, civitatis, &c.) apud antiquos, præsertim orientales, symbolum erat possessionis vel traditionis potestatis—et si claves uni soli traditæ sint et ab eo habeantur, potestatis supremæ—in illum locum.* Vid. WISEMAN, "Lectures on the principal doctrines, &c." vol. 1, pag. 271. Usus Scripturæ clarus est. Præter enim hunc locum, vocabulum *clavis*,

* "In the East the Key is a symbol of power or authority, with special reference to palaces, treasures, stores, &c. It resembles a sickle with a long handle; and the crooked part is so formed as to allow of its being suspended on the shoulder or round the neck. That it actually formed part of the insignia of office, and that the language is not to be taken figuratively, is unquestionable. Among the Greeks it was worn as a badge of sacerdotal dignity." HENDERSON, in Isai. xxii. Vid. PARKHURST in voc.

"The notions of *trust* and *power* [sic], of which Keys were a symbol." BLOOMFIELD, in Matth. xvi.

"*Clavis* symbolum erat curæ et administrationis, etiam summæ rerum potestatis . . . Itaque verba nostra hoc sibi volunt: committam tibi curam civitatis meæ [regni mei, infra, n. 41], summam rerum in Ecclesia mea." KUINOEL, ibid.

κλεις, sexies in ea metaphorice usurpatur, et in singulis istis locis auctoritatem sonat: Isai. xxii. 22; Luc. xi. 52; Apoc. i. 18; iii. 7; ix. 1; xx. 1. De his vid. D. 18, n. 28, &c.

40. Etsi usus communis symbolorum longe magis apud antiquos, præsertim orientales, quam apud nos invaluit, non desunt tamen etiam hodie vestigia quædam definita et aperta usûs clavium ut symboli auctoritatis. 1°. Qui olim portas civitatis tenebat ipsam civitatem tenebat (supra, n. 22); et claves civitatis habere idem erat ac ipsi civitati præesse. Hinc, etsi per plura secula portis non muniuntur civitates, manet mos antiquus regi civitatem solemniter ingredienti claves, ut symbolum supremæ potestatis ejus, tradendi. 2°. Arcis obsessæ deditio clavium traditione perficitur. 3° Qui domum tenet conductam dominium usus nonnisi traditione clavium perfecte cedit. 4°. Similiter vendens domum nonnisi traditione clavium consummat et perficit traditionem dominii proprietatis: &c.

41. Sicut in prima parte promissionis Petrus constituendus erat imperator, seu dux, exercitus Ecclesiæ, ad eam, ut arcem seu urbem, contra omnium hostium incursus defendendam; ita hic constituitur (loqui possumus de promissione divina tanquam de facto) monarcha totius Ecclesiæ, ad eam auprema auctoritate moderandam. Ex dictis enim qui claves tenet alicujus loci solus, eo ipso supremam in illum locum jurisdictionem habet, n. 39—supremam dico secundum limites, si qui tales apponantur, vel in ipsa concessione vel alibi appositos. Sed hic accepit Petrus claves Ecclesiæ ut *regni*—"claves regni cœlorum." Præest ergo toti Ecclesiæ ut rex regno suo.

42. ARGUMENTUM III. "Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis."

43. Utrum metaphora hæc ligandi et solvendi nihil aliud sit quam metaphora clavium continuata et explicata, an vero metaphora nova et omnino alia a metaphora clavium, inter auctores sive Catholicos sive Protestanticos non convenit. Catholicorum quos vidi plerique vel prætermittunt hanc quæstionem, vel de ea obscure loquuntur. Inter Protestantes pro diversitate metaphorarum stant BLOOMFIELD, ALFORD, KUINOEL. Argumenta quibus hæc sententia firmatur vid. D. 18, n. 38, &c.

44. Hoc posito, duo sunt inquirenda, nempe, qualis sit hæc potestas ligandi et solvendi, et quanta sit seu quousque sese extendat? Sed quoniam secundæ quæstionis solutio haud parum ad primam solvendam conducit, illam prius excutiemus.

45. I. Quousque se extendit potestas hic Petro assignata? Respondeo eam universalem esse quoad locum et quoad omnes res et personas, quæ potestati ecclesiasticæ subesse possunt. Hæc ultima verba addo, quia, ut aliunde novimus, res pure temporales et personæ non baptizatæ Ecclesiæ non subjiciuntur. 1°. Potestas est universalis quoad locum, i. e., universus orbis terrarum huic subjicitur potestati, ita ut in omni loco totius mundi exerceri possit:—"Quodcumque ligaveris super *terram*, erit ligatum et in *cœlis*;" &c. Quotiescumque in Scriptura mentio fit terræ et cœli vel cœlorum in eodem textu, simpliciter et absque ulla qualificatione apposita, semper significatur non pars terræ sed universa terra. Plures textus indicantur, D 18, n. 45.

46. 2°. Potestas est universalis quoad res:—"*Quodcumque* ligaveris." Vocabulum universale est: nulla ei in textu apponitur restrictio, nulla insinuatur.

47. 3°. Universalis est potestas quoad personas. (a) Potestas enim spiritualis res et locos, ut sic, non respicit, sed relate ad homines qui rebus utuntur et locos habitant.

Tantùm in gratiam hominum datur: si ergo universalis est quoad locos et res, pronum est concludere eam esse universalem quoad personas. Sic, cum Christus Apostolis dixit (Act i. 8), "Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judea, et Samaria, et usque ad ultimum terræ," non significavit testimonium ipsis locis perhibendum esse sed hominibus eos habitantibus. (b) Non solum indirecte et implicite homines hic significantur, sed etiam directe et diserte significari possunt. Tantum enim abest ut obstet vocabulum *quodcumque* neutrius generis, ut e contrario usui Scripturæ omnino consonum sit adhibere vocabula neutrius generis ad homines designandos, præsertim quando idea universalitatis menti expressius ingerenda est: Matth. xviii. 11; Joan. iii. 5–7; vi. 37–40; xvii. 2, 9, 10.

48. II. Qualis est hæc potestas ligandi et solvendi? Respondeo per eam significari plenitudinem jurisdictionis sacræ, quoad omnes suas species, perfectam et supremam. Omnes concedunt aliquam hic Petro assignari potestatem, et quidem gravem, quod per se ex verbis manifestum est: potestas enim omnes, omnia, ubique ligandi, cujus exercitium ab ipso Deo ratum haberetur, vera sane potestas est. Jamvero si potestas hic data est, permagna et immensa data est; alioquin in verbis Christi anticlimax esset eo prorsus indigna. Sermonem ejus ad Petrum hic (vel alius quoad rem similis) sensus unice compositum et concinnum reddit:—"Te Petrum Ecclesiæ meæ propugnatorem creo invictum, ut eam contra omnia adversantia securam facias: imo te regia majestate et auctoritate augeo, ut ei, tanquam rex regno suo, præsis eamque modereris: uno denique verbo, omni quam a Patre tradendam accepi auctoritate te cumulo, ut eam jure meo divino per universum mundum in omnes et quoad omnia exerceas." Si, post

duo prima promissa, tertium promissum aliquid jam dicto minus sonaret, anticlimax esset manifesta. Alia de hoc vid. D. 18, n. 47–51.

49. ARGUMENTUM IV. "Facta est autem contentio inter eos [Apostolos], quis eorum videretur esse major. Dixit [Christus] autem eis: Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor . . . Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce, satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos." Ειπε δε ὁ Κυριος· Σιμων, Σιμων, ιδου, ὁ σατανας εζητησατο ὑμας, του σινιασαι ὡς τον σιτον· εγω δε εδεηθην περι σου, ἱνα μη εκλειπῃ ἡ πιστις σου· και συ ποτε επιστρεψας στηριξον τους αδελφους σου: Luc. xxii. 24–26, 31, 32,

50. Forma argumenti eadem est ac data, n. 33. Qui a Deo constituitur, solusque constituitur, ad securos et invictos conservandos Apostolos totamque Ecclesiam, contra omnes hostes, eosque potentissimos, sævissimos, perpetuo impugnantes, eo ipso Apostolorum totiusque Ecclesiæ rector et pastor supremus constituitur. Atqui ita his verbis Christi constitutus est Petrus. Ergo.

51. Major propositio jam probata est, n. 35–37. Minor probatur. I. Sicut portæ inferi (Matth. xvi.), per synecdochen communem, significant ipsum infernum cum suis totis viribus et potestatibus (n. 22, &c.); ita et hic per satanam, principem inferni, secundum similiter communem tropicum loquendi modum (sive tropum voces synecdochen sive metonymiam), hic significari potestates infernales omnes, censeo neminem esse qui neget. Hic ergo apponi

possunt quæ, n. 24, 25, 30, de magna vi et malignitate assidua istarum potestatum eorumque ministrorum dicta sunt. Quibus addendum est quod verbis hujus textus adeo clare significatur:—"Satanas expetivit vos ut *cribraret sicut triticum.*" Ista tam sæva totius collegii Apostolorum insectatio vires arguit permagnas et animum infensissimum, qui nihil intentatum mittit ad eos penitus extinguendos.

52. II. Petrum constitutum fuisse ad Apostolos defendendos et tutandos contra molimina istarum potestatum ex textu patet. 1°. Apostolos eos fuisse qui confirmandi erant patet ex verbis:—"expetivit *vos* . . . . confirma *fratres tuos.*" 2°. Petrum ad eos confirmandos constitutum fuisse similiter ex verbis manifestum est:—"et *tu* confirma." 3°. Et constitutus fuit ad eos confirmandos contra omnes incursus satanicos. Confirmandi enim erant contra istas insectationes satanæ, quibus vellet eos ut triticum cribrare: sed cribratio ista omnia molimina satanæ, potentissima præsertim et infensissima, significat. Minor patet ex dictis et allegatis, n. 51. Major manifesta est ex nexu verborum textus. Sic, si quis diceret, "Jacobus summo premitur periculo ex insidiis Titii, sed Joanni mandatum est ut eum muniat," ab omnibus intelligeretur Joanni mandatum fuisse ut muniret Jacobum contra periculum memoratum, nempe, ex insidiis Titii.

53. III. Petrus contitutus est ad universam Ecclesiam defendendam: etsi enim soli Apostoli hic nominantur, omnes tamen fideles necessario includuntur. Non Apostolos ut tot individuos adeo maligne et acerbe expetivit satanas, sed ut Apostolos et pastores: ipsam per eos Ecclesiam vastandam et demoliendam expetivit; optime enim norat ruinam pastorum gregum esse ruinam. Insuper Petrus firmando Apostolos, eo ipso et vi termini universam

Ecclesiam firmat: firmat enim eos tanquam Apostolos, ut ipsi ceteros omnes firment.

54. IV. Petro *soli* munus illud assignatum est Apostolos et Ecclesiam defendendi. 1°. Diserte Petro per se soli id munus mandavit Christus:—" et *tu* confirma." 2°. In gratiam Petri solius rogavit Christus mirabile donum illud fidei indeficientis, quo auctus ad eos firmandos et ipse firmaretur:—" ego autem rogavi pro *te*, ut non deficiat fides *tua*." 3°. Petrus ut confirmans a ceteris ut confirmandis distinguitur:—"*tu* confirma *fratres tuos*."

55. Quod Petro in prima parte textûs Matthæi xvi. promittitur, munus defendendi Ecclesiam, eamque securam et victricem contra omnes hostes conservandi, id ipsum alia verborum forma hic ei demandatur. In Matthæo, indicantur hostes Ecclesiæ sub typo portarum inferni; in Luca, sub typo ipsius principis inferni. In Matthæo, exhibetur Petrus ut firmamentum Ecclesiæ sub metaphora petræ; in Luca, diserte et sine metaphora.

56. ARGUMENTUM V. "Hoc autem tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis: amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas." Λεγει τῳ Σιμωνι Πετρῳ ὁ Ιησους· Σιμων Ιωνᾶ, αγαπας με πλειον τουτων; Λεγει αυτῳ· Ναι, κυριε, συ οιδας ὁτι φιλω σε. Λεγει αυτῳ· βοσκε τα

αρνια μου. Λεγει αυτῳ παλιν δευτερον· Σιμων Ιωνᾶ, αγαπας με; Λεγει αυτῳ· Ναι, κυριε, συ οιδας ὁτι φιλω σε. Λεγει αυτῳ· Ποιμαινε τα προβατα μου. Λεγει αυτῳ το τριτον· Σιμων Ιωνᾶ, φιλεις με; Ελυπηθη ὁ Πετρος, ὁτι ειπεν αυτῳ το τριτον φιλεις με; και ειπεν αυτῳ· Κυριε, συ παντα οιδας, συ γινωσκεις ὁτι φιλω σε. Λεγει αυτῳ ὁ Ιησους· Βοσκε τα προβατα μου: Joan. xxi. 14–17. Opus non est ut notemus varias lectiones textus Græci, vel quarundam ex istis lectionibus et Vulgatæ discrepantiam, nempe, quoad vocabula *βοσκε, ποιμαινε, αρνια, προβατα, προβατια*. Levissimi enim sunt momenti, nec iis minimum afficitur dogmatica textus expositio nostrumque argumentum. *Ποιμαινειν* est *fungi munere pastoris; βοσκειν, pascere,* idem per synecdochen sonat.

57. Qui a Christo constitutus est, et solus constitutus est, ut pascat omnes agnos et oves ejus, eo ipso plenariam et supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam accepit et tenet. Ita constitutus est Petrus. Ergo.

58. Probatur major quatuor hæc demonstrando ; 1°, per agnos et oves significari fideles et 2°, omnes fideles ; 3°, per munus pascendi significari jurisdictionem spiritualem omnigenam, et 4°, uni soli concreditam, plenariam et supremam.

59. I. Per agnos et oves significantur fideles. Hoc, quod a nemine adversariorum, quoad hunc locum, negatum vidi, probatur, c. 5, n. 43. II. Significantur omnes fideles. "Pace agnos *meos,* oves *meas.*" Agni et oves Christi non sunt hi et illi sed omnes, ipsis Apostolis inclusis. Nulla apponitur restrictio, nulla insinuatur. Non ergo pars significatur gregis sed totus grex.

60. III. Munere pascendi significatur jurisdictio spiritualis omnigena. 1°. Hoc in ipsa idea metaphoræ, qua hic utitur Christus, necessario includitur. Petrus creatus est pastor totius Ecclesiæ : Ecclesia grex ejus est, ad quem pascendum constituitur. Idem est munus ejus quoad Ecclesiam ac munus pastoris quoad gregem ovium. Metaphora enim nihil aliud est quam similitudo tacita seu implicita : idem ergo sonant verba Christi, "pasce agnos meos, oves meas," ac si dixisset, "quæ pastoris jura et officia sunt erga oves sibi commissas, eadem tibi jura et officia erga Ecclesiam meam mando exercenda." Quæ autem sunt jura et officia pastoris erga gregem sibi creditum ? Ut alimenta ovibus præparet et præbeat salubria : ut in pascuis salubribus eas contineat, et a pestilentibus retrahat : ut lupos rapaces et canes rabidos et fures insidiantes procul ab ovili arceat, vel in ea latitantes deprehendat et ejiciat : ut infirmas oves curet, et errantes reducat : et si, ob ovilis amplitudinem et ovium multitudinem, his et aliis officiis pastoralibus impar sit per se satisfaciendis, ut alios pastores particulares et inferiores his et illis partibus gregis præponat ; eosque, quantum, secundum varias locorum et temporum circumstantias, opus est, doceat officia sua, inspiciat, moneat, laudet, increpet et etiam, si id postulet bonum ovium, eis munus pastorale adimat. Varia hæc officia, quæ ex communi omnium sensu et ex consuetudine universali in idea muneris pastoralis necessario includuntur, in S. Scriptura diserte indicantur et etiam depinguntur, directe et indirecte ; directe, ea quæ boni pastoris sunt enarrando ; indirecte, pastoris infidelis delicta et defectiones, earumque tristes effectus describendo : Joan. x. 11, &c. ; Jerem. xxiii. 1–4 ; Ezechiel, xxxiv. per totum.

61. Petrus ergo potestatem accepit in universam Eccle-

siam, fideles omnes, in omnibus quæ ad eorum salutem æternam pertinent, regendi et curandi. Potestatem accepit ea omnia per universam Ecclesiam agendi et constituendi, quæ ad munus spiritualis rectoris et moderatoris pertinent; sive quæ ex ipsa idea et natura muneris ejusmodi emanant plane, sive quæ in ea ex ordinatione divina positiva includuntur. Hæc autem integre et sigillatim recensere et explicare ad alia pertinet capita hujus operis vel ad alios tractatus theologicos. Pauca sane verba sunt—"pasce agnos meos, pasce oves meas:" sed verba Dei sunt, et amplus est eorum ambitus, magna eorum vis divina.

62. 2°. Quod ex idea muneris pastoralis, prout idea ista perspecta intelligitur ex usu loquendi etiam in S. Scriptura, jam conclusum est, id ipsum clare et diserte in eadem Scriptura significatur. Passim enim in ea usurpatur locutio "pastor" hominum pro "rectore" hominum, et "pascere" pro "regere." "Tu pasces [ποιμανεις] populum meum Israel, et tu eris dux [εις ἡγουμενον] super Israel:" 2 Reg. v. 1, 2. "Hic est Deus, Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi: ipse reget [ποιμανει] nos in secula:" Psalm. xlvii. 15. "Qui regis [ὁ ποιμαινων] Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph:" Psalm. lxxix. 2. Similiter, Isai. xl. 11; Ezech. xxxiv. 23, 24; Mich. v. 2, 4; Matth. ii. 6; Apoc. xii. 5; &c.

63. 3°. Apud Orientales antiquos munus pastoris ovium a principibus tribuum exercebatur, et in iis dignitas erat ampla et augusta. Hoc ex Genesi constat de patriarchis, Abraham, &c. Hinc ut ait ARNOLD ("Fragment on the Church," pag. 26), metaphora pascendi una est ex vetustissimis et communissimis, quibus usi sunt homines ad significandam auctoritatem quæ suprema simul et benefica

esset ["This term of 'feeding as a shepherd feeds his flock,' is one of the oldest and most universal metaphors to express a supreme and at the same time a beneficent government"]. Usum hujus metaphoræ multum apud Græcos antiquissimos invaluisse ex Homero patet, qui ea in regibus et ducibus designandis sæpius utitur. Sic, pastores populorum vocantur Agamemnon, Menelaus, Achilles, Hector, Iliad. ii. 243; iv. 414; v. 566; &c. Odyss. iv. 24; xiv. 497; &c.

64. IV. Munus hoc pascendi uni assignatum, jurisdictionem secum fert plenariam et supremam. Hoc per se manifestum est. Qui enim *solus* est *omnium* pastor, super omnes est, nec alium aut alios pares aut superiores habet, et ergo supremus est.

65. Probatur minor (n. 57), nempe Petrum *solum* totius Ecclesiæ pastorem fuisse constitutum. Hoc pariter manifestum est. In textu enim Joannis non solum verba Christi ad Petrum solum definite et aperte habentur—"*diligis* me, *amas* me, *pasce* agnos, *pasce* oves"—sed Petrus a ceteris distinguitur et seponitur—"diligis me plus *his*." Petrus ergo *hìc* solus totius Ecclesiæ constitutus est pastor. Quod autem solus hic accepit, nusquam cuiquam alii vel aliis datum est.

Nota. Singula hæc quinque argumenta pro omnino inconcussis et invictis habemus. Præter vim autem quæ singulis inest per se probandi, novum quoddam haud leve momentum ex serie textuum oritur, et ex repetita in eis divinæ mentis declaratione. Sed hoc, sicut et alia quibus nostra propositio ex Scriptura firmatur, vid. D. 18, n. 74–104.

SECTIO SECUNDA.—*Solvuntur Objectiones.*

Objectiones contra Argumenta.

66. *Object.* 1. (Contra Argumentum I.) Certus non potest esse sensus textûs, quem SS. Patres interpretantes in varias abeunt sententias. Atqui in vocabulo "petram" interpretando, varias interpretationes proferunt varii Patres. BARROW, "Treatise of the Pope's Supremacy," pag. 86; PALMER, pag. 374, et alii passim.

67. *Resp.* 1°, ad majorem. Quæro ab adversariis utrum propositionem illam nobis, tanquam argumentum *dogmaticum*, objiciant, i. e. quod pro certo et explorato et ipsi tenent; an vero ut argumentum *ad hominem*, eo modo quo definitionem Pontificis vel Concilii objicerent, cujus momentum, etsi illi nihili faciunt, nos tamen ex nostris principiis concedere tenemur? Si *primum* dicant, aperte falsum dicunt. Ex principio enim Protestantismi universali et fundamentali, tantum abest ut auctoritas Patrum norma sit in interpretatione Scripturæ sequenda, ut cuivis integrum sit etiam unanimi eorum sensui suum proprium judicium anteponere. Si *secundum* dicant, pariter falsum dicunt. Nemini sane licet, "contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari" (Conc. Trid. Sess. 4, Decretum de editione, &c.): sed nec a Catholicis tenetur, nec verum est, sensum Scripturæ statui non posse certum, quotiescumque non habetur consensus iste Patrum unanimis, imo inter se dissentientibus quibusdam Patribus. Scripta enim Patrum unicum fidei et traditionis Ecclesiæ thesaurum nullatenus efficiunt; neque omnia revelata apud omnes aut ubique integra sunt conservata.

68. *Resp.* 2°, ad minorem. Distinguo: Dum Patres passim diserte affirmant petram esse Petrum, iidem vel alii affirmant petram esse fidem Petri in concreto, fidem ut in Petro ipso existentem et ab eo declaratam seu, aliis verbis, Petrum ut fidem istam magnam habentem et professum: Concedo: Patres quidam affirmant petram esse fidem in abstracto seu dogma aliquod vel omnia dogmata fidei vel eorum professionem, aut Christum, aut Apostolos, aut quemvis fidelem: Subdistinguo: Verba Christi sensu accommodato, vel alio non-literali, interpretantes, ita quidam Patres: Concedo: Ad literam interpretantes, et secundum sensum verborum in ore Christi et ut jacent in S. Scriptura: Nego.

69. 1°. Patres passim affirmant petram esse Petrum, et ecclesiam super eum ædificatam faisse. Plures textus vid. D. 18, n. 110, &c. ex TERTULL, ORIGENE, SS. CYPR., GREGORIO NAZIAN., AMBROS., HIERON., AUGUST., CYRILLO ALEX., LEONE M. 2°. Quidam Patres hunc textum, sicut, et alios multos, non ad literam interpretando, sed sensu accommodato adhibent.

70. 3°. Et ex Patribus jam citatis et ex aliis haud pauci affirmant petram esse fidem Petri, i. e., secundum communissimum et probatissimum usum loquendi (infra, n. 72), ipsum Petrum, ut eximio et singulari quodam modo fidem habentem et professum; et, propter hanc fidem, basim Ecclesiæ creatum; et, per hanc fidem firmam et indeficientem primario, Ecclesiam contra portas inferi tutam conservantem. Ita, S. HILARIUS, de Trinit. l. 6, n. 36, 37. "In eo vero quod respondetur, 'Tu es [Christus filius Dei vivi],' confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio

est . . . . Hæc fides Ecclesiæ fundamentum est: per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum. Hæc fides regni cœlestis habet claves. Hæc fides quæ in terris solverit aut ligaverit, et ligata in cœlis sunt et soluta . . . . Filium Dei confessus, ob hoc beatus est [Petrus]. Hæc revelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis est. Hinc regni cœlorum habet claves, hinc terrena ejus judicia, judicia cœlestia sunt." Alii textus vid. eadem D. n. 125, &c. Planum est idem hic sonare fidem Petri, ejusdem fidei confessionem, ipsumque Petrum. Omnes enim concedunt, quod ex verbis Christi adeo clarum est, Petro datas esse claves et potestatem ligandi et solvendi; quod et in tertio textu allato diserte affirmat S. HILARIUS :—"Hinc regni cœlorum habet claves," &c. Et tamen in textu secundo affirmatur fidei datas esse claves et potestatem ligandi et solvendi :—"Hæc fides regni cœlestis," &c., ut supra. Insuper, haud semel aliis locis aperte docet Petrum esse petram, ut in Psalm. cxxxi. n. 4 :—"Petrum cui superius claves regni cœlorum dederat, super quem Ecclesiam ædificaturus erat, &c. . . . . Petrum primum Filii Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, cœlestis regni janitorem," &c.

71. Usus iste loquendi SS. Patrum, quo, singulari quodam et eximio modo, fidei Petri acceptam referunt efficacem ejus et invictam firmitatem in sustentanda Ecclesia, gravissimum habet fundamentum in verbis, quæ ad eundem Petrum habuit Christus, Luc. xxii. 31, 32 :—"Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro *te* ut non deficiat *fides tua :* et *tu* aliquando conversus *confirma* fratres tuos." Etsi satanas ruinam expetivit Aposto-

lorum non solum in fide (in hac tamen maxime), sed in omni genere virtutum et gratiæ; et etsi Petrus constitutus est ad eos contra omnes incursiones diabolicas tutandos; pro *sola* indeficientia fidei ejus rogat Christus diserte et explicite—quasi in ea per se stet (in ea maxime revera stat) tota ratio efficaciæ muneris Petri in confirmando, et incolumitatis Apostolorum exinde derivatæ. Insuper, eo ipso modo loquendi utitur quem tot sequuntur Patres, secundum quem idem sonant Petrus et fides Petri:—"pro te—fides tua—et tu."

72. Metonymiam istam, quâ nomen qualitatis alicujus, sive bonæ sive malæ, usurpatur loco nominis personæ in qua insignis habetur, usu communissimam et probatissimam esse supra, n. 70, dictum est. 1°. Usus hodie ubique communis est, in colloquiis et scriptis omnigenis, affirmandi de aliquo, qui sua sapientia, fortitudine, corruptela, audacia, &c., aliquid effecit, sapientiam, fortitudinem, corruptelam, audaciam ejus id effecisse; vel etiam simpliciter id sapientiâ, &c., effectum esse. Sic, si princeps rempublicam a summis periculis sapientia sua servasset, diceremus sapientiam principis servasse rempublicam; si Sempronius paterfamilias sumptibus effusis familiam suam ad inopiam redegisset, diceremus profusionem Sempronii id effecisse. 2°. Idem fuit usus apud antiquos. Apud Homerum habemus βιην Διομηδεος (Iliad. ii. 781), "potentiam Diomedis," pro Diomede potente; βιη Ἡρακληος (ibid. xviii. 117), pro Hercule potenti; cum aliis similibus exemplis passim. "Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in contumeliis efficere potuisset," pro luxurioso, crudeli, avaro. Cicero, in Verrem. 3°. Idem usus in

Scriptura invenitur;—"Hæc est victoria quæ vincit mundum, *fides* nostra. *Quis* est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?" 1 Joan. v. 4.

73. *Object.* 2. Non privilegia Petri declarare, sed declarationem de seipso evocare, hoc loco maxime voluit Christus. Petra ergo Petrus non est, sed Christus ipse. WORDSWORTH, in locum, et iterum in Luc. ix. 18.

74. *Resp.* Distinguo antecedens: In quæstionibus quas Apostolis proposuit, vers. 13, 15, "Quem dicunt homines, &c. Vos autem," &c.: Concedo: In verbis quæ ad Petrum habebat, "Beatus es Simon" et sequentibus: Nego. Imo in his nihil quærit Christus, nihil evocare seu elicere voluit, aut de seipso aut de ullo alio: sermo ad Petrum totus est pure affirmativus. Duo sermones omnino distincti sunt; distincti in forma, distincti in fine, distincti in argumento, distincti in iis ad quos habentur. Prior quærit, alter affirmat; prior habetur ad professionem fidei evocandam, alter ad profitentem præmio ornandum; prior de Christo est, alter de Petro; prior ad omnes Apostolos habetur, alter ad Petrum solum.

75. *Urgetur.* A Marco (viii. 29) et Luca (ix. 18), in hoc sermone Christi narrando, prætermittuntur verba quæ de S. Petro apud Matthæum habentur. Ergo non de privilegiis Petri, sed de seipso solo, loqui statuit Christus. *Idem*, in loc.; GAYER, ii. 34.

76. *Resp.* Nego consequentiam, quæ non solum insulsa sed impia est. Num abjiciendus est sensus verborum Christi apertus et certus, quæ ab Evangelista inspirato commemorantur, quia ab aliis Evangelistis non commemorantur? Quare non voluerit Spiritus Sanctus ea a Marco et Luca commemorari nostri non est rationem reddere, nec etiam inquirere. Quare magnus ille sermo Christi in

monte habitus, qui apud Matthæum (v. vi. vii.) versiculos 107 occupat, apud Lucam (vi. 20–49) tot omissis datur, ut ultra versiculos 30 non excurrat, et a Marco et Joanne *totus* prætermittitur? Quare tot sunt sermones Christi gravissimi, tot facta vitæ ejus insignia, quæ a Joanne narrantur, et a ceteris tribus Evangelistis omnino omittuntur, v. g., ea quæ habentur de Nicodemo (iii.), de muliere Samaritana (iv.), de Lazaro (xi.), &c.?

77. *Objct.* 3. Deus solus in V. T. nomine Petræ (metaphorice et ut firmamentum) vocatur. Et in N. T. Christus vocatur Petra, 1 Cor. x. 4. Ergo Petrus non est petra, Matth. xvi. *Idem* WORDS. et alii haud pauci, sed triviales plerique.

78. *Resp.* Prætermisso antecedenti, Nego consequentiam et consequens. I. Consequentia principio aperte falso et tum communi tum ipsius Scripturæ usui contrario tota nititur, nempe, nomina vel apposita quæ de Deo usurpantur nunquam usurpari posse de aliis. 1°. Usui communi adversatur. Etenim secundum hunc usum, eadem nomina et apposita, sub diversis conceptibus, ad res et personas omnino et per omnia disjunctas et diversas designandas, ab omnibus ubique adhibentur. Sic, dicimus librum magnum, montem magnum, mare magnum, Alexandrum magnum, Gregorium magnum—et dicitur in Scriptura "Deus magnus:" Deut. vii. 21; et alibi passim. Dicimus dulce mel, dulcem somnum, dulcem cantum, dulce arvum (Virgil. Eclog. i. 3)—et in Scriptura Deus vocatur "dulcis" 1 Pet. ii. 3.

79. 2°. Usui Scripturæ adversatur principium illud. (1°.) Christus est "lux mundi:" Joan. viii. 12. Apostoli sunt "lux mundi:" Matth. v. 14. (2°). Christus est "fundamentum" unicum:—"Fundamentum enim *aliud* nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus:" 1 Cor. iii. 12. Apostoli et Prophetæ

"fundamentum" sunt:—"Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu:" Ephes. ii. 20. (3°). Christus "pastor" est: Joan. x. 11, 14. Sunt homines "pastores:" Ephes. iv. 11. (4°). Christus "episcopus" est: 1 Pet. ii. 25. Sunt homines "episcopi:" Act. xx. 28; 1 Tim. iii. 2.

80. II. Non solum Scripturæ usum loquendi negat et evertit objectio, sed ipsis Scripturæ verbis et sensui aperto directe contradicit. De facto enim Petrus in Scriptura vocatur Cephas, Cephas autem est petra: supra, n. 9.

81. *Object.* 4. Ecclesia ædificatur super fundamentum Apostolorum (Ephes. ii. 20), ergo non super fundamentum unius Apostoli. Insuper, Petrus non potuit esse simul unum ex duodecim fundamentis, et fundamentum in quo nituntur ista duodecim fundamenta. *Idem,* ibid. Barrow, p. 89; et alii multi passim.

82. *Resp.* 1° Sedulo præ mente tenendum est discrimen gravissimum inter metaphoram *fundamenti* et *petræ:* supra, n. 15, not. Multo probabilius, imo plane certum, esse mihi videtur S. Paulum in isto loco ad Ephesios usurpare metaphoram fundamenti non ad ingerendam ideam fundamenti firmi et firmantis (quam necessario ingerit metaphora petræ-fundamenti), sed tantum ideam initiorum Ecclesiæ. Petrus ergo optime esse potuit unum ex fundamentis Ecclesiæ, i. e. unus eorum ex quibus exordium duxit Ecclesia, et simul petra quæ totam sustentaret et firmaret Ecclesiam, i. e. is qui solus universam regeret Ecclesiam. In hoc sane nihil est quod sibi repugnet, imo nihil quod non sit omnino congruens. 2°. Nec minus congruens est ut esset unum ex duodecim fundamentis etiam in sensu firmandi, et simul esset, eodem sensu sub alio conceptu, fundamentum fundamentorum et totius Eccle-

siæ. Sic, in senatu omnia membra jus suffragia ferendi æqualiter habent, unus tamen constituitur qui ceteris præsit. Quod passim apud homines fit, non potest Deus facere?

83. *Object.* 5. Petrus Christo nomine omnium Apostolorum respondit: ore ejus illi locuti sunt. Ergo quod hic Petro donatum est, omnibus donatum est: ergo super omnes Apostolos ex æquo ædificata est Ecclesia, et omnes conjuncti sunt petra. Ita multi.

84. *Resp.* 1°. Nego antecedens. Etsi enim aliquo sensu dici possit collegium Apostolorum a Petro repræsentari; nullomodo tamen dici potest eum, non suo nomine et merito proprio et singulari, nec ex revelatione sibi propria, sed ut ab iis delegatum, communi merito et ex eadem communi omnibus facta revelatione, divinitatem Christi professum fuisse. Ejusmodi delegationis nullum est in textu vestigium: purum est figmentum, purum interpolamentum. Totus textus Petri confessionem propriam sonat, revelationem propriam, meritum et beatitudinem propriam, præmium proprium. 2°. Nego consequentiam et consequens: vel distinguo consequens: Si verba Christi significent omnibus datum esse quod Petro datum est: Concedo: Si non hoc sed contrarium diserte significent: Nego. Consequentia autem (etiam dato antecedenti) falsissima est.

85. *Object.* 6. Apostoli saltem, utpote jam constituti, Petro superædificari non potuerunt. BARROW, pag. 91.

86. *Resp.* Distinguo: Non potuerunt superædificari Petro tanquam principio [mero fundamento] ex quo initium sumerent: Transeat: Tanquam principio [petræ firmanti] ex quo postea incolumitatem ipsi cum reliqua Ecclesia derivarent: Nego: vid. supra, n. 82. Christus, Luc. xxii., totidem verbis diserte constituit Petrum ut Apostolos nominatim securos faceret: supra, n. 52.

87. *Object.* 7. Petrus singulari modo vocari potuit petra, quia singulari modo designatus est a Christo ad ædificandam Ecclesiam, nempe, per zelum ejus insignem in convertendis hominibus, in fide tuenda, in prædicando, &c. Ergo ex eo quod jure vocari potuit, et revera fuit, præ ceteris Apostolis petra, non sequitur eum eorum principem fuisse. *Idem*, ibid.

88. *Resp.* 1°. Etsi verum est Petrum, singulari modo, præ ceteris Apostolis operam in ædificanda Ecclesia navasse, attamen de facto non de ista ædificatione vicaria et ministeriali sermonem hic habet Christus, sed de sua propria ædificatione:—"Super hanc petram *ædificabo* [non 'tu ædificabis'] Ecclesiam meam." *Hoc* ergo loco Christus non alloquitur Petrum ut *ædificatorem* Ecclesiæ, nec eum designat ad munus (quod cum ceteris commune accepit; Matth. xxviii. 19, 20, et alibi) ædificandi Ecclesiam; sed eum hic munere singulari auget, quod cum ceteris Apostolis commune non tenuit, nempe ut esset *petra-firmamentum* Ecclesiæ ædificatæ super ipsum. Quod ad Petrum et ceteros Apostolos attinet, sermo non est in hoc membro textus de Ecclesia *ædificanda*, sed de ea *firmanda et tutanda.*

89. *Resp.* 2°. Non idem sonant *esse* alicujus societatis custodem et defensorem invictum, et esse ad id a legitima potestate *constitutum.* Fieri sane non potest ut aliquis regnum aliquod, contra hostes potentes et infensos et perpetuos, prospere defendat, nisi in regnum illud magnam et generalem *exerceat* auctoritatem. Sed, etsi diceres contrarium absolute non repugnare, absolute repugnat alicui mandari a legitima potestate officium ejusmodi, cui ab ista potestate (si sane et sapienter agat) non *impertitur* omnis auctoritas necessaria et opportuna ad regnum feliciter

defendendum. Sic, si rex aliquis, regno ejus undique et acerrime oppugnato, hisce verbis aliquem ex optimatibus compellaret, "Tibi munus assigno regnum meum contra omnes hostes illos defendendi illudque securum servandi;" nonne vi verborum, ex omnium sensu, optimatem istum omni censeretur augere auctoritate, quam exigeret regni salus et incolumitas? Ita a Deo, pro salute et incolumitate Ecclesiæ suæ, constitutus est Petrus.

90. *Object.* 8. Christus promittens se Ecclesiam suam super Petrum ædificaturum esse, nihil aliud significare voluit quam Petrum primum initia Ecclesiæ, post discessum Domini, esse positurum. Quod et præstitit: primus enim apud Judæos Ecclesiam fundavit, convertendo tria circiter millia Judæorum (Act. ii. 41): primus apud gentiles (Act. x.). Ita auctores Protestantici, et antiqui et recentiores, communissime.

91. *Resp.* Distinguo: Nihil aliud significare voluit, si id verba ejus et nihil aliud significent: Concedo: Si verba ejus definite non significent Petrum fore primum in fundanda Ecclesia, seu in convertendis Judæis et gentibus, sed esse totius Ecclesiæ super ipsum a Christo ædificandæ firmamentum et ergo rectorem: Nego. Hanc objectionem, adeo clare et absolute in jam dictis solutam (n. 33, &c. 82, 86, &c.), in medium hic non proferrem, nisi eam, ut jam dixi, a tot doctoribus Protestanticis, et quidem ut prorsus decretoriam, allatam vidissem.

92. Dixi supra, "Si verba ejus *definite*," &c. Definite enim verba Christi significant Petrum fore Ecclesiæfirmamentum, et ergo rectorem: definite autem non significant eum esse qui primus initia Ecclesiæ poneret. Nostri vero non est statuere vel inquirere utrum ista prima prædicatio Evangelii ad Judæos et gentes, eorumque conversio prima,

ad primatum Petri pertinuerit, quasi munus ejus et officium proprium; an ea de facto præstiterit, non ut princeps Apostolorum et Ecclesiæ, sed ex sola speciali ordinatione et inspiratione divina.

93. *Object.* 9 (contra Argumentum II.). Si Petrus, accipiendo claves regni cœlorum, aliquid singulare acceperit, nihil aliud erat quam ut primas ageret partes in illo regno aperiendo, i. e. in prædicando Evangelio, &c. BARROW, pag. 95.

94. *Resp.* Distinguo: Si possessio clavium alicujus loci, civitatis, regni, &c., symbolice significet tantum potestatem admittendi in eum locum et introitum præcludendi: Transeat: Si significet jurisdictionem in illum locum et, si claves ab uno per se teneantur, supremam illius jurisdictionem: Nego, secundum demonstrata, n. 39. Alius est usus rerum *materialis* seu (ut ita dicam) literalis, alius *symbolicus*. Ex usu pure materiali corona regia nihil aliud esset quam tegumen capitis pretiosum, sceptrum regium nihil aliud esset quam baculum seu virga ornata; alius autem omnino est, ut norunt omnes, usus eorum symbolicus. Usus clavium materialis est ad ostia &c. aperienda et claudenda; quis fuerit eorum usus symbolicus jam demonstratum est, l. c. Petrum vero non materialiter sed symbolice claves accepisse concedunt omnes.

95. *Object.* 10 (contra Argumentum III.). Potestas ligandi et solvendi alia non est quam potestas retinendi et remittendi peccata—qualiscunque demum ea est. Potestas vero retinendi et remittendi peccata ceteris Apostolis postea tributa est: Joan. xx. 23. Ergo 1°, nulla potestas singularis hic Petro tributa est; 2°. potestas hic tributa non erat potestas regendi, &c. Ita multi antiqui et recentiores; vid. WHITBY, in loc., ROBINSON, in voc. δεω.

96. *Resp.* Nego primam propositionem. I. Ut jure affirmari possit sermonem in utroque textu (Matth. xvi. "quodcumque ligaveris" &c.; Joan. xx., "quorum remiseritis" &c.) de eadem re esse (peccatorum retentione et remissione), debet id vel verbis textus significari vel ex contextu cogi. Atqui tantum abest ut ullomodo significetur sermonem de eadem re esse, ut textus inter se collati res omnino distinctas sonent. 1°. Verba Matthæi universalissima sunt, "quodcumque;" verba Joannis rem definitam significant diserte, "quorum peccata." 2°. Objectum potestatis in Joanne sunt peccata sola; objectum in Matthæo "quodcumque" est, nec magis insinuatur aliquid de peccato quam de sacramentis matrimonii aut unctionis extremæ. 3°. In Matthæo potestas exercetur ligando et solvendo (δησῃς—λυσῃς); in Joanne remittendo et retinendo (ἀφητε—κρατητε). 4°. In Matthæo potestas ligandi primo loco ponitur; in Joanne potestas remittendi primo loco ponitur. Potestas enim regendi primario et præcipue ordinatur ad libertatem hominum coercendam legibus, præceptis, &c.—ad *ligandum;* potestas vero remittendi et retinendi peccatum, non tantum primario et præcipue, sed, spectato fine ultimo, omnino ordinatur ad extinctionem peccati — ad *remittendum.* II. Ubicumque in Scriptura mentio fit remissionis peccatorum, vel usurpatur vocabulum "peccatum" aut aliud idem sonans, vel ipse actus improbus nominatur aut narratur aut aliquo modo satis clare judicatur. In toto autem textu Matth. xvi. nec vocabulum "peccatum" usurpatur, nec actus peccatorius ullatenus significatur. Alia videantur in opere majori, n. 212, &c.

97. *Object.* 11 (contra Argumentum IV.). Non amplius officium hic Petro mandatur, quam quod singulis Christianis

mandatur, iis præsertim qui in ministeriis exercentur. ROBINS, pag. 23; GAYER, v. 93.

98. *Resp.* Distinguo: Singuli Christiani, ex officio charitatis fraternæ, peccata eorum inter quos degunt avertere tenentur: Concedo (quod tamen officium, ad materiam correctionis fraternæ præcipue pertinens, propter varias conditiones quæ requiruntur ut, saltem sub gravi, urgeat, homines privatos raro obligat): Singulis Christianis, ex speciali præcepto et auctoritate Christi, mandatum est officium omnes totius Ecclesiæ Episcopos, imo universam Ecclesiam saltem mediate, confirmandi et tutandi contra omnes gravissimas impugnationes satanæ: Nego. Petro, eique soli, mandatum fuisse hoc officium argumento nostro evincitur.

99. *Object.* 12. Non ampliorem confirmandi auctoritatem accepit Petrus, quam exercebat Paulus confirmans ecclesias (Act. xv. 41), aut mittens Timotheum ut confirmaret Thessalonicenses; aut quam exercere jussus est Angelus Ecclesiæ Sardis (Apoc. iii. 2). *Idem*, ibid.

100. *Resp.* Nego. Petrus enim auctoritatem accepit confirmandi omnes Apostolos, contra omnes incursiones satanæ. Paulus ejusmodi potestate nunquam usus est, nunquam uti potuit, eam enim nunquam accepit. Titius parochus prædicat evangelium, parochianos suos in fide confirmat, &c.: ergo æque amplam exercet potestatem prædicandi, confirmandi, &c., atque Apostolis, et ipsi Petro tributa est!

101. *Object.* 13. "Totus sane hic sermo Domini præsupponit Petrum esse primum Apostolorum, quo stante et cadente ceteri aut minus aut magis periclitarentur. Erat autem primus fide, non imperio." BENGEL, in loc.

102. *Resp.* Qualemcumque Petrum esse *supponit* hic

sermo, *creat* eum primum et in fide ("ego autem rogavi," &c.) et in imperio ("et tu, aliquando" &c.).

103. *Object.* 14 (contra Argumentum V.). Verba Christi ad quemvis Apostolum, imo ad quemvis pastorem Christianum haberi potuerunt. BARROW, pag. 96, et alii passim. *Resp.* 1°. Christus de facto verba ista ad solum Petrum habuit, solum Petrum ovium et agnorum omnium pastorem constituit: n. 64. 2°. Verba Christi de nullo alio Apostolo, de nullo alio pastore, affirmari possunt. Præter Petrum alii quidem sunt pastores, sed alius non est nec esse potest totius Ecclesiæ pastor: soli Petro munus hoc universalis pastoris assignatum est.

104. *Object.* 15. Verba Christi definita non sunt: dixit enim "pasce agnos meos . . . . oves meas," non "tu *sole* pasce *omnes* agnos meos, oves meas," *Idem*, ibid.

105. *Resp.* Verba indefinita esse possunt duplici præcipue modo, nempe, quoad *sensum* vel quoad *extensionem*. Verbum indefinitum est quoad sensum, cum, ex variis sensibus quos ex usu loquendi habet, incertum est quemnam sensum in hoc vel illo loco habeat. Indefinitum est quoad extensionem, cum numerus individuorum quæ ab eo significantur definitus non est: ut si dicerem "aliqui homines," "multi homines." Neutro modo sunt verba Christi indefinita; singula clare definita sunt, et sensu et extensione. Jam probatum est (n. 59) per oves hic significari omnes oves. Jam probatum est (n. 64) Petrum solum constitutum fuisse omnium ovium pastorem. Neque obstat vocabulum "sole" non adhiberi. Petrus enim creatus est pastor universalis, alius non est creatus, ergo ipse solus creatus est.

106. *Urgetur.* Ex eo quod S. Paulus (Act. xx. 28) exhortatus est Episcopos "regere [pascere] Ecclesiam Dei," non ideo concludendum est unumquemque eorum rectorem fuisse

universalis Ecclesiæ Dei, "quam acquisivit sanguine suo." Ergo ex eo quod Petro mandatum est pascere oves et agnos Christi, non sequitur eum constitutum fuisse universalis Ecclesiæ rectorem. *Idem*, ibid.

107. *Resp.* 1°. Ecclesia quam memorat S. Paulus non erat Ecclesia universalis, sed ecclesia particularis provinciæ Ephesinæ :—"Attendite vobis et universo gregi, *in quo* vos," &c. Similiter 1 Pet. v. 2 :—"Pascite, *qui in vobis est*, gregem Dei." 2°. Christus illam particularem Ecclesiam, sicut et omnem aliam, et universam Ecclesiam et singulos fideles "accquisivit sanguine suo." 3°. Episcopos illos una congregatos monuit S. Paulus ut attenderent universo gregi, non quasi unusquisque omnes ecclesias seu diœceses illius regionis regeret, sed singuli suas proprias ecclesias.

108. *Object.* 16. Christi verba nihil aliud sonant quam restitutionem Petri in munus apostolicum, e quo negando Christum exciderat. GAYER, v. pag. 93 ; BENGEL, in locum, et alii.

109. *Resp.* Manifesta est hæc depravatio utriusque loci et Luc. xxii. (et ceterorum Evangelistarum narrantium verba Christi lapsum Petri prædicentis, ipsumque lapsum) et Joann. xxi. 15–17. 1°. Etsi quatuor Evangelistæ et prædictionem Christi et lapsum Petri narrant, a nullo eorum ullo modo insinuatur amissum Petri munus apostolicum. Num ergo volunt adversarii affirmare omni peccato mortali, sive ex natura rei sive ex lege aliqua divina, amitti munus apostolicum vel aliud quodcumque munus sacrum ? 2°. Munus hic Petro assignatum non fuit munus apostolicum, ipsi et ceteris Apostolis commune.

110. *Urgetur.* Tristitia Petri, propter ter repetita man-

data Christi, signum erat præfatæ restitutionis ["'Feed my sheep' was a restoring of Peter to the charge from which he fell by denying his Lord; and therefore St. Peter was *grieved* (sic) when Christ repeated it *three* (sic) times"]. *Idem* G., ibid.

111. *Resp.* "Contristatus est Petrus," non quia ter ei Dominus mandatum dedit pascendi oves, sed "quia dixit ei tertio: Amas me?" Quomodo autem hac tristitia significetur Petrum antea amisisse apostolicum munus, et illud hic recuperare, non video.

112. *Object.* 17. Saltem affirmari non potest, quod a theologis Catholicis affirmatur, nempe, quod Petro promissum est, Math. xvi., hic præstari et exsolvi. Plane enim improprie et vitiose loqueretur, qui diceret promissionem faciendi aliquem *petram* super quam ædificaretur Ecclesia, &c., impleri creando eum *pastorem* Ecclesiæ. ROBINS, pag. 31.

113. *Resp.* Distinguo: Si eadem res non possit pluribus et diversis metaphoris significari; nec forma metaphorica alia promitti, alia dari: Concedo: Si id non solum fieri possit, sed, secundum usum loquendi universalem in Scriptura et extra, passim fiat: Nego. Sic passio Christi prædicitur, Isai. liii. 5, sub metaphora medicinæ morbos animarum nostrarum sanantis:—"Livore ejus sanati sumus." Eadem passio memoratur, Apoc. i. 5, sub metaphora lavacri:—"Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo." Non est opus, in re adeo plana, alia proferre exempla.

114. *Object.* 18. Verbum (ποιμ.), quod hic usurpatur a Christo, alibi adhibetur ad significandum munus, quod omnibus pastoribus Ecclesiæ promiscue mandatum est: Act. xx.; 1 Pet. v. *Idem*, pag. 41.

115. *Resp.* Distinguo: Et sensus limitatus, quem habet vocabulum in istis locis, clare ibidem significatur: Concedo: Ergo eundem sensum limitatum ubique habet: Nego. Rex bene regit regnum suum: paterfamilias bene regit familiam suam: ergo non amplior est jurisdictio regis quam patrisfamilias!

Plures aliæ contra Argumenta ejusdem furfuris objectiones, ex iisdem et aliis auctoribus desumptæ, videantur in opere majori.

Objectiones contra Propositionem.

Objectiones ex Scriptura Positivæ.

116. *Object.* 19. Apostolus qui nullam accepit jurisdictionem, quam non acceperunt ceteri Apostoli, nullam habet jurisdictionem, quam non habent ceteri Apostoli —et ergo nullam in eos jurisdictionem habet, nec in alios majorem quam ii habent. Atqui Petrus nullam accepit jurisdictionem, quam ceteri Apostoli non acceperunt. Ergo &c. BARROW, p. 59–62, 89, 93. Ita et ceteri doctores Protestantici unanimes, tum quoad objectionem ipsam, tum quoad textus (etsi non omnes singuli proferunt) quibus eam firmare conantur, infra n. 119.

117. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Qui nullam accepit specie diversam, nec intra istam speciem, ampliorem et superiorem: Concedo: Nullam specie diversam, *sed,* intra istam speciem, ampliorem et superiorem: Nego. Non sequitur, ex eo quod plures eadem specie potestatis gaudeant, inter eos non esse alios qui arctiori, alios qui ampliori, potestate gaudeant; non sequitur non esse unum qui omnium amplissima et in omnes jurisdictione auctus

fuerit. Episcopi omnes eandem potestatis speciem habent; sed fieri potest ut unus eorum moderator ceterorum constituatur. Magistratus civiles eandem speciem potestatis tenent; non sequitur non esse inter eos unum vel plures qui ceteris præsint et invigilent. Famulorum potest esse famulus supremus; magistrorum magister supremus; &c. Non sequitur, ex eo quod duodecim Apostoli constituti sunt, unum non fuisse constitutum Apostolum supremum.

118. *Resp.* 2°. Distinguo minorem: Petrus nullam accepit jurisdictionem, quam ceteri non acceperunt, quoad speciem: Transeat: In illa specie ampliorem et superiorem: Subdistinguo: Iis occasionibus, quibus tributum est omnibus conjunctim hoc et illud apostolici ministerii munus: Concedo: Iis aliis occasionibus, quibus ipsi soli sua munera propria tradita sunt: Nego. Dixi "transeat," quia, etsi munus Petri primatiale non solum gradu sed etiam specie discrepat saltem a munere episcopali seu successorum Apostolorum, opus non est ut sermo de hoc immisceatur distinctioni. Quæ Petrus communia cum ceteris Apostolis acceperit, quæ sibi propria, et quomodo ex his sibi propriis constitutus fuerit omnium caput et moderator, jam explicabitur.

119. *Urgetur* minor, n. 116. (1°.) Petrus constitutus est Apostolus; ceteri æqualiter constituti sunt Apostoli: Luc. vi. 13. (2°.) Fundamentum erat Ecclesiæ; ita et illi fundamenta erant: Apoc. xxi. 14; Ephes. ii. 20. (3°.) Accepit claves Ecclesiæ; ita et illi, accepta potestate Ecclesiam aperiendi et claudendi. (4°.) Potestatem accepit ligandi et solvendi; ita et illi: Matth. xviii. 18. (5°.) Potestatem accepit pascendi oves Christi; ita et illi, et alii ab illis ad hoc munus designati; Ephes. iv. 11; Act. xx. 28; 1 Pet. v. 2. (6°.) Munus ei erat

universale, universam terram comprehendens; ita et illis: Matth. xxviii. 19; Marc. xvi. 15; Luc. xxiv. 47. Ita et cetera, quæcumque sint, charismata cum eo communia et æqualiter acceperunt.

120. *Resp.* Distinguo: Munus primum, secundum, quartum, quintum, sextum omnia communia cum aliis accepit: Concedo: Non accepit 1°, munus tertium et alia munera, quæ ceteri non acceperunt; nec 2°, munus quartum et quintum modo singulari sibique proprio, et primatum suum plane significante: Nego. *Duplici* modo Petrus a ceteris Apostolis definite et insigniter distinguitur; quorum utroque primatus ejus clare significatur, et invicte demonstratur.

121. PRIMO (infra, n. 132): Tria accepit Petrus charismata et munera summa, quæ nullus alius Apostolus nec omnes simul acceperunt.

I. Primo, constitutus est petra super quam Ecclesia universa ædificata est: n. 9, &c. Nullum alium ita constitutum fuisse, nec omnes simul, ex altissimo et Scripturæ et traditionis silentio manifestum est.

122. Nec minimum obstant textus oppositi. Non Ephes. ii. 20 ("superædificati super fundamentum Apostolorum," &c.), ut supra, n. 82, probatum est. Multo minus obstat Apoc. xxi. 14:—"Murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni." Etenim 1°, sermo hic non est de Ecclesia militante sed triumphante. Lubenter tamen concedo verba ad Ecclesiam militantem accommodari posse. Dico igitur 2°, duodecim Apostolos hic exhiberi non tanquam unum fundamentum efficientes, sed tanquam fundamenta duodecim: Petrus vero est petra unica, fundamentorum fundamentum firmum et firmans.

123. II. Petrus constitutus est principium unitatis et indefectibilitatis Ecclesiæ, ex eo quod factus est Ecclesiæ firmamentum solidissimum, et per eum stare debet ut hostes ejus eam nunquam vincerent, et omnes firmarentur in fide: supra, n. 50, &c. Nec alium Apostolum nec omnes simul hoc munere auctos fuisse, ex eodem silentio Scripturæ et traditionis concluditur.

124. III. Petrus solus constitutus est rex regni Christi, et supremus totius ovilis Christi pastor: n. 41, 64. Quæ in contrarium opponunt BARROW et alii facile dissolvuntur.

125. *Urgent* 1. Ceteri apostoli claves eo ipso acceperunt quod acceperunt potestatem aperiendi Ecclesiam, admittendo in eam extraneos; claudendi, extrudendo hæreticos, &c. *Resp.* Hæc objectio jam soluta est, n. 94.

126. *Urgent* 2. Quidam SS. Patres affirmant claves omnibus Apostolis communicatas fuisse.

127. *Resp.* Distinguo: Ita Petro a Christo datas, ut non ad proprium commodum sed ad bonum commune iis uteretur; vel ut aliis eas, sensu jam exponendo, communicaret: Concedo: Aliis datas formaliter et immediate a Christo, quomodo Petro datæ sunt: Nego. Quod per claves simpliciter et in genere intellectas significatur, nempe, jurisdictio, omnibus Apostolis datum est immediate a Christo, ut cum dixit, "euntes docete," &c.; sed soli Petro datæ sunt claves totius Ecclesiæ, "claves regni cœlorum;" ille solus totius Ecclesiæ rex creatus est. Jamvero de ipsa natura et essentia est potestatis regiæ, seu (si hoc vocabulo uti nolis) potestatis supremæ in uno homine collocatæ, 1°, ut habeatur et exerceatur in bonum publicum, in bonum totius reipublicæ; 2°, quoniam

rex non potest per se solus universam rempublicam, præsertim si ampla et amplissima sit, moderari, ut suam jurisdictionem plus minus aliis cummunicet. Isto sensu Patres loquuntur. Ita diserte S. OPTATUS (L. 7, n. 3):—"Bono unitatis beatus Petrus . . . . . et præferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum *communicandas* ceteris, *solus* accepit."

128. *Urgent* 3. Saltem negari non potest Apostolos ceteros singulos accepisse potestatem pascendi agnos et oves: qui enim Apostolis inferiores erant hac potiti sunt auctoritate, ut constat ex textibus indicatis, n. 119, 5°. Sed jurisdictio Apostolorum singulorum universalis erat. Ergo habebant singuli auctoritatem pascendi omnes agnos et oves.

129. *Resp.* Distinguo tertiam propositionem: Habebant singuli, vel, præter Petrum, habuit quisquam eorum auctoritatem pascendi omnes omnino, ipsis Apostolis inclusis: Nego: Alios omnes præter Apostolos: Subdistinguo: Habebant potestatem pascendi: Concedo: Potestatem supremam et independentem, nec Petro, in regimine universalis Ecclesiæ, subjectam: Nego. De auctoritate Apostolorum, ut sic, et collata cum auctoritate primatiali S. Petri, vid. D. 18, n. 349, &c.

130. *Urgent* 4. Ex textibus indicatis n. 119, 6°, (quos, utpote toties allatos et omnibus notos, non est opus hic exscribere) patet jurisdictionem singulorum Apostolorum ex æquo universalem esse.

131. *Resp.* 1°. Munus istis locis mandatum, Apostolis conjunctim, ut corpori, assignatur, non singulis per se: infra, n. 133. *Resp.* 2°. Distinguo: In munere, quod istis locis significatur, impertiendo, nulla fit Apostolorum distinctio, sed omnes æqualiter munus illud acce-

perunt: Concedo: Ergo in aliis locis, ubi sermo de alio munere est, quod Petro soli creditur, omnes æqualiter vel ullatenus munus hoc acceperunt: Nego.

132. SECUNDO (n. 120–1): Potestas ligandi et solvendi, quæ omnibus conjunctim tributa est (Matth. xviii.), Petro per se et seorsum tributa est (Matth. xvi.). Ex quo sequitur invicte Petrum supremam accepisse potestatem ligandi et solvendi, quam nullus alius accepit, nec ceteri omnes, Petro sejuncto, acceperunt.

133. 1°. Potestatem istam Apostolis conjunctim et ut corpori tributam esse manifestum est ex ipsa verborum forma, "quæcumque alligaveri*tis*" &c.; et adhuc clarius ex contextu:—"dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen amen dico vobis, quæcumque alligaveritis" &c. Potestas hic plane *Ecclesiæ* datur seu promittitur.

134. 2°. Ex ipsa vi verborum, secundum universalem usum loquendi, potestas aliqua (idem dic de quocumque munere vel officio) pluribus conjunctim impertita, non tota singulis impertitur, nisi id aliunde significetur. Singuli quidem eam participant; sed quo gradu et mensura non ex ipsa nuda largitione, sed ex circumstantiis vel aliis signis, statuendum est. Si plures negotio alicui exequendo præficiantur, non singulorum sed omnium munus est negotium totum exequendi. Sic, in senatu singuli non habent potestatem condendi leges.

135. 3°. Si vero plures alicui operi æqualiter præficiantur, et si unus aliquis, sive inter illos sive extra, eidem operi, eadem mandati forma, per se seorsum præficiatur, tunc huic per se creditur munus plenarium opus illud exequendi. Sic, si duodecim constituantur duces qui exercitui alicui præsint, et si unus ex iis per

se, mandato singulari, dux totius exercitus constituatur; planum est eum esse totius exercitus ducem, ducem ducum, et in se habere plenitudinem auctoritatis, qua nullus alius gaudet. Similiter, si duodecim magistratus constituerentur ad regnum aliquod regendum, et si unus ex iis constitueretur per se ad universum regnum moderandum, idem diceretur. Vid. VEITH, de Rom. Pontifice, § 9.

136. Quæcumque ulli Apostolo, vi mandatorum illis in communi datorum, inerat potestas, hanc habuit Petrus. Eodem modo, eodem jure, quæ ei per se tributa est, is per se habuit :—"Cum multa solus acceperit [Petrus], nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit . . . . . De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores; omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus." S. LEO, Sermo 4, n. 2.

137. Hæc ad solvendam objectionem. Non est autem prætermittenda omnis mentio singularis modi loquendi, quem adhibuit Christus, Petro sua munera propria impertiens. 1°. Petrus factus est petra. 2°. Super eum ædificata est Ecclesia. 3°. Accepit claves universalis Ecclesiæ; 4°. potestatem universalem ligandi et solvendi; 5°. confirmandi frates; 6°. pascendi agnos et oves. Ex his sola potestas ligandi et solvendi, eadem forma verborum, omnibus tribuitur Apostolis; iisque non singulis, ut dictum est, sed conjunctim et ut corpori.

138. *Object.* 20. Singulorum Apostolorum æqualis et suprema erat auctoritas. Aliud non est munus in

Ecclesia apostolico superius : ut constat ex Matth. x. 14, 15; xxviii. 18–20; Joan. xiv. 16; xvi. 13; xx. 21–23. Petrus ergo non habuit auctoritatem supremam aliam ab ea, qua ceteri Apostoli singuli potiti sunt. PALMER, vol. 2, pag. 370–1; BARROW, pag. 52; POTTER, pag. 49.

139. Hæc objectio vix a præcedenti, nisi forma verborum, discrepat; et ex dictis a n. 117 satis disjecta est. Breviter ergo ad eam *Resp.* 1°. Nego primam propositionem, vel distinguo : Spectato mandato et munere Apostolico per se solo: Concedo: Spectato mandato et munere Petri singulari et proprio : Nego. 2°. Nego secundam propositionem, vel distinguo : Aliud non est munus superius ejusdem generis : Concedo : Alterius generis : Nego. 3°. Nego tertiam propositionem, vel distinguo : Si aliam auctoritatem superiorem Petro non tribuerit Christus : Concedo : Si tribuit : Nego: Eam vero tributam esse demonstravimus.

140. Textus autem indicati, n. 138, significant quidem charismata et munera præcellentissima Apostolis conjunctim tributa fuisse : nequaquam vero significant ea, quæ Petro per se tributa sunt, ipsius propria non fuisse. Apostoli v. g. acceperunt donum infallibilitatis (Joan. xiv. xvi.), potestatem remittendi peccata (ib. xx.), et docendi omnes gentes, &c. (Matth. xxviii.). Num ergo Petrus non constitutus est solus petra Ecclesiæ et pastor ejusdem supremus ? Num ergo non accepit solus claves regni Ecclesiæ ? Num ergo non accepit per se potestatem eamdem ligandi et solvendi, quam accepit corpus Apostolorum ?

141. *Object.* 21, ex 1 Cor. xii. 28 :—" Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophe-

tas, tertio doctores, deinde virtutes," &c. S. Paulus hic intendit munera primaria ecclesiastica, ordine præeminentiæ, enumerare; ut constat ex verbis "primum—secundo —tertio." Quo posito animo S. Pauli, sic objicitur:—S. Paulus primo loco recenset eos, qui munere supremo et excellentissimo potiti sunt. Atqui Apostolos primo loco recenset. Ergo Apostoli, &c. BARROW, pag. 52; PALMER, STILLINGFLEET, &c.

142. *Resp.* I. ad primam propositionem, Distinguo: Munera ecclesiastica, quatenus præcipue in iis elucent dona et charismata S. Spiritus, enumerat S. Paulus: Concedo: Quatenus pertinent ad hierarchiam jurisdictionis: Nego. S. Paulum nequaquam de hierarchia jurisdictionis hic sermonem habere, nec de ordine præeminentiæ inter ejusdem munera, sed de solis charismatibus et donis spiritualibus, manifestum est 1°, ex uno tenore orationis totius ab initio hujus capitis 12 usque ad finem capitis 14. Initio enim illius capitis ad novam hanc materiam de charismatibus istis aggreditur, eamque unice ad finem capitis 14 prosequitur, iis exceptis quæ, ad rem apprime, gravissima et pulcherrima interponit (cap. 13) de excellentia charitatis præ omnibus charismatibus—ne uno quidem verbo per totum habito de muneribus jurisdictionis. Idem patet 2°, ex ipso textu objecto, in quo plura enumerat, quæ diversa omnino sunt a jurisdictione, nempe, prophetas, virtutes, gratias curationum, &c.

143. Ex his tota statim concidit hæc objectio, tum ut positiva tum ut negativa (infra, n. 164). Petrus enim charismata illa non habuit ut Primas Ecclesiæ, sed tantum ut Apostolus; nec in iis ulla ei promissa vel data est præeminentia officialis. Mentio ergo primatûs

in textu non solum extra rem esset, et menti S. Pauli repugnaret, sed falsum insinuaret, imo plane significaret, nempe, Petrum, non ut Apostolum sed ut Primatem, istis charismatibus cumulatum fuisse.

144. Sed dato S. Paulum voluisse hierarchiam jurisdictionis recensere, et etiam secundum ordinem præeminentiæ; *Resp.* II. ad syllogismum, n. 141: Concedo totum. Recte enim Apostolos vocaret primos; quia primi revera fuerunt, etsi inter eos unus fuit primus omnium, primus primorum.

145. *Object.* 22, ex 2 Cor. xi. 5; xii. 11 :—"Existimo enim nihil me minus fuisse a magnis [Gr. ὑπερλιαν,, supra modum] Apostolis . . . . . nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli." Hæc de seipso affirmare non potuit Paulus, si Petrum auctoritate superiorem habuerit. BARROW, pag. 74, et alii passim.

146. *Resp.* Distinguo: Si Petrum quatenus Apostolum: Transeat: Si Petrum alio titulo auctoritate superiorem habuerit: Nego. Manifestum est ex cap. x. xi. xii., et definite ex x. 2, 10; xi. 13, quosdam pseudoapostolos mentes Corinthiorum a Paulo avertere conatos fuisse, quasi in apostolica doctrina, gratia, &c., ceteris inferior esset, secundum carnem ambulans, sermonis contemptibilis, &c. Vult ergo hic tantum ostendere se in omnibus verum esse Apostolum, ceteris æqualem. Hoc ex capitibus istis vel leviter inspectis clare patebit, v. g., ex xii. 11, 12 :—"Ego enim a vobis debui commendari: nihil enim minus fui ab iis qui sunt supra modum Apostoli: tametsi nihil sum: signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus."

147. Hæc dicta sunt, posita interpretatione apud veteres communiori, nempe, S. Paulum hic loqui de veris

Apostolis, et intelligere Petrum, Jacobum et Joannem. Alia est interpretatio, quam, ut testatur A LAPIDE, plerique recentiores (Catholici utique) amplectuntur, et secundum quam non veri Apostoli sed pseudoapostoli ironice significantur. Hanc interpretationem tenet et propugnat ALFORD, pro ea citans novem alios auctores Protestanticos. Posita hac interpretatione, patet omnem locum objectionis evanescere.

148. *Object.* 23, ex Galat. ii. 11–14 :—"Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim," &c. Superiorem inferior non debet reprehendere. S. Paulus hic Petrum licite reprehendit. Ergo, &c. *Idem*, pag. 76, et alii passim.

149. *Resp.* I. Distinguo majorem : Si superior non sit reprehensibilis, vel si reprehensio fiat sine urgenti necessitate vel modo non idoneo : Concedo : Secus : Nego—præsertim si 1°, in materia reprehensionis reprehendens et reprehensus paris sint auctoritatis, et si 2°, urgeat ratio boni publici.

150. 1°. S. Paulum hic ex solo motivo boni publici egisse satis evidens est. 2°. Uterque in hac materia paris erant auctoritatis ; seu potius tota res non tam ad auctoritatem quam ad prudentiam pertinebat. Questio enim tota erat de facto personali Petri, non utrum in se et intrinsece malum esset (versabatur enim in materia per se et intrinsece indifferenti), sed an conveniens et expediens esset. Petrus quod egit ex motivo prudentiæ et charitatis egit, timens ne aliter scandalizaret Judæos : Paulus majori prudentia (majorem forsan in ista re experientiam habens) Petrum non convenienter egisse judicavit, eumque ob id, sed charitate non majori, reprehendit. De his, et an Petrus venialiter peccaverit (eum enim non peccasse mortaliter omnino

certum est), vid. SUAREZ, de Legibus, l. 9, præsertim c. 20, n. 23, &c.; VASQUEZ, in l. 2. d. 182, n. 52, &c.

151. *Resp.* II. Ad minorem. Sententia quæ affirmat Cepham de quo hic sermo est, necnon et Joannem, qui cum eodem Cepha vers. 9 nominatur, non fuisse Apostolos horum nominum, sed duos ex discipulis 70 (etsi eam ut omnino improbabilem rejiciat SUAREZ, ibid c. 15, n. 4, &c), et graves habet auctores, et momentis gravibus nititur. Hæc videas apud COLLET, de Legibus, c. 4, s. 9, punct. 4; NEUBAUER (Theologia Wirceburg.), ibid. c. 2, A. 4; et alios, sed præ ceteris in commentario nuper (Octob. 1864) Romæ edito, quod continetur in libello bimestri, cui titulus "Analecta Juris Pontificii," vol. 4, pag. 897, &c.

152. *Resp.* III. Tantum abest ut reprehensio reprehensum parem vel inferiorem esse necessario indicet, ut eo fieri possit modo quo excellentia præstantiaque reprehensi plane significetur; v. g. ex modo quo errantem patrem, parochum, Episcopum reprehenderet bonus filius, parochianus, presbyter. Hinc quoniam in eo hic est Paulus ut pseudoapostolorum repellat calumnias, suamque auctoritatem apostolicam firmet, fieri potuit ut hanc Petri reprehensionem a se factam tanquam insigne istius auctoritatis argumentum allegaret; quasi diceret—"Adeo verum et plenum apostolatum accepi, ut et ipsi Petro, Apostolorum principi, restiterim." Ad rem sunt verba S. CYPRIANI, Epistola 71, n. 3, et S. AUGUSTINI, de Bapt. contra Donat. l. 2, n. 2.

153. *Object.* 24. "Creditum est mihi evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes:" Gal. ii. 7, 8. Ergo 1°, par erat utriusque, in propria provincia, auctoritas; 2°, Paulus apud gentes

absolute sui juris erat, sicut Petrus apud Judæos. *Idem*, pag. 20, et alii passim.

154. *Resp.* Non est sermo hic de Petro nisi ut Apostolo, prædicante Evangelium, ecclesias instituente, signa apostolatus manifestante, &c. Singulis Apostolis suæ propriæ obtigerunt provinciæ; Petro et Paulo, quodam speciali modo. Ad *primum* ergo: Distinguo: Quatenus erant Apostoli: Concedo: Petro non erat auctoritas propria et suprema in omnes provincias: Nego, secundum probata nostris argumentis. Ad *secundum:* Paulo apostolatus præputii specialiter obtigit, æque ac Petro apostolatus circumcisionis: Concedo: Petro non erat subordinatus Paulus in universa Ecclesia regenda: Nego. Nihil est in textu quod jus illud Pauli independens vel minimum sonet.

155. *Object.* 25. "Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum:" 2 Cor. xi. 28. Qui curam habet omnium ecclesiarum, i. e., universæ Ecclesiæ, auctoritatem habet nulli subjectam. *Idem*, ibid, et alii multi.

156. *Resp.* I. Qui curam habet supremam et nulli subjectam: Concedo: Secus: Nego. Dari enim potest cura et auctoritas universalis alteri auctoritati superiori et supremæ subjecta. II. Paulus loquitur hic, non de auctoritate, sed de anxietate et sollicitudine. Quod patet 1°, ex toto contextu, præsertim ex immediate sequentibus:—"Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?" 2°., ex vocabulo quo utitur, μεριμνα, quod, non auctoritatem, sed mentis anxietatem sonat. III. Satis probabile est S. Paulum non de universa Ecclesia loqui, sed de ecclesiis quarum ipse curam habebat specialem, nempe, gentium: quod concedunt Whitby, Bloomfield, &c.

157. *Object.* 26. Missus mittente auctoritate inferior est. Petrus vero missus est ab Apostolis:—"Cum autem audis-

sent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem :" Act. viii. 14. WHATELY, " Cautions for the Times," n. 3, et alii multi.

158. *Resp.* Distinguo majorem : Si missus ut inferior mittatur : Concedo : Si ut superior : Nego. Sicut aliquis ut inferior mitti potest, v. g. famulus ab hero ad mandatum exequendum, ita et ut superior ; quomodo sæpius conventus hominum præsides suos alicui negotio delegant, præsertim si grave sit negotium. Sæpius quoque fit ut mittantur homines, nec ut superiores nec ut inferiores, sed ut aptiores ad negotium cui delegantur bene gerendum. Petrus sine dubio non imperatus sed rogatus est, socio Joanne. Vid. A. LAPIDE, in loc.

Objectiones ex Scriptura Negativæ, et ex Ratione.

159. *Object.* 27. Deus non tribuit Petro munus, cujus partes implere nequaquam potuit. Atqui munus istud pastoris œcumenici Petrus nequaquam administrare potuit. BARROW, pag. 100, et alii.

160. *Resp.* 1°. Deus, uti demonstravimus, munus illud Petro assignavit : ergo Petrus eo fungi potuit. 2°. *Factum* est universo mundo patentissimum Romanos Pontifices officium illud exequi, Catholicam Ecclesiam qua late per orbem patet regendo. Sive id jure præstent sive non, certissime præstant. Quod autem factum est, impossibile non est. 3°. Distinguo minorem : Per se solus : Concedo : Per se et per alios conjunctim : Nego. Nonne supremum gubernium alicujus regni universum regnum vere moderatur, etsi varia officia particularia in variis locis per magistratus particulares exercet ?

161. *Object.* 28. Si Petrus primatum habuerit, eo usus fuisset. Eo autem usus non est. *Idem,* pag. 101, et alii multi.

162. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Si eum habuerit, prout apostolatum habuit, non in successores derivandum, nec propter tempora sequentia sed propter ævum apostolicum institutum, et ergo vel a seipso vel a nullo unquam exercendum: Concedo: Si non tam propter Apostolos et ævum apostolicum, quam propter tempora post-apostolica in perpetuum, a successoribus suis exercendum, primatum acceperit, necesse fuit ut eo uteretur, quomodo in seculis sequentibus eo utendum erat: Nego.

163. *Resp.* 2°. Distinguo minorem: Non postulante necessitate vel utilitate: Concedo: Postulante: Subdistinguo: Et tunc jurisdictione primatiali usus est: Concedo: Isti usus seu functiones in Scriptura memorari debent: Nego. Ut hic prætermittamus quæstionem de Scriptura tanquam perfecta regula fidei (c. 11); istæ functiones pura facta erant vitæ Petri. Jamvero res gestæ Apostolorum paucissimæ in Scriptura narrantur. In Actibus Apostolorum quædam Petri facta insignia per annos aliquot primum narrantur, deinde plura Pauli. Ceterorum Apostolorum, sive in Actibus sive in Epistolis, nulla vel fere nulla habentur.

164. *Object.* 29, ex Ephes. iv. 11:—"Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores," &c. S. Paulus hic enumerare suscipit varia munera in Ecclesia a Deo constituta. Atqui primatum inter ea non enumerat. Ergo nullum tale munus in

Ecclesia extitit. *Idem*, pag. 52, et alii passim. Vid. supra, n. 143.

165. *Resp.* 1°. Distinguo primam propositionem: Enumerare suscipit aliqua munera, quorum enumeratio ad rem de qua agebatur pertinebat: Concedo: Omnia munera, vel munera aliqua quorum enumeratio ad rem non pertinebat: Nego. In eo est S. Paulus ut charitatem et concordiam fraternam inculcet, ut legenti caput patebit. A vers. 4 hanc suadet concordiam ex unitate quæ in religione Christiana per omnia eminet. A vers. 7, docet varia charismata Ecclesiæ tributa huic concordiæ non solum non obstare, sed eam mirifice fovere. Mens ejus ergo non fuit indicem munerum ecclesiasticorum proferre, sed quædam tantum, exempli causa, indicare. In his vero indicandis notandum est, pleraque munera hic memorata ordinaria non fuisse et in Ecclesia permansura, sed extraordinaria et ad tempus tantum duratura, nempe, munera Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarum.

166. *Resp.* 2°. Distinguo secundam propositionem: Non memorat ipsum munus primatiale: Concedo; nullum enim munus nominat, sed munera habentes: Primatem ipsum: Subdistinguo: Ut sic: Concedo: Ut Apostolum, modo generali, inter ceteros Apostolos: Nego. Hoc autem, quod attinet ad propositum ejus, satis erat.

167. *Object.* 30. S. Petrus duas scripsit Epistolas, in quibus nullam sui primatus mentionem facit, nihil de eo insinuat. Ita non egisset, si se primatem fuisse credidisset. *Idem*, pag. 62, et alii passim.

168. *Resp.* Distinguo minorem: Si scripserit ut primas: Transeat: Si scripserit ut Apostolus tantùm: Nego.

Eum vero scripsisse ut Apostolum tantùm patet 1°, ex eo quod, ut primas, scribere non *potuit* epistolas inspiratas, quales istæ duæ sunt. Donum inspirationis primatui nullo modo tributum est; alioquin in successores Petri derivaretur. Patet 2°, ex utriusque epistolæ inscriptione:—"Petrus Apostolus Jesu Christi, elcetis advenis," &c., 1 Pet. i. 1; "Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Christi, iis qui," &c. 2 Pet. i. 1.

Ex 71 objectionibus quæ in opere majori proferuntur has 30 delegi: ceteræ ibidem videantur.

CAPUT OCTAVUM DECIMUM.

DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.

1. Primatu Petri statuto, duæ restant quæstiones solvendæ: 1°. An primatus ille jure divino perpetuus esse debuerit in Ecclesia? seu, aliis verbis, An jure divino Petrus successorem in primatu habere debuerit perpetuum? 2°. Quis sit ille successor? Prima quæstio præcipua est: eâ enim affirmative resolutâ, altera facile resolvitur. Si enim Petrus successorem jure divino habeat, is alius sane non est præter Romanum Pontificem. Nullus enim alius unquam habitus est pro successore Petri in primatu. Utraque quæstio simul et simpliciter resolvitur iis Traditionis testimoniis, quæ affirmant Romanum Pontificem esse totius Ecclesiæ jure divino rectorem: prima autem quæstio et Scriptura et Traditione solvitur.

2. Quæstio secunda a multis auctoribus seorsum tractatur, et in plures dispertitur: 1°, An Petrus Romæ unquam fuerit? 2°, An ibi mortuus sit? 3°. An episcopatum Romanum susceperit? 4°, An hunc episcopatum unquam deposuerit? Sunt (ut Billuart, d. 4, A. 2; Cercia, s. 2, L. 1; &c.) qui sentire videntur hæc omnia, ne nutet primatus Romani Pontificis, affirmanda esse. Alii vero, ut puto, communius (Bellarm. l. 2.

c. 1; COLLET, de Ordine, c. 3, n. 176; VEITH, § 18, &c.) censent nonnisi tertium et quartum necessario affirmandum esse. Et merito quidem: ut enim R. Pontifex sit verus successor S. Petri, sufficit Petrum episcopatum Romanum suscepisse, eumque ad mortem tenuisse; utrumque autem præstare potuit, etsi Romam ipse nunquam adiisset.

3. Neque vero necessarium fuit ut Petrus episcopatum Romanum unquam reciperet, multo minus et eum ad mortem usque sustineret. Fieri enim potuit ut successio in primatu, non ex successione in alioquo episcopatu particulari, quem Petrus susciperet, penderet et haberetur, sed ex designatione Petri definientis Episcopum hujus vel illius sedis, v. g. Romanæ, successorem ejus in primatu fore. Cum enim hæc omnia ex libera Dei voluntate pendeant, bene fieri potuit vel ut Petro, Deo dante, integrum esset, ut quam ipse designaret episcopalem sedem, in ea esset successio primatialis; vel etiam ut Deus ipse revelaret Petro sedem, in qua successio ista constituenda et perpetuanda esset.

4. Resolutio ergo quæstionis (Quis est Petri successor in primatu?), polemice et contra adversarios nostros spectatæ, nequaquam pendet ex resolutione istarum quæstionum de factis (n. 2). Ut enim jam dictum est, ex Scriptura et Traditione invicte demonstratur Petro jure divino successorem esse in primatu. Is alius esse non potest quam R. Pontifex—quocumque modo hæc successio primo constituta fuerit, sive successione in episcopatu Romano Petri, sive libera designatione Petri, sive decreto divino Petro revelato. Quoniam enim ab initio R. Pontifex, isque *solus*, pro successore Petri habitus est ab universa Ecclesia; ergo vel dicendum est eum verum esse succes-

sorem, vel dicendum est universam Ecclesiam ab initio non solum suum verum Caput supremum nunquam agnovisse, sed aperte caput aliud ficticium appellasse eique paruisse.

5. Hæc polemice, et contra adversarios, dicta sunt. Si vero res trutinâ veritatis historicæ et dogmaticæ examinetur, sine dubio ad quatuor quæstiones supra (n. 2) positas affirmative respondendum est. De prima sola, quod in ea ceteras niti putent, disceptant plerique quos vidi recentiores adversarii. Argumenta ergo quæ eam affirmant breviter indicata et objectiones istorum recentiorum præcipuæ breviter dissolutæ videantur, D. 19, n. 8, &c.

6. Præter quæstionem illam de Petri habitatione Romæ, alia est de modo quo episcopalem suam sedem in Romam transtulit, ibique eam permanenter constituit; utrum, nempe, ita ex speciali revelatione et mandato divino egerit, an vero motu proprio, Deo quidem consilium ejus occulte dirigente, quomodo tot alia in Ecclesia quotidie dirigit, sed sine ulla revelatione vel mandato. Hæc quæstio ut pure vel fere pure domestica a theologis tractatur.

7. De fide Catholica est primatum Petri esse jure divino perpetuo continuandum, et, quod idem sonat, successorem Petri in primatu primatum illum omnemque ejus auctoritatem jure divino habere. Veritas est Catholica, ab omnibus obligatorie credenda, Romanum Pontificem, eumque solum, verum esse Petri in primatu successorem: quod infallibiliter constat ex perpetua fide et testimonio Ecclesiæ et expressa definitione, c. 17, n. 2. Duas ergo habes propositiones, quarum altera de fide est, altera factum saltem dogmaticum, infallibiliter

certum et definitum, ex quibus sequitur conclusio theologica, nempe, Romanus Pontifex primatum habet jure divino.

8. Gravis autem quæstio est, an R. Pontifex sit non solum verus et certus successor Petri, sed etiam successor jure divino. Ad hanc quæstionem clare intelligendam, notandum est modum successionis constituendæ quadruplicem potissimùm concipi posse. Primus modus esset, si Deus ordinasset ut Petrus nullam sedem particularem reciperet, et ut, eo decesso, Ecclesiæ integrum esset quem vellet successorem ejus eligere. Certum est hoc modo successionem non esse constitutam. BALLERINI, de Vi ac Ratione Primatus, &c. c. 1, n. 2.

9. Secundus modus esset, si, absque ullo mandato divino, Petrus particularem sedem elegisset, statuens ut qui sibi in ista sede morienti succederet etiam in primatu succederet. Posita hac hypothesi, non video quomodo affirmari non possit R. Pontificem posse absolute sedem primatialem in aliam civitatem vel diœcesim transferre. Omnem enim habet jurisdictionem quam habuit Petrus. Dixi Rom. Pontificem, in hac hypothesi, posse sedem mutare, non autem Ecclesiam vel Concilium generale, nisi in iis comprehendas Pontificem. Ut enim sæpius dictum est, seposito Pontifice, in jure universali nihil potest Ecclesia vel Concilium.

10. Tertius modus esset, si Deus Petro liberum fecisset quam vellet eligere sedem, sed simul statuisset ut quam decedens teneret sedem in ea primatus in perpetuum contineretur; seu, aliis verbis, successionem in episcopatu quem suum faceret Petrus eo ipso esse successionem in primatu ejus.

11. Quartus denique modus esset, si non solum particularem aliquam sedem eligendam esse statuisset Deus, sed etiam Petro revelans sedem Romanam definite et nominatim eligendam designasset. In hac hypothesi, de fide esset R. Pontificem, ut talem, esse successorem Petri jure divino, et habere primatum jure divino.

12. Sententia quæ secundum modum successionis affirmat paucos quosdam antiquos auctores habet, inter recentiores vere (quod sciam) nullum—saltem nullum qui eam ut solide probabilem tueatur. Etsi non damnata, mihi omnino falsa esse videtur. Tertium et quartum successionis modum tenent graves auctores: illum BENED. XIV., de Synodo, l. 2, c. 1, n. 44; BELLARM. l. 2, c. 12; PERRONE, n. 599–601; &c. hunc SUAREZ, de Fide, d. 10, s. 3, n. 10; SYLVIUS, Controv. l. 4, q. 1, a. 6; et alii plures. De his vid D. 19, n. 49, &c.

13. Notandum est cum auctoribus passim R. episcopatum et episcopatum œcumenicum non esse revera duos episcopatus, nisi, ut aiunt, potentialiter. Episcopatus Romanus constitutus fuit et est episcopatus universalis, quomodo Episcopus simplex constitueretur Archiepiscopus.

SECTIO PRIMA.—*Probatur Doctrina Catholica.*

PROPOSITIO. *Romanus Pontifex, S. Petri Successor, totius Ecclesiæ Jure divino Moderator est et Caput.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura.

14. Jure divino semper in Ecclesia successor esse debet S. Petri in primatu ejus. Successor iste Pontifex Romanus

est. Ergo, &c. Posita prima propositione, secunda ab omnibus admittenda est: n. 4. Sola prima ex Scriptura probari potest, et hisce argumentis firmatur.

15. ARGUMENTUM I. Petrus creatus est petra Ecclesiæ pro bono Ecclesiæ, nempe, ut eam securam et invictam in perpetuum servaret: c. 17, n. 33, &c. Pro bono Ecclesiæ Petrus constitutus est custos ejus et firmator, nempe, ut eam contra omnes incursus satanicos tutam faceret: ibid. n. 50, &c. Pro bono Ecclesiæ factus est pastor ejus: ibid. n. 61. Si ergo pro bono Ecclesiæ unice constitutum est munus primatiale, perpetuo manet in Ecclesia: idem enim bonum, mortuo Petro pariter ac vivo, perpetuo assequendum decrevit Deus.

16. Si *objicias* non omnia quæ ad bonum Ecclesiæ constituta sunt, in ea erant continuanda; *Resp.* Distinguo: Non omnia quæ pro bono Ecclesiæ constituta sunt, in eâ primo fundandâ (in fieri esse, ut loquuntur theologi in alia materia): Concedo: Quæ pro bono Ecclesiæ constituta sunt, ut jam fundatæ et conditæ (in facto esse): Nego. Quæ prioris sunt generis, ut sic, vi termini non erant perpetuo mansura. Quæ posterioris sunt generis, pariter vi termini, manere debent, v. g. munus prædicandi, baptizandi, leges ferendi, &c. Inter hæc vero plane numerandum est munus primatiale.

17. ARGUMENTUM II. Inter effectus intrinsecos muneris primatialis, et quos in eo creando manifesto voluit Deus, unus est qui præcipuum tenet locum, nempe, institutio et perpetua conservatio unitatis Ecclesiæ. Hoc patet ex prima parte textus Matth. xvi. 18, 19: eo enim fine Petrus creatus est petra firmissima, et super eam ædificata est Ecclesia, ut portæ inferi non prævalerent adversus Ecclesiam, i.e. ut (inter alia) una conservaretur: c. 17, n. 17,

18. Eo fine factus est rex Ecclesiæ, non plurium ecclesiarum: "tibi dabo claves regni," non "regnorum."

18. Jamvero, si munus primatiale constitutum est ut medium quo conservaretur unitas Ecclesiæ, perpetuum esse debet; unitas enim illa, ut c. 5 demonstratum est, perpetua est. Insuper, ut constat ex c. 17, l. c. Ecclesia non solum unitatem habet, sed unitatem perpetuam et indeficientem, ex eo quod super petram ædificatur. Perpetuo enim usque in finem mundi connituntur potestates infernales, "portæ inferi," ut Ecclesiam scindant et demoliantur: nunquam autem adversus eam prævalebunt, *quia* super petram ædificatur. Semper ergo erit supra petram, et semper eam petra sustentabit.

19. ARGUMENTUM III. Ipsâ metaphorâ qua utitur Christus, Matth. xvi. 18, et modo quo eam exprimit et adhibet, clare significatur perpetuitas muneris ibi designati. 1°. Ipsum vocabulum "petra" quid immobile et permanens sonat. 2°. Ecclesia perpetua est et indeficiens; ergo et petra. Eandem enim relationem ad petram habet Ecclesia, quam domus vel aliud aliquod ædificium habet ad solum firmum super quod ædificatur. Si solum amoliaris, illico corruit domus: ergo, si demas petram, corruit Ecclesia. Sed Ecclesia nunquam deficere potest, perpetua est; ergo petra perpetua est.

20. ARGUMENTUM IV. Aliam formam seu constitutionem nunquam habere potest Ecclesia, præter eam quam a suo fundatore Christo habet: "ædificabo Ecclesiam meam." Ex probatis, c. 17, Christus ita constituit Ecclesiam suam, ut esset tota sub uno supremo rectore, ut omnes agni et oves unum haberent pastorem supremum. Hanc sacræ reipublicæ formam qui solus mutare potest non mutavit; immutata ergo manet in æternum. Ecclesia initio consti-

tuta est regnum, regnum unum, sub uno rege; ergo regnum unum, sub rege uno, permanet. Constituta est ovile unum, sub uno pastore; ergo ovile unum, sub uno pastore, permanet.

Probatur Propositio ex SS. Patribus.

21. Quomodo argumentum istud in hoc compendio exhibetur, vid. c. 17, n. 5.

"Ad hanc Ecclesiam [Romanam] propter potiorem [al. potentiorem] principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles." S. IRENÆUS, l. 3, c. 3, n. 2.

22. "Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur in cœlis, quod ille solvisset in terris." S. CYPRIANUS, ad Jubaianum, Epist. 73, n. 7.

23. "Hoc optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes." S. HILARIUS, Fragmentum 2, n. 9.

24. "Ipse est Petrus cui dixit: 'Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.' Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia." S. AMBROSIUS, in Psalm. xl. n. 30.

25. "Petrum discipulorum suorum principem elegit, ut perspicue declaratum est." S. EPIPHANIUS, Hæres. 51, n. 17.

26. "Petrus sic abluit illam abnegationem, ut etiam primus Apostolorum fuerit factus, eique totus terrarum orbis commissus fuerit." S. J. CHRYSOSTOMUS, Orat. 8, n. 3.

27. "Ego nullum primum, nisi Christum, sequens, Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. . . . . Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est." S. HIERONYMUS, Epist. 15, n. 2, ad Damasum Papam.

28. "Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum [percutiendi servum principis sacerdotum: Joan. xviii. 10] factus est pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptum factus est rector illius synagogæ?" S. AUGUSTINUS, contra Faustum, l. 22, c. 70.

His annectere liceat quosdam ex titulis et nominibus quibus a SS. Patribus ornatur S. Petrus.

29. (1) *Primus Apostolorum.* S. AUGUSTINUS, Tract. 56, in Joan. Evangel. n. 1, et alibi sæpius; THEODORET. in Genes. Interrogatio 110; S. PETRUS ALEXAND., Canon 9. (2). *Caput Apostolorum.* S. GREGOR. NYSS. Laudatio altera S. Stephani; S. OPTATUS, l. 2, n. 3. (3). *Coryphæus Apostolorum: ὁ κορυφαιος των αποστολων: ὁ κορυφαιοτατος τ. α.* EUSEB., in Psalm. lxviii. 8, 9; S. CYRILL. HIEROS., Catech, 2, n. 19; S. EPIPHAN., Hæres. 59, n. 7; THEODORET., in Psalm. ii. (4). *Omnibus discipulis præpositus: ὁ παντων αυτων προκεκριμενος.* EUSEBIUS, Demonstratio Evangelica, l. 3, n. 5. (5). *Princeps Apostolorum: princeps apostolatus.* S. HILAR., in Matth. vii. n. 6; S. EPHRAEM, Sermo 56 adversus hæres. (Syr. tom. 2, pag. 559); et Parænesis 62 (Syr. tom. 3, pag. 532); et in secundum Domini adventum (Gr. tom. 2, pag. 203); S. ORSIESIUS, de Institut. Monach., n. 17. (6). *Janitor cæli.* S. HILAR., in Psalm. cxxxi. n. 4; in Matth. xvi. n. 7. (7). *Clavgier cæli: της βασιλειας των ουρανων κλειδουχος.* S. CYRILL. HIER. Catech. 17, n. 27. (8). *Fundamentum Ec-*

clesiæ : Crepido Ecclesiæ : Primus Ecclesiæ lapis : Petra solidissima : columna firmans orbem : &c. ORIGEN., Hom. 5 in Exod. n. 4. S. HILAR., in Matth. xvi. n. 7 ; S. NILUS, Epist. 261; THEODORET., Orat. de Charitate. (9). *Supremus Ecclesiæ præco :* της εκκλησιας κορυφαιος κηρυξ. S. CYRILL. HIEROS., Catech., 11, n. 3. (10). *Pastor Dominici gregis : Pastor Ecclesiæ.* S. AMBROS. in Ps. xliii. n. 40: S. EPHRAEM, adversus Hæres., ubi supra ; S. AUGUST. supra, n. 28. (11). S. EPHRAEM in Encomio in Petrum et Paulum &c. (Gr. tom. 3, pag. 464), inter alias salutationes cumulatas, hæc habet :—"Salve, O Petre, *discipulorum lingua prædicantium vox, Apostolorum oculus, cœlorum custos, clavigerorum primogenitus.*" In Paulo et ceteris salutandis, etsi summis efferuntur laudibus, nihil ejusmodi invenitur. (12). Simili modo S. JOAN. CHRYSOST. in homil. de Debitore, n. 3 :—"Petrus *chori Apostolorum princeps, os discipulorum, columna Ecclesiæ, firmamentum fidei, confessionis fundamentum, orbis terrarum piscator* : ὁ του χορου των αποστολων κορυφαιος . . . . . ὁ της οικουμενης ἁλιευς. Idem similiter in alio loco, in illud "Hoc scitote," n. 4 :—"Petrus itaque *chori illius coryphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ :*" ὁ κορυφαιος του χορου, το στομα των απωστολων ἁπαντων, ἡ κεφαλη της φρατριας εκεινης, ὁ της οἰκουμενης ἁπασης προστατης, ὁ θεμελιος της εκκλησιας.

30. Simili modo Sedes Romana et Romanus Pontifex suis propriis titulis a Patribus indicantur. (13). *Sedes Apostolica.* Exempla hujus appellationis, quam præter Sedem Romanam nulli alteri tributam vidi, habes apud HARDUIN, tom. 1, pag. 1466, 1467, 1471, 1479; tom. 2,

pag. 67, 307, 346, 379, 386, 402, 466, 538, 643, 688, &c. (14). *Universalis Ecclesiæ Papa* seu Episcopus: της οικουμενικης εκκλησιας, πασης εκκλησιας, επισκοπου. HARD. tom. 2, pag. 386, 466, 467, 499, 643. (15). *Archiepiepiscopus totius orbis:* αρχιεπισκοπου πασης της οικουμενης. S. CYRILL. ALEXAND., Homilia 11, Encomium in S. Mariam Deiparam. (16). *Ecclesia principalis.* S. CYPRIANUS, Epist. 55, n. 44. (17). *Caput omnium ecclesiarum.* Paschasinus in Concilio Chalcedonensi, Actio. 1. (18) *Vocis B. Petri omnibus constitutus interpres.* Idem Concilium in Epistola Synodica ad Leonem, Romanum Pontificem. (19). *Cui vineæ custodia a Salvatore commissa est. Idem*, ibid. (20). *Caput Episcoporum ut filiorum. Idem*, ibid.

31. Argumenta alia plura, invicta et clara, ex Actis ejusdem Concilii Chalcedonensis, necnon et ex Actis Concilii Ephesini, vid. D. 19, n. 144–186.

SECTIO SECUNDA.—*Solvuntur Objectiones.*

Objectiones contra Argumenta ex Scriptura.

32. *Object.* 1. Ex regula juris septima in Sexto, "privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona." Atqui primatus privilegium fuit Petri personale. Quod probatur ex eo quod ei datus est propter ejus merita et dotes singulares et personales, v. g., propter eximiam ejus fidem, fortitudinem, &c. BARROW, pag. 111, et alii passim.

33. *Resp.* Primatus non erat privilegium, secundum usum hujus vocabuli probatum: de quo vid. auctores in tractatu de Legibus. Sed hoc prætermisso, Distinguo:

Primatus Petro potiusquam alii propter ejus singularia merita, &c. *tributus* est: Esto: *Institutus* est ad ista merita honoranda: Nego. Ex eo quod aliquis hoc vel illo munere præ ceteris, propter ejus merita singularia, augeatur, non sequitur munus eo fine institui ut iste præmio afficiatur.

34. *Urgetur* 1. Verba Christi ad Petrum, "Beatus es Simon Bar Jona," &c. omnia quid pure personale sonant. *Idem*, ibid.

35. *Resp.* Distinguo: Eo sensu quod munus hic Petro assignatum ei cum ceteris Apostolis commune non erat: Concedo: Eo sensu quod in isto munere Petrus successorem non erat habiturus: Nego. Verba Christi perpetuitatem istius muneris sonare supra probatum est, n. 17, &c. Verba Christi ad Petrum habita non magis personalia sunt quam quæ ad Apostolos omnes habita sunt, quibus significantur munera docendi, remittendi peccata, &c. Nemo autem negat Apostolorum in istis muneribus obeundis esse successores.

36. *Urgetur* 2. Omnia munera Petro data, pascendi oves, &c. ab ipso Petro integre et perfecte expleta sunt. Ergo sensus verborum Christi in uno Petro totus exhaustus est. *Idem*, pag. 112.

37. *Resp.* Nego consequentiam: vel consequens Distinguo: Si nonnisi vivente Petro Ecclesia contra portas inferi defendenda esset, fratres confirmandi essent, oves pascendæ, &c. Concedo: Si in finem mundi hæc omnia munera explenda sunt: Nego.

38. *Urgetur* 3. Initia alicujus societatis non possunt nisi semel poni. Ergo in eo quod Petrus, claves habens Ecclesiæ, eam primus aperuit; et in eo quod, ut petra,

prima fundamenta Ecclesiæ jecit, successorem habere non potuit. *Idem*, ibid.; PALMER, ii. 382, et alii.

39. *Resp.* Distinguo consequens: Si per metaphoras "clavium" et "petræ" non significetur nisi positio initiorum Ecclesiæ: Transeat vel Concedo: Si suprema auctoritas regendi, &c. significetur: Nego: vid. c. 17, n. 91, et loca ibi allegata.

40. *Object.* 2. Petrus aliud munus non habuit præter apostolatum. Atqui munus apostolicum non continuatur in Ecclesia. *Idem*, ibid. *Resp.* Hæc objectio solvitur ex dictis, c. 17, n. 117, &c. et hic, n. 15, 16.

41. *Object.* 3. Si quædam privilegia Petri in successoribus manent, quarenam non manent omnia? Quarenam non omnes Papæ sancti sunt ut Petrus, inspirati ut Petrus? Nulla est ratio affirmandi Papas alia privilegia habere, alia non habere. *Idem*, pag. 115.

42. *Resp.* Optima existit ratio, clara et invicta. Distinguo igitur: Papæ dona inspirationis, &c. habere debent, si dona ista eorumque continuatio iis locis significentur, quibus primatus significatur: Concedo: Si solus primatus ejusque perpetuitas significentur: Nego. Dona inspirationis, miraculorum, &c. habuit Petrus non ut Primas sed ut Apostolus: c. 17, n. 168.

Objectiones contra Argumenta ex Patribus.

43. *Object.* 4, generalis. Nullus est ex textibus allatis qui primatum integrum, cum omnibus juribus quæ ei vindicant Catholici, significat. Ita multi.

44. *Resp.* 1°. Esto. Adversarios hic non habemus, qui, tenentes R. Pontificem habere primatum jure di-

vino, negant hoc vel illud jus seu munus in isto primatu includi; sed adversarios habemus Protestantes, qui omnem omnino primatum, qui juris esset divini, ei denegant. Ad hos confutandos abunde sufficit ut probetur R. Pontificem esse jure divino totius Ecclesiæ pastorem et rectorem, sive hac vel illa specie jurisdictionis (v. g. potestate statuendi impedimenta matrimonii dirimentia) gaudeat, sive non gaudeat. Sic, si quis affirmaret genus reipublicæ in his regionibus democraticum esse, ad eum refellendum satis esset demonstrare eas a monarchis ab initio regi; quicumque est regiæ auctoritatis ambitus.

45. *Resp.* 2°. Esto iterum. Nullius istorum Patrum mens fuit totum ambitum primatûs definire, et omnia ejus jura et munia enumerare; quemadmodum, v. g. mens mihi est in hoc opere attributa Ecclesiæ enumerare et describere. In ipso Concilio Tridentino non enumerantur omnia jura R. Pontificis, sed tantum pauca quædam, alia diserte significata, alia indirecte significata vel insinuata. Sic et nostri theologi, nisi forsan in tractatu de Pontifice, si alicubi verbum fiat de ejus auctoritate, nonnisi illud munus memorant, cujus mentio ad rem de qua agitur pertinet. Idem dicendum de Incarnatione, de Gratia, de Sacramentis, &c. Ita et Patres et Concilia. Eadem lege, eodem consilio, scribunt omnes, qui recte scribunt, ea tantum proferentes quæ ad rem sunt.

46. *Resp.* 3°. Distinguo: Singuli textus Patrum et Conciliorum non omnia munera primatus significant: Concedo: Omnes conjunctim, alius hoc alius illud munus significans vel explicite vel implicite: Nego.

47. *Object.* 5, generalis. Nec Patrum textus nec Con-

ciliorum affirmant primatum R. Pontificis esse de jure divino. Ita omnes.

48. *Resp.* Distinguo: Non omnes textus jus illud divinum significant diserte: Concedo: Non omnes id significant, alii diserte alii implicite, alii suppositive seu subaudiendo, intelligendo: Nego. Harum significationum exempla habes in textibus allatis, D. 19, n. 67, &c., prout ex notulis quas eis subjecimus compertum habetur. Omnium conjunctim exempla habes in Epistola Concilii Chalcedonensis ad. S. Leonem: vid. ibid. n. 176.

49. *Object.* 6, generalis. Pauciora sunt testimonia primorum duorum seculorum, quam ut iis tantum dogma invicte ex testimonio et fide Ecclesiæ firmetur. Ita multi.

50. *Resp.* Distinguo: Nimis pauca sunt ista testimonia, quibus per se solis firmetur dogma: Transeat: Quibus, ceteris testimoniis adjectis, firmetur: Nego.

51. *Urgetur.* Si dogma affirmans primatum R. Pontificis universa Ecclesia, per ista secula, credidisset, plura debent extare testimonia istorum seculorum. Ita iidem.

52. *Resp.* Nego. Non una est ratio gravis et explorata penuriæ testimoniorum trium priorum seculorum; penuriam dico non simplicem et absolutam, sed seculis istis ad ea quæ secuta sunt comparatis.

I. Per ista tria secula in Ecclesiam sæviebant persecutiones immanes, si non continuæ, saltem, non longis temporum spatiis intermissæ. Episcopi et alii multi qui, temporibus tranquillis viventes, sine dubio animum ad studia sacra intentius retulissent, et scriptis suis Ecclesiam

illustrassent, in laboribus et ærumnis vitam agebant, et sine nomine, nisi ut sancti martyres vel confessores, mortem cum vita commutarunt. Hinc factum est ut inter ista secula adeo numero pauci fuerint scriptores ecclesiastici, ut uno seculo quarto multò plures extiterint quam totis tribus primis seculis. Insuper, per tota tria prima secula pauca celebrata sunt concilia particularia, nullum generale.

53. II. Scriptorum trium priorum seculorum, et etiam quarti et quinti, incredibile est quot omnino deperdita sint vel nonnisi mutila ad nos devenerint; ut inspicienti collectiones Patrum et Conciliorum facile patebit. *Omnia* testimonia primorum quinque seculorum, quæ de hoc argumento hodie extant, nobis plane favent; ut ex documentis in opere majori allatis, quibus alia multa adjici possent, manifestum est. *Nullum*, ne unum quidem, testimonium proferunt adversarii, quo nostra doctrina infirmatur; prout ex enodatis textibus ad id allatis (D. 19, sect. 3), patet. His momenta sequentia non leve adjiciunt robur.

54. III. Scriptorum quæ extant istorum seculorum haud pauca, vel in toto vel ex parte, apologetica sunt, contra paganos et Judæos. Alia pro argumento habent insanias gnosticas vel ex gnosticismo derivatas. Alia alia habent argumenta, longe extra rem nostram posita, in quibus tractandis nullus datus est locus verbum de R. Pontifice vel de S. Petro faciendi, vel etiam de aliis plerisque capitibus doctrinæ Christianæ. Talia sunt opera S. JUSTINI, TATIANI, ATHENAGORÆ, CLEMENTIS ALEXANDRINI, &c.

55. IV. Duæ erant causæ speciales cur primatus R. Pontificis non tam frequenter in istis seculis quam in

insequentibus ante oculos hominum versaretur, et in scriptis significaretur. 1°. Prima causa ex persecutionibus supra, 52, memoratis ortum habuit, quæ in R. Pontifices maxime ingruebant. S. CYPRIANUS, loquens de S. CORNELIO, R. Pontifice (Epist. 52, n. 9, ad Antonianum), affirmat eum "sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur; cum *multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem.*" In Breviario Romano, in festo Dedicationis Basilicæ SS. Salvatoris, 9 Novemb. (lect. 6), paucis vivide et vere depingitur conditio R. Pontificum per ista secula:—"Cum a sancto Petro usque ad Silvestrum, propter persecutiones, Pontifices certo loco consistere non possent; quocumque eos necessitas compulisset, sive in cryptas, sive in cœmeteria, sive in ædes piorum . . . . . sacra faciebant." Plane impossibile fuit ut qui istis temporibus vivebant R. Pontifices sua auctoritate, *etiam in ipsa diœcesi Romana regenda*, aperte et expedite uterentur.

56. 2°. Inter dogmata fidei sunt quæ nonnisi decursu temporis plus minus longo suam integram explicationem habent, suos eventus habent, factis rata sunt. Tales sunt prophetiæ omnes. Talia sunt dogmata plura quæ ad constitutionem et fata Ecclesiæ spectant, v. g. quæ affirmant catholicitatem Ecclesiæ, auctoritatem Conciliorum generalium, &c. Patet Ecclesiam, etsi jure divino catholicam, fieri non potuisse catholicam nisi decursu temporis. Nullum habitum est Concilium generale usque ad an. 325, quo Nicænum primum celebratum est.

57. Ejusmodi est dogma de primatu R. Pontificis. Creatum est munus primatiale, non ut Pontifices se negotiis particularium diœcesium quotidianis immiscerent, nisi specialibus rerum adjunctis postulantibus, vel nisi negotium esset quo universa tangeretur Ecclesia, qualis esset nova exorta hæresis. Hoc manifestum est: ex una enim parte, divino jure statutum est ut semper in Ecclesia essent Episcopi, qui suas greges seu ecclesias particulares regerent; ex altera vero, Summus Pontifex constitutus est qui universam Ecclesiam, non particulares, *ut sic*, regeret.

58. (a). Quod attinet ad particularia et extraordinaria rerum adjuncta, ut sunt scandala gravissima ab aliquo Episcopo data, violenta ejectio Episcopi e sede sua, &c., hæc regulariter multo opportunius a Patriarchis et conciliis finitimorum Episcoporum inspecta et composita sunt; *tum* quia per ista secula adeo difficilis erat a tot longinquis regionibus ad R. Pontificem aditus; *tum* quia adeo plerumque difficile erat R. Pontificem idoneos testes et documenta habere, quibus auditis et inspectis jus recte diceret; *tum* quia adhuc non adeo percrebuerunt nec adeo in oculos omnium incurrerunt mala, quæ, ex non consulto centro unitatis, lapsu temporis orta sunt.

59. (b). Quod attinet ad negotia quæ bonum totius Ecclesiæ respiciebant, quorum sine dubio gravissima est conservatio puræ fidei, R. Pontifices, ut omnes fatentur, in ea conservanda, vigilantiâ et diligentiâ erant singulari, summa, universali. Hoc adeo exploratum est ut una ex causis naturalibus et humanis, quibus initia dominationis R. Sedis accepta referunt adversarii,

illud ipsum fuerit studium singulare et ardens, quo R. Pontifices hæreticos debellabant et fidem sinceram conservabant.*

60. (c). Quod attinet ad gubernationem totius Ecclesiæ; ex ipsa rei natura, impossibile fuit ut omnia et singula munia primatûs, nisi tractu temporis, integre explicarentur et, ut ita dicam, in actum inducerentur. Nonnisi enim labente tempore, et prout Ecclesia, pace sibi reddita, novo rerum ordini accommodanda erat, sese prodere potuerunt multa objecta, circa quæ exerceretur auctoritas Pontificia; vel contigerunt necessitates et discrimina, quæ curam Pontificiam postularent. Sic, solius Pontificis est, per se vel per alios, concilia generalia convocare, iis præsidere eaque confirmare. Quomodo autem extare possunt testimonia ex tribus primis seculis de usu istorum jurium, cum toto illo tempore nullum ejusmodi concilium habitum sit, nec commode haberi potuerit? Sic, suprema potestas civilis jus habet bellum indicendi, nova imponendi tributa, &c., etsi fieri possit ut in aliqua natione, ex peculiaribus adjunctis, hæc jura a longo tempore exercita non fuerint.

61. Hæc satis de objectionibus generalibus: objectiones speciales disjectæ videantur, D. 19, n. 72, &c., 264, &c.

Objectiones contra Propositionem.

62. In opere majori objectiones ex quibusdam dictis Patrum, decretis Conciliorum et factis historicis, late

* "In fact, we find that the Roman Church was zealous to maintain the true faith from the earliest period; condemning and expelling the Gnostics, Artemonites, &c. And during the Arian mania it was the bulwark of the Catholic faith." PALMER, vol. ii. pag. 386.

examinantur. Ex altera parte, ea omnia integra hic exscribere, nimis hoc volumen distenderet, et ipsi rationi compendii repugnaret; ex altera vero, ea forma contractiori proferre, nec satis clare, nec sine gravi nostrarum solutionum injuria fieri posset. Inter quinque facta, quæ tanquam graviora urgeri solebant (D. 19, n. 517), celeberrimum est concitatio illa, S. CYPRIANO maxime agente, de rebaptizandis, contra STEPHANUM Papam mota. Inter textus Patrum sine dubio molestissimi sunt duo ex libro ejusdem S. CYPRIANI de Unitate Ecclesiæ excerpti. Factum illud et hos textus hic excutiemus. Facta et textus ceteri excussi videantur in eadem D. 19.

63. Notandum vero est scripta in causa illius controversiæ de rebaptizandis tota adulterina esse graves auctores, gravibus momentis nixi, et olim et recentius tenuerunt. Certum est ab ipso S. AUGUSTINO scripta ista saltem pro dubiis et probabiliter adulterinis habita fuisse: de his vid. ibid. n. 366, &c.

64. *Object.* 7. ex scriptis de rebaptizandis. Loci objecti, saltem præcipui (et quibus solutis ceteri solvuntur), hi sunt. (1°.) "Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus." S. CYPRIANUS, Epist. 72, ad Stephanum, n. 3. (2°.) "Quo lecto [rescripto S. Stephani Papæ], magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum causam contra Christianos et contra Ecclesiam Dei asserere conatur. Nam inter cetera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperite et improvide scripsit," &c. *Idem*, Epist. 74, ad Pompeium, n. 1. Similia alibi in hac epistola inveniuntur, in qua Stephano exprobrantur "ob-

stinatio," "præsumptio," "animi cæcitas," "pravitas," &c. (3°) Longa est "Epistola Firmiliani, Episcopi Cæsareæ Cappadociæ, ad Cyprianum, contra epistolam Stephani." Sequentia totius epistolæ (quod ad præsentem materiam attinet) animum satis indicant et significant:— "Hæc interim quæ ab Stephano gesta sunt prætereantur; ne dum audaciæ et insolentiæ ejus meminimus, &c. . . . . Atque ego in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam et manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit . . . . Stephanus, qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus hæreticos zelo excitatur . . . . . Non pudet Stephanum talibus adversus Ecclesiam patrocinium præstare, et propter hæreticos asserendos fraternitatem scindere, insuper et Cyprianum pseudo-christum et pseudo-apostolum et dolosum operarium dicere." Epist. 75, n. 3, 17, 25. (4°.) In concilio Carthaginensi septimo (quod de baptismo tertium est), "Cyprianus dixit . . . Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit quam nec ipse potest alterum judicare. Sed expectemus universi judicium D. N. J. Christi, qui unus et solus habet potestatem et præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, et de actu nostro judicandi."

65. Quatenus in his locis impetatur infallibilitas R. Pontificis, vid. ORSI, l. 3, c. 3, &c. Sermo hic de solo primatu est; ad quem evertendum hæc urgentur vel urgeri possunt. 1°. Nemo qui vere credidit R. Pontificis primatum, verbis adeo acerbis et contumeliosis de eo usus fuisset, eum vocans superbum, stultum, pravum, cæcum, audacem, hæreticis faventem, &c. 2°. Quædam affirmantur a Cypriano, quæ cum fide in primatum nullo modo conciliari possunt, imo quæ, ut jacent (posito primatu), aperte hæretica sunt. (a) Affirmatur nullum esse episcopum episcoporum: sed R. Pontifex, si primatum vere teneat, vere episcopus est episcoporum. (b) Affirmatur singulos Episcopos sui juris esse, et a nullo alio judicari posse, sed a solo Deo. 3°. Aperte recusat Pontifici obtemperare, ejus mandatum aperte abjicit et respuit.

66. *Resp.* I. in genere. Suppono impræsentiarum omnia ista scripta esse authentica. 1°. Manifestum est, ex ipsis scriptis, Stephanum, tanquam superiorem, in Cyprianum et ceteros Episcopos ei adhærentes auctoritate magisteria et judiciali usum fuisse. Si ergo crediderit Cyprianus Stephanum hanc auctoritatem nullo jure, et ergo summa injuria, affectasse, quarenam id non aperte et diserte affirmavit? (Nota contumelias Cypriani et Firmiliani *de* Stephano prolatas esse, non *ad* eum). Quomodo factum est ut nullum istorum conciliorum Carthaginensium, septimum illud præsertim, in quo verba supra objecta protulit Cyprianus, invasionem Stephani iniquam aperte rejecerit et reprobaverit—et id maxime, cum *et* eum in errore exitiali versatum fuisse crediderunt, *et* haud parum adversus eum ira incensi fuerunt. Quo majori æstu in eum ferebatur Cyprianus, quo firmius credebat eum errorem tenuisse, eo vehementius et apertius

debuit usurpationem ejus injustam repellere, et errorem ista usurpatione significatum repudiare et damnare. Vel ergo dicendum est Cyprianum et Episcopos qui cum eo erant tenuisse primatum R. Pontificis, vel dicendum est eos omnes et singulos (aderant in isto concilio Carthag. septimo 87 Episcopi, qui singuli suas sententias coram concilio dixerunt), etsi credentes Stephanum errasse et animos ab eo plus minus alienatos habentes, absque ulla reclamatione iniquam hanc ejus usurpationem tolerasse— in omnibus enim istis 87 sententiis, si unicam Cypriani excipias (de qua infra, n. 73–4), ne unum quidem verbum habetur quod ejusmodi reclamationem ullo modo sonet.

67. 2°. Aperte affirmat Firmilianus (n. 64, 3°,) Stephanum sententiam suam dixisse ex auctoritate quam se, ut successorem S. Petri, habuisse contendebat. Si F. vel istam successionem vel auctoritatem exinde derivatam non credidisset, id statim directe et diserte dixisset. Sublata enim ratione, quam ad superiorem suæ sententiæ auctoritatem firmandam allegavit Stephanus, illico rueret ipsa superior auctoritas, nec alia responsione opus esset. Insuper, id dixisset, *tum* quia rationem istius dominationis (ex hypothesi) novam esse per se hæresim credidisset (n. 66); *tum* quia sic respondendo non solum auctoritatem Stephani *superiorem* sed *omnem* ei auctoritatem eripuisset, vel saltem multum depressisset. Dicere enim potuit Stephanum non solum errare in materia de rebaptizandis (ut sentiebat F.), sed etiam alium errorem pestiferum inducere velle, sibi tanquam successori S. Petri, et ergo jure divino, arrogando auctoritatem in alios Episcopos, quam nullomodo habet. Num ergo successionem vel auctoritatem illam negavit Firmilianus? Nequaquam; sed, e contrario, abusum

auctoritatis intemperantem et perniciosum tantùm insectando, ipsam auctoritatem tacite sed vere concedit. Quod de isto loco affirmatur et de ceteris locis objectis affirmandum est, nempe, non ipsam auctoritatem, sed abusum istum, impugnari.

68. Dicit D. MILMAN ("Latin Christianity," l. 1, c. 1, pag. 51) Firmilianum irridere jactatam Stephani a S. Petro successionem ["mocks at his boasted descent from S. Peter"].

69. *Resp.* Distinguo: Irridet Stephanum, qui, cum gloriatur se S. Petri successorem esse et petram Ecclesiæ, istam petram non defendit, sed dissipat et confringit, errores inducendo et hæreticis favendo: Concedo: Irridet, ipsam successionem vel auctoritatem Stephani negando sive explicite sive implicite: Nego.

70. *Resp.* II. ad singulos locos objectos, n. 65. Ad 1^{um}. et 3^{um}. Ut hi contra nos valeant, pro principio poni debet homines vel contumeliose de aliquo loquentes, vel præceptum ejus respuentes, eo ipso significare se eum pro superiore non habere. Quod quam falsum sit experientia universalis et quotidiana clare demonstrat.

71. Sed *dices* Cyprianum (prætermisso Firmiliano) virum fuisse eximiæ sanctitatis, et qui ut sanctus ab Ecclesia universa colitur. De tali homine affirmari non potest eum isto modo illum lacerare, quem pro suo vero moderatore habuit.

72. *Resp.* 1°. Errorem error peperit. Falso credidit Cyprianus Stephanum errasse, et ex conscientia erronea putabat se, hunc insectando, causam veritatis et Ecclesiæ tueri—conscientiam dico erroneam sed vincibiliter. 2°. Distinguo: Cyprianus sanctitatis insignis fuit quo tempore ista contra Stephanum dixit et fecit: Nego: Antea et

postea, præsertim in fine vitæ, et cum gloriosum subiit martyrium: Concedo. Petrus, ante negatum Christum, etsi infirmior, vere sanctus fuit, et postea firmissimus et sanctissimus factus est. Vid. verba Augustini, D. 19, n. 367, ad calcem.

73. Ad 2^am^. (a), n. 65. "Non negat absolute Cyprianus aliqem *esse* Episcopum Episcoporum; sed tantum asserit inter Episcopos tertii hujus concilii Carthaginnesis in quo sedebat nullum esse, qui *se* Episcopum Episcoporum *faciat*, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigat. Oblique scilicet ibi perstringit ac vellicat Stephanum, qui pro sua auctoritate, intentata excommunicationis pœna, Episcopos rebaptizantes ab errore revocare tentaverat: et cum ait Cyprianus nullum esse inter præsentes suos coëpiscopos Episcopum Episcoporum, non obscure subindicat esse aliquem in Ecclesia, Stephanum scilicet Episcopum Romanum, qui sit Episcopus Episcoporum; quamquam ejus agendi rationem non approbet."—TOURNELY, vol. 2, pag. 89.

74. Ad (b), ibid. "Cum ait Episcopos ab aliis judicari non posse, sed a solo Deo, certe mens ipsius non est asserere nullam esse in Ecclesia auctoritatem qua Episcoporum causæ judicari possint. Ipsemet enim Cyprianus cum suis coëpiscopis multas dijudicavit: ipse rogavit Stephanum ut Marcianum abstineret, datis ad Arelatenses literis [Epist. 67:—'Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litteræ quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur']. Vult igitur tantum in ea quam tunc cum Stephano agitabat de rebaptizandis hæreticis controversia obscura, implicata, dubia, circa quam tam varia erat Episcoporum et praxis et sententia [ut putabat Cyprianus], non posse quemquam ab alio judicari, ea præ-

sertim ratione, qua fecerat Stephanus, excommunicando scilicet eos qui diversa sentirent." *Idem*, ibid.

75. *Object.* 8, ex eodem CYPRIANO, de Unitate Ecclesiæ, n. 4 :—"Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio et honoris et potestatis." Tota ratio primatus in *honore* et *potestate* sibi propriis consistit : adeo ut, si Petrus dignitatem et auctoritatem, quibus ceteri Apostoli carebant, non habuerit, nullomodo primas fuerit. Sed, secundum textum allatum, omnes erant et honore et potestate pares.

76. *Resp.* Distinguo : Pares erant in honore et potestate apostolatus : Concedo : Pares erant in ea dignitate et potestate, quæ Petro soli tributæ sunt : Nego. Hanc distinctionem et principia quibus nititur late enarravimus et demonstravimus, c. 17, n. 116, &c. et D. 18, n. 349, &c. et alibi. Tantum autem abest ut hic locus S. Cypriani istam distinctionem ejusve principia enervet, ut utraque clarissime firmet ; ut constat ex verbis textus, etiam ut a FELLO dantur :—"Super *unum* ædificat Ecclesiam suam. Et *quamvis* Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, et dicat 'Sicut misit me Pater,' &c. . . . . *tamen* ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem *originem* ab *uno* incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant *utique* et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædiți et honoris et potestatis, *sed* exordium ab unitate proficiscitur *ut* Ecclesia *una* monstretur." Manifestum est ex isto textu rite inspecto, maxime ex vocabulis contrariis (ut Anglice dicimus "antithetical"), "quamvis—tamen : utique—sed," duo affirmare S. Cyprianum 1°, in communibus istis muneribus absolvendi a peccatis, docendi, &c. impertiendis, Christum Apostolos ut pares allocutum fuisse ; eosque in illis muneribus exercendis omnino pares fuisse ; sed, quoniam

Christus Ecclesiam suam arctissime et perpetuo unam esse decrevit, ideo 2°, *quamvis* in præfatis muneribus pares fuere, *tamen* Christum, ad istam unitatem inducendam et conservandam, Petro aliud munus ei proprium et singulare tribuisse, nempe, ut unitatis hujus radix et conservator esset. Apostoli *utique* pares erant in muneribus apostolicis, *sed* aliud Petro datur, quod ceteris non datur. Hæc nostra enarratio planum et genuinum sensum verborum Cypriani exhibet; iisque, ut diximus, non solum non læditur primatus, sed clare significatur.

77. *Object.* 9, ex eodem, n. 5 :—"Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur." Hinc 1°, si episcopatus unus est, ergo non est in R. Pontifice episcopatus alter supremus et universalis, in ceteris Episcopis alter inferior et circumscriptus. 2°. Omnes Episcopi pares sunt, si a singulis ex æquo pars episcopatûs teneatur ["whereof every one indifferently and in equal sort hath his part: "FIELD, L. 5, C. 36]; vel, ut alii interpretantur, si singuli totam episcopatus plenitudinem habeant ["the Episcopate is one; it is a whole, in which each enjoys full possession :" Oxford Translation, 1839].

78. *Resp.* Duplex est istius locutionis interpretatio. 1°. Episcopatus unus est in omnibus Episcopis, eo modo quo natura humana una est in omnibus hominibus, nempe, in iis quæ efficiunt essentiam naturæ humanæ. Sicut ergo hæc unitas naturæ, in essentialibus, non impedit quominus, in his et illis accidentalibus, v. g. ingenio, eruditione, auctoritate, &c. alii aliis præstent; ita et unitati episcopatus non obstat ut unus sit inter Episcopos qui alios regat. Ita TOURNELY, COLLET, &c. Et revera tenent adversarii fieri posse ut, salva ista unitate, jure humano alii aliis præsint, quales olim fuere Patriarchæ et hodie

sunt Metropolitani. Si ejusmodi inæqualitas jure humano, illæsa unitate, statui potest, quanto magis jure divino?

79. 2°. Episcopatus unus est, i. e. Episcopi omnes unum efficiunt corpus, nempe, regens et docens. Ita BALLERINUS, c. 12, n. 10:—"Episcopatus unus est ex Cypriani sententia, quomodo Ecclesia est una; ac proinde pars episcopatus in solidum tenetur ab unoquoque Episcopo, quatenus ab unoquoque regitur sua particularis ecclesia, seu suus particularis grex, qui est pars Ecclesiæ totius. Summus autem Pontifex, S Petri successor, etsi ut Episcopus unum particularem Romanum gregem regit, qui item Catholicæ Ecclesiæ pars est; cum tamen ex primatu, quo toti Ecclesiæ præsidet, unitatis totius Ecclesiæ centrum et origo sit ex ipsa Cypriani sententia."

80. Hæc BALLERINI interpretatio mihi longe probabilior, imo omnino vera, esse videtur. Ibi enim S. Cyprianus totus in eo est, ut unitatem Ecclesiæ tanquam reipublicæ sacræ organicam arctissimam demonstret et commendet. Centrum et originem unitatis in Petro ponit, a quo, per Episcopos maxime, in universam Ecclesiam derivatur. "Quam unitatem [Ecclesiæ] firmiter tenere et vindicare debemus, *maxime Episcopi,* qui in Ecclesia præsidemus, ut *episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum* probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia *quoque* una est, quæ in *multitudinem* latius *incremento fœcunditatis* extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum;" &c. ut c. 5, n. 48.

81. Ex his sequitur manifesta responsio ad *secundum.* Sensus enim totius loci objecti verus et obvius ex para-

phrasi sequenti patet :—Eadem est episcopatus seu Episcoporum unitas quæ Ecclesiæ ; singuli quidem Episcopi suas partes proprias habent, suos proprios greges regunt, ita tamen ut omnes simul corpus unum integrum et solidum efficiant. Si interpretationem jam datam deserendam esse censerem, eam quam, huic omnino contrariam, dat CHARLAS acciperem, secundum quam affirmat Cyprianus "teneri a quolibet Episcopo *partem episcopatus*, non *in communi* cum aliis, sed *in solidum*, seu ita ut *solus* in sua particulari diœcesi Episcopus potestatem regiminis habeat, sitque ipse unicus pastor, nec sint plures ejusdem diœcesis pastores."

82. *Objectiones Miscellaneæ. Object.* 10. Absurdum est affirmare alia esse, post Apostolos, fundamenta Ecclesiæ ; vel unumquemque R. Pontificem esse fundamentum Ecclesiæ. BARROW, pag. 112 ; WHATELY, "Kingdom of Christ," Essay 2, § 7, not.

83. *Resp.* Distinguo : Eo sensu quod prima initia Ecclesiæ ponant : Concedo et Transeat : Eo sensu quod sint principia unitatis et firmitatis Ecclesiæ, et ideo rectores ejusdem : Nego.

84. *Object.* 11. Si vera sit nostra Propositio, R. Pontifex vere est, et jure vocari potest, Episcopus œcumenicus seu universalis. Sed hanc appellationem ipsi R. Pontifices non solum ab Episcopis Constant. affectatam damnarunt, sed etiam seipsis denegarunt. S. GREGORIUS M. vocat eam "nomen blasphemiæ." Ergo isti R. Pontifices non tenuerunt nostram propositionem.

85. Hanc objectionem, etsi pridem a BELLARMINO, TOURNELIO aliisque nostris theologis multis penitus convulsam, hodie nude repetunt HUSSEY (pag. 152) aliique recentiores passim. Id saltem certissimum est, præfatos

R. Pontifices primatum suum integrum et absolutum tenuisse. De S. GREG. vid. PERRONE, n. 611, not.

86. *Resp.* Distinguo primam propositionem: Sensu recto: Concedo: Sensu pravo: Nego. Triplicem sensum, ut notat TOURNELIUS, habere potest appellatio ista. 1°. Significare potest unum esse Episcopum omnium ecclesiarum, cujus ceteri omnes Episcopi sunt vicarii tantum et delegati. Hoc sensu appellationem usurpare visus est Joannes Jejunator, Episcopus Constant., a S. GREG, reprehensus. 2°. Significare potest Episcopum totius Ecclesiæ Catholicæ, qualis est R. Pontifex. 3°. Significare potest Episcopum qui in magna vel maxima parte Ecclesiæ auctoritate potitur.

87. "Dico S. Gregorium Episcopi universalis nomen tanquam profanum, superbum, sacrilegum damnasse ac rejecisse, non tantum a Constantinopolitano sed etiam a Romano Episcopo, juxta primum sensum; quasi unus foret in orbe Christiano Episcopus, et alii omnes Episcopi ipsius dumtaxat vicarii forent . . . . Ad hunc vero sensum respexisse S. Gregorium, demonstrant hæc ipsius verba in citata epistola 18 ad Joannem Constant., quem sic alloquitur:—'Vehementer admiror, quia ne ad episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, ut Episcopus dici debuisses: ad hoc quandoque perductus es, ut, *despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari.*' Et infra rationem reddit cur nullus Pontifex Romanus hunc sibi titulum universalis Episcopi assumpserit:—'Ne, si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.'" TOURNEL. ii. 97. Alia loca similia ex aliis

epistolis S. Gregorii profert BELLARM. l. 2, c. 34; v. g. ex epistola ad Eusebium :—"Si unus universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis."

88. *Urgetur* 1. Incredibile est jejunatorem titulum usurpasse sensu primo. *Resp.* Nihil fere incredibile est de iis qui a recto tramite animo obstinato deflectunt.

89. *Urgetur* 2. Si censuerit Gregorius titulum sensu secundo (n. 86) R. Pontifici tribui posse, eum adeo absolute et acerbe non damnasset.

90. *Resp.* Eum ita damnavit duplici ex causa. "*Primo*, ad cautelam; sicut etiam nomen 'Christotochos' bonum sensum habet; et tamen Patres vetuerunt usum illius nominis, ne videlicet sub illo nomine lateret hæresis Nestorii; qui Mariam, Christi matrem, sed non Dei matrem appellabat. *Secundo*, quia quæstio tum erat, an Joanni Constant. Episcopo hoc nomen concedi posset, non autem an concedi posset R. Pontifici. Quoniam igitur Joanni illi in nullo censu conveniebat nomen 'Universalis,' et tamen illud sibi usurpabat; ideo simpliciter et absolute Gregorius pronunciat hoc nomen esse profanum et sacrilegum; nimirum quatenus tribuitur Episcopo Const., et nihilominus etiam ipse illud recusavit, quamvis sibi in aliquo sensu conveniret, ad melius et facilius comprimendam superbiam Episcopi Constant." BELLARM. l. c.

91. *Object.* 12. Principatus, quo antiquitus in ceteras ecclesias gaudebat R. Ecclesia, non juri divino, sed causis pure humanis et naturalibus acceptus referendus est. Hæ causæ fuere 1°, ingens numerus fidelium, tum clericorum tum laicorum, dirissimis etiam persecutionibus vexantibus; 2°, divitiæ magnæ et charitas eximia illius Ecclesiæ; 3°, origo ejus apostolica; 4°, pura ejus fides, et ardens

ejus et assiduum studium in damnandis hæreticis, etiam a primis temporibus; fervente rabie Ariana, propugnaculum erat fidei; 5°, urbis Romæ temporalis dignitas; 6°, hæc omnia conjuncta de sola Romana Ecclesia affirmari potuerunt. PALMER, Pars 7, c. 3; et ante eum, quoad substantiam, BARROW.

92. Huic objectioni, et forma et ratione, similis est illa nota objectio, quam, tanta et tam prava arte elaboratam, profert infelix GIBBON (Hist. c. 15) contra supernaturalem Religionis Christianæ propagationem. Utraque commentorum et sophismatum compages est.

93. *Resp.* Distinguo: Istis causis, cogitatione fingendo, comminiscendo, et tot tamque clara et certa documenta in contrarium abjiciendo, accepta referri possunt initia R. primatus: Transeat: Re ut facto historico spectata et invicta vi præfatorum documentorum inspecta: Nego.

94. I. Hypothesis illa, cum nullo argumento nullo documento antiquo nitatur, omnibus documentis antiquis aperte adversatur. 1°. Ne unus quidem textus, qui hypothesi ullo modo faveat, ex Patribus vel Conciliis ab adversariis profertur; nullus ejusmodi textus in ullo scripto antiquo invenitur—quod enim objicitur ex canonibus Constantinop. et Chalcedon. pro regia dignitate Romæ, quasi ea fuerit ratio primatus R. Pontificis, solvitur, D. 19, n. 480, &c. 488, &c. Ceteri, quos profert PALMERUS, textus ne speciem quidem nec umbram argumenti præ se ferunt. Sic, v. g. testimonium de numero cleri, &c. R. Ecclesiæ profert ex epistola quadam Cornelii Papæ (apud EUSEBIUM, Histor. l. 6, c. 43). Sed in tota illa epistola ne unum quidem verbum habetur de primatu R. Sedis; nedum insinuetur primatum illum, aut ullam

illius Ecclesiæ eminentiam, originem duxisse ex isto numero. Simile testimonium profert ex epistola Cypriani (55, n. 20) ed eundem Cornelium, in quo loquitur de florentissimo clero et sanctissima et amplissima plebe R. Ecclesiæ; sed de præeminentia R. Ecclesiæ exinde orta nihil omnino insinuatur. Item ex IRENÆO (l. 3, c. 3. n. 2) allegat locum in quo R. Ecclesia vocatur "maxima." Ausus est veterator iste hunc ipsum locum allegare, ex quo invicte demonstratur primatus R. Sedis jure divino. Hæc tria testimonia profert ut demonstret præeminentiam R. Ecclesiæ, ex parte, numero cleri et fidelium referendam esse. Cetera testimonia quæ profert de divitiis, origine apostolica, &c. R Ecclesiæ, omnia et singula ejusdem sunt furfuris—vel prorsus extra rem, vel hypothesi objectæ plane adversantia.

95. 2°. Isti hypothesi, in se fictæ et commenticiæ, adversantur omnia testimonia Patrum et Conciliorum, quibus demonstratur primatum R. Pontificis juris esse divini. Quædam vero ex factis memoratis, non *causas* fuisse, sed *effectus* illius divini institutionis, facile ostendi potest: sed opus non est diutius in his immorari.

96. II. Dixi supra ad primum membrum distinctionis, "Transeat." Sed revera, etiam sepositis omnibus testimoniis, quibus probatur R. primatum esse juris divini, nihilominus repugnat omnino ut, universo orbe Christiano annuente, tantus principatus ex ejusmodi causis initia et incrementa habere potuerit: D. 19, s. 2, § 4.

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE MUNERIBUS ET DOTIBUS ROMANI PRIMATUS.

1. In capitibus duobus præcedentibus polemice et contra Protestantes de primatu ut quodam toto, secundum ideam seu formam ejus generalem, tractatum est. Idea vero ista quid simplex non est sed plane compositum, quod plura munia, quasi partes ex quibus in unum conjunctis integrum et omnibus numeris absolutum efficitur, in se comprehendit. De muneribus istis, quæ et qualia sint, nunc est disserendum.

2. Hic ante omnia, pro principio primario certo et inconcusso, ponendum est, omnia et singula munia ista non solum a jure divino constituta esse, sed ita constituta, ut sint ipsi primatui *intrinseca* essentialiter, ita ut nullo modo, a quacumque auctoritate his in terris existente, possint ab eo avelli, aut in eo coarctari vel infirmari. Ipsum primatum efficiunt, omnia conjuncta *sunt* ipse primatus: dempto aliquo ex iis, eatenus mancus esset primatus, et ideæ ejusdem ut divinitus constituti aliquid deesset.

3. Fieri sane potest, et sæpe factum est, ut 1°, munus hoc vel illud vel plura munera, in his et illis regionibus, quod ad exercitium eorum attinet, vi coarctentur vel

etiam omnino impediantur. Exercitium quidem juris impeditur, sed jus ipsum integrum et intactum stat. Petrus et ceteri Apostoli munus et jus habuerunt prædicandi Evangelium ubique, et docendi "omnes gentes;" et tamen sæpius impediti sunt.

4. Fieri potest 2°, ut in his et illis locis et circumstantiis, ad hæc et illa bona assequenda vel mala avertenda, Pontifex hoc et illo jure non utatur, vel usum ejus temperet, aut aliis, v. g. principibus per concordata, concedat. In ejusmodi casibus jus non abjicitur, sed intermittitur tantum usus ejus.

5. Alterum est principium non minus certum et inconcussum, quod affirmat munia et jura R. Primatus ei soli inesse, eique adeo propria esse, ut in nullo alio Episcopo (nedum in presbytero aut laico) nec in cœtu Episcoporum (nedum presbyterorum aut laicorum) ullatenus existant, nec ab eis, nisi ipso Pontifice annuente, exerceri possint.

6. Contra hanc doctrinam Catholicam plures variis temporibus divulgati sunt errores. Istorum errorum alii sunt diserte ab Ecclesia damnati, alii ab omnibus gravibus et probatis auctoribus omnino rejiciuntur. Ad primam classem pertinent errores antiquorum memoratorum D. 15, et, in seculis recentioribus, Richerii, Febronii, Jansenistarum, Gallicanorum Parlamentariorum, &c. Ad alteram pertinent errores Gallicanorum Theologicorum.

7. Duo ista systemata bene enarrat Tarquini, l. 2, c. 2, § 1. Ex erroribus prioris generis ea tantum capita quæ ad præsentem spectant materiam hic breviter indicabimus. 1°. R. Pontifex, non immediate a Christo in persona S. Petri, claves accepit, sed ab Ecclesia. 2°. R. Pontifex primatum jurisdictionis non habet plenum et

independentem ; et in eo exercendo, non solum ab Episcopis sed etiam a gubernio civili cohiberi et impediri potest. 3°. Certo et indubio existente R. Pontifice, in his et illis circumstantiis, hoc et illud munus primatiale, ipso Pontifice nequaquam assentiente, ab Episcopis et etiam a gubernio civili licite et valide exerceri potest. "Si quis vero præterea systema quoque Jansenianum requirat, is sciat hæreseos illius asseclas systema proprium nullum habere, sed ea quæ jam exposita sunt, ac præsertim Richerianum modo aperte, modo clanculum, prout tempora ferunt, amplecti." TARQUINI, l. c.

8. Systema istud, quo non solum R. primatus sed ipsa ratio ecclesiasticæ jurisdictionis penitus e medio tolluntur, disjicitur argumentis allatis c. 14, 17, 18, quibus demonstratur institutio Romani primatus divina immediata, et Ecclesiæ docentis et regentis independentia absoluta. Magis et a fortiori disjicietur argumentis, infra afferendis, quibus convelluntur fundamenta Gallicanismi.*

9. Non omnes qui Gallicani audiunt easdem tenent sententias; sed alii minus quam alii a doctrina probata recedunt. Omnibus nota sunt quatuor propositiones conventûs Gallicani an. 1682. Earum sensum sic brevius exprimit TARQUINI, l. c. n. 10 :—"*Prima* est R. Pontificibus nullam esse in Reges, atque in civilia negotia nec

* Hactenus ut in opere majori. Sed quoniam, post hæc scripta et edita, omnes illæ sententiæ pravæ, sive Jansenisticæ sive Gallicanæ, in Concilio Vaticano diserte et perspicue damnatæ sunt, non alios exhinc, in hac materia de S. Pontifice, adversarios habemus nisi Protestantes aut veteres aut novos. Brevius igitur de argumento hujus capitis agemus, omnibus, inter alia, prætermissis objectionibus, una sola (infra, n. 36) excepta. 1874.

indirectam quidem potestatem: *Secunda* Concilii generalis auctoritatem R. Pontificis auctoritate esse superiorem: *Tertia* Potestatem Sedis Apostolicæ coarctari 1°, per canones jam conditos, totiusque mundi reverentia consecratos; 2°, per consuetudines atque instituta a regno, et ab ecclesia Gallicana recepta: *Quarta* R. Pontificis judicium infallibile censendum non esse, nisi Ecclesiæ consensus accedat."

§ 1. *De Romano Pontifice Centro Unitatis.*

10. Quid per centrum unitatis significetur enarratum habetur in constitutione Pii VI. "Super soliditate," in qua hæc inveniuntur:—"In hoc scilicet apostolicæ cathedræ principatu *firmum* voluit Christus, *constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret*, fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primæ sedis amplitudinem, sed et *maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret.*"

R. primatus ergo constitutus est maxime ad unitatem et firmitatem Ecclesiæ conservandam: et R. Pontifex est centrum unitatis, seu is est cui omnes omnino fideles uniri tenentur, et sic uniti corpus Christi mysticum efficiunt, Ecclesiam Christi unam et indivisam; cui qui non unitur eo ipso extra Ecclesiam est.

11. Tria autem sunt vincula unitatis, ut probatum est, c. 5, nempe, fidei, cultus et regiminis. Tenentur ergo omnes, ut veri sint Catholici et vera Ecclesiæ mem-

bra, eandem tenere et profiteri fidem quam profitetur et docet R. Pontifex, eodem cultu cum eo conjungi eique ut totius Ecclesiæ supremo rectori subjici.

12. Propositio quæ affirmat R. Pontificem esse centrum unitatis Catholicæ, doctrina est "omnium Catholicorum," ait ANTOINE, c. 5: et ipsi Gallicani (etsi in modo exponendi a recto aberrant) tenent eam esse de fide: quod satis patet ex definitione supra data, n. 10, et aliis.

13. Hinc Ecclesia non solum Catholica sed etiam Romano-Catholica vocatur et est; imo ideo vere et sola Catholica quia Romano-Catholica. Unio enim cum Roma id est quod facit eam Catholicam i. e. unam in catholicitate, unam-Catholicam; quæ appellatio idem re sonat ac Romano-Catholica. Si omnes particulares ecclesiæ unum centrum Romam, in quo conjunguntur, non haberent, non efficerent Ecclesi*am*, i. e. unum corpus sacrum, sed tot ecclesi*as*, i. e. tot corpora distincta et disjuncta.

14. Inepte ergo contra hanc appellationem objiciunt quidam in his regionibus adversarii, quasi insulsum habeat sensum, et idem sonet Romano-Catholica ac particularis-universalis: quasi alium sensum habere non possit, nisi eum quo significetur totum quod Catholicum, i. e. universale, est, in Roma, i. e. una illa diœcesi, contineri. Ecclesia vocatur Catholica, quia de facto et de jure catholica seu universalis est; et vocatur Romano-Catholica, quia unitur R. Pontifici eique subjicitur. Fideles vocantur Romano-Catholici, quia sunt membra Ecclesiæ Romano-Catholicæ, et ideo R. Pontifici subjiciuntur. Sic subjecti Britannici vocantur non solum qui in Britannia habitant, sed ii omnes qui in Hiber-

nia et in aliis variis regionibus Victoriæ Reginæ subjiciuntur.

15. Romanum Pontificem esse Centrum Unitatis Catholicæ breviter probatur. Ille centrum est unitatis Catholicæ, cui omnes uniri tenentur in regimine, fide et cultu. Atqui omnes R. Pontifici uniri tenentur 1°, in regimine. Est enim, ex probatis, omnium fidelium totiusque Ecclesiæ rex supremus: ergo omnes ei tenentur obedire. 2°. Omnes ei tenentur uniri in fide. Ex Concilio enim Florentino (c. 17, n. 2), R. Pontifex omnium Christianorum doctor est: et munus ejus est omnes fideles confirmare, maxime in fide: ibid. n. 50, &c. 69, &c. Ergo omnes ab eo doceri debent, et omnes tenentur doctrinam ab eo traditam recipere.* 3°. In istis duobus comprehenditur unitas in cultu.

§ 2. *De summa R. Pontificis jurisdictione in universam Ecclesiam et omnes Episcopos.*

16. Post argumenta allata c. 17 et 18, quæstio ejusmodi videretur prorsus inutiliter moveri. Sed propter perversam doctrinam secundæ et tertiæ (quæ merum est consectarium secundæ) propositionis Gallicanæ Declarationis, seorsum tractanda est. Tenuerunt quidem theologi Gallicani R. Pontificem supremam jurisdictionem habere in *universa Ecclesia*, et ergo Episcopis omnibus singulatim sumptis, et etiam omnibus conciliis particularibus, ut sunt provincialia et nationalia, omnino superiorem esse; sed negaverunt eum ista jurisdictione potiri in *universam Ecclesiam*, et affimarunt ergo Episcopos conjunctim sumptos ei superi-

* Quod nunc ex definitione Concilii Vaticani de fide Catholica est. 1874.

ores esse. Hoc maxime et definite tenuerunt de Episcopis in Concilio generali congregatis. Dixi "tenuerunt;" hodie enim doctrina Gallicana de materia præsenti et de fallibilitate Papæ in ipsa Gallia prorsus exolevit; saltem a nemine aperte propugnatur.

17. Statum quæstionis sic accurate et nitide aperit PERRONE, n. 621–3:—"Ac 1°, quidem animadvertimus hanc controversiam agitari de suprema auctoritate, seu ut vocant *superioritate* seu præeminentia, R. Pontificis certi, legitimi ac viventis, supra Concilium generale; non autem Pontificis illegitimi, dubii aut defuncti.

18. "2°. Animadvertimus hic non agi de Concilio œcumenico, cui præsederit R. Pontifex aut per se aut per legatos suos, quodque ipse confirmaverit; hac enim ratione exposita thesis nullum sensum haberet, perinde enim esset atque adstruere Pontificem, a quo omnem firmitatem, ut paulo post ostendemus, accipiunt Conciliorum decreta, esse sibi superiorem. Quod si decreta, pontificia auctoritate firmata, vim habent, uti nonnulli existimant, ad cogendum ipsum Pontificem, id non intrinseca, ut ita dicam, eorum virtute provenit, sed ab extrinseca, ab altiori naturali divinoque jure, uti explicant qui ita sentiunt; alii quippe censent Conciliorum etiam œcumenicorum canones et decreta disciplinaria, de quibus tantum est sermo, nunquam habere in Pontifices vim *coactivam*, sed solum *directivam*. Itaque controversia movetur de relativa superioritate R. Pontificis seorsum sumpti supra Concilium seorsum pariter spectatum a R. Pontifice: sic enim eam proponit Natalis Alexander, strenuus sententiæ de superioritate Concilii supra Pontificem propugnator."

PROPOSITIO. *Romanus Pontifex jurisdictione superior est omnibus Episcopis conjunctim, sive dispersis sive in Concilio generali congregatis.*

19. Hæc propositio non est expresse definita, nec contradictoria ejus expresse damnata. Censeo propositionem esse immediate revelatam de S. Petro et successoribus ejus, et ergo contradictoriam de R. Pontifice tanquam successore S. Petri damnari posse ut hæreticam: vid. Prop. Pistoriens. 3.*

20. ARGUMENTUM. Ex c. 17 constat, quod et ab omnibus conceditur, Apostolos conjunctim et tanquam unum corpus, Petro semper incluso, variis muneribus auctos fuisse. Ex eodem c. constat S. Petrum suo proprio munere primatiali auctum fuisse. Jurisdictionem œcumenicam et supremam istis duobus *subjectis*, ut ita dicam, assignatam habes; primùm, Apostolis, Petro incluso, conjunctim; secundo, Petro ipsi per se soli. Aliud subjectum, præter hæc duo, cui data sit jurisdictio ejusmodi suprema et œcumenica, nec in Scriptura nec in Traditione ullomodo significatum habes. Petri successor est R. Pontifex; Apostolorum, ut corporis seu cœtus unius, successores sunt Episcopi, sub capite et centro unitatis R. Pontifice. Aliud corpus non est, nec esse potest, quod jurisdictione suprema et universali gaudeat. Concilium ergo istud sejunctum a R. Pontifice purum figmentum est, et nullam aut in eum aut in Ecclesiam jurisdictionem habet.

21. Ex iis quæ inter solvendas objectiones in opere majori (hic prætermissis) proferuntur, sequentia non inutiliter hic servanda censemus. Omnes theologi in his

* Propositio est nunc expresse definita, et error oppositus anathemate confixus, in Concilio Vaticano: vid. Appendix. 1874.

conveniunt; 1°, Papam aperte hæreticum subjectum esse Concilio—immo communissima est sententia eum, publicum hæreticum factum, vel eo ipso, vel saltem post sententiam declaratoriam, desinere esse Papam.

22. 2°. Idem dicendum, si fiat apertus schismaticus—sed vix fieri potest ut Papa reus sit schismatis absque hæresi, saltem actu exercito significata, vel absque gravissima ejus suspicione.

23. 3°. Si fiat peccator scandalosus et contumax, tunc, secundum omnes, a Concilio moneri potest; sed huic monitioni, secundum sententiam communem, non vi ejus coactiva, sed jure naturali et divino, parere tenetur; et, si adhuc ad bonam frugem se non recipiat, "ultra progredi nefas esset, sed Dei interim Providentiæ ejus resipiscentia esset committenda, ab eaque precibus ac gemitibus unice efflagitanda." PERRONE, n. 633.

24. 4°. Si Papa dubius sit, propter electionem ejus probabiliter invalidam, vel propter aliquam aliam causam, si alia detur; præsertim si plures dubii sint, suas proprias obedientias habentes; conveniunt omnes eos teneri se Concilio subjicere. Postulat enim bonum Ecclesiæ universalis ut extirpentur scandala et alia dira mala, quæ ex tali rerum conditione non possunt non defluere. Insuper (et hæc est ratio intrinseca), "in eo casu non datur verus Papa in conspectu Ecclesiæ, quæ proinde minime tenetur illi obedire: manet ergo jus Ecclesiæ ad eligendum Pontificem verum, cui teneatur obedire, atque adeo ad deponendum dubium." SUAREZ, de Fide, d. 10, s. 6, n. 19.

25. 5°. Si Papa "in perpetuam incidat amentiam, ipso jure divino privatur . . . . nam perpetua amentia æquivalet morti, quoad usum rationis et libertatis, atque adeo quoad capacitatem jurisdictionis et dignitatis." *Idem*, ibid.

n. 17. Si vero amentia brevis sit vel intermittens, plane tenetur Papa, lucido intervallo adveniente, primatu se abdicare. Si se abdicare nolit, idem dicendum ac de Papa scelesto; acta autem, durante amentia, nulla sunt. Si denique amentia diuturna sit, saltem si valde diuturna, v. g. per decem vel quindecim annos, censeo talem amentiam, ex communi hominum sensu et judicio, præsertim in eo qui tantum munus et officium habet, perpetuæ æquivalere. Verumtamen casus Papæ etiam ad tempus amentis nunquam contigit.

§ 3. *De jurisdictione R. Pontificis immediata.*

26. Secundum quosdam Gallicanos, Papa, in diœcesibus aliorum Episcoporum et in universa Ecclesia, jurisdictionem non habet immediatam sed mediatam tantum. Affirmant "Papam non posse, invitis Episcopis, in diœcesibus munera Episcoporum consueta exercere; non posse, v. g. ordinarie sacerdotes approbare, ministros ordinare, fideles aliis Episcopis subditos a piorum communione secludere; uno verbo, Summum Pontificem non esse Pastorem immediatum in alienis diœcesibus [en jurisdictio immediata]. Fatentur tamen, atque in confesso est apud omnes, S. Pontifici, utpote capiti omnium ecclesiarum, incumbere solicitudinem universalem; ipsius esse invigilare omnibus diœcesibus; eum posse, ratione primatus, si urgeat necessitas, aut in aliis casibus extraordinariis, ac juxta canonum præscripta, Episcoporum munera exercere, aut ad id delegare [ecce jurisdictio quam mediatam vocant]." BAILLY, vol. 2, pag. 327.

27. Sententiam R. Pontifici jurisdictionem immediatam denegantem mordicus tuetur idem BAILLY. Hæc sententia

et Scripturæ et Traditioni et usui R. Sedis perpetuo adeo aperte repugnat, et insuper hodie apud omnes theologos Catholicos adeo obsoleta et antiquata est, ut in ea, solito genere argumentandi, refutanda frustra plane opera insumeretur. R. Pontifex, tanquam successor S. Petri, auctoritatem habet omnes et omnia et in omni loco "super terram" ligandi et solvendi; leges condendi quæ omnes fideles pariter æqualiterque tenent; omnes agnos et oves pariter æqualiterque pascendi; &c. Quodcumque velit munus sacrum, ubicumque in universo orbe velit, eodem ipso jure summo exercere potest, quo idem in urbe Roma exercet. Hæc doctrina mihi videtur clare et immediate revelata.*

§ 4. *De Infallibilitate Romani Pontificis.*

28. Quæstio hic non est de infallibilitate passiva. Hanc tamen quæstionem ponunt multi auctores, quærentes 1°, An possit Pontifex fieri hæreticus *formalis?* Scinduntur theologi: sententiæ vero neganti haud parum probabilitatis extrinsecæ ex eo accrescit quod nullus unquam Pontifex in hæresim formalem incidit. 2°. Certum est, et a nemine, quod sciam, negatum, Pontificem nequaquam gaudere infallibitate passiva, quæ eum ab omni errore dogmatico materiali, etiam ab hæresi materiali, securum conservet. Neque enim ut privatus doctor immunis est ab errore, ne eum doceat et propugnet; multo minus ut privata persona, ne eum teneat.

29. Sola ergo quæstio est de Infallibilitate Pontificis activa. Fere omnium autem gravium theologorum, extra Galliam, et haud paucorum ex ipsis Gallicis, unanimis est (quod sciam) sententia quæ affirmat R. Pontificem allo-

* Est nunc expresse definita in Concilio Vaticano. 1874.

quentem universam Ecclesiam (i. e. Ecclesiam docentem, vel docentem et audientem conjunctim) et dogma aliquod definientem, sive negative sive positive, esse omnino infallibilem. Censet SUAREZ (de Fide, d. 5, s. 8, n. 4) propositionem affirmantem infallibilitatem Pontificis esse "de fide certam:" adversa sententia BELLARMINO (l. 4, c. 2) "non est proprie hæretica," sed ei "tamen videtur omnino erronea et hæresi proxima." Certum est doctrinam Gallicanam, etsi hodie apud omnes fere bonos Catholicos obsoleverit, usque adhuc nulla censura a S. Sede notatam esse. Censeo autem 1°, apertam defensionem Gallicanismi magis magisque indies ad temeritatem accedere. Censeo 2°, doctrinam communem esse immediate revelatam, et ideo, etsi adhuc non definitam, esse definibilem de fide; et contradictoriam posse damnari ut hæreticam.*

PROPOSITIO. *Romanus Pontifex, universam Ecclesiam obligatorie docens, infallibilis est.*

Probatur Propositio ex S. Scriptura et Rationibus Theologicis.

30. ARGUMENTUM I. ex Matth. xvi. 18:—"Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam."

Jam demonstratum est 1°, sermonem hic esse de Petro; et 2°, de eo imprimis et maxime ut firmo in fide tenenda et profitenda (c. 17, n. 12, &c. 69, &c.); 3°, ea, quæ hic de Petro affirmantur, de successoribus ejus in perpetuum affirmari (c. 18, n. 15, &c.). 4°. Ipsi adversarii tenent

* Universo mundo notum est doctrinam istam in Concilio Vaticano diserte et disertissime definitam esse ut divinetus revelatam; et esse ergo nunc de fide Catholica. 1874.

infallibilitatem *Ecclesiæ* hoc textu significari: ita TOURNELY, BAILLY, REGNIER, &c.

31. Ex textu duplex argumentum educitur, seu potius unum argumentum sub duplici, ut ita dicam, conceptu et forma spectatum. *Primo.* Ille infallibilis est qui principium est infallibilitatis Ecclesiæ. Sed R. Pontifex, universam Ecclesiam ex cathedra docens (hoc in posterum, ad inutiles repetitiones vitandas, supponetur), principium est ejus infallibilitatis. Major evidens est; et ab adversariis conceditur, saltem implicite, toti enim sunt in minori impugnanda. Minor probatur. Ille principium est infallibilitatis Ecclesiæ, ex quo Ecclesia illud habet ut portæ inferi adversus ipsam non prævaleant—hoc iterum evidens est et conceditur. Atqui id ex R. Pontifice habet Ecclesia. Tota enim firmitas Ecclesiæ, et victoria perpetua quam ex portis inferi refert, ex eo derivatur quod super petram ædificatur: c. 17, n. 17, 27. Petra autem est Petrus, in successoribus suis vivens et docens in æternum; qui tunc maxime Ecclesiam contra portas inferi sustentat et firmat, quum, grassante hæresi, eam docet sanam doctrinam.

32. *Secundo.* Ille infallibilis est, contra quem, non magis quam contra ipsam Ecclesiam, portæ inferi prævalere non possunt. Hæc quoque propositio ab adversariis necessario conceditur, qui ex hoc textu Ecclesiæ infallibilitatem probant. Atqui non magis contra petram (i. e. Petrum et singulos successores ejus), super quam ædificatur Ecclesia, quam contra Ecclesiam ipsam prævalere possunt. Si enim contra petram prævalerent, eam infringendo, eo ipso rueret Ecclesia.

33. ARGUMENTUM II. ex Luc. xxii. 31, 32:—"Simon, Simon, ecce, satanas expetivit vos ut cribraret sicut tri-

ticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."

Primo. S. Petro hic munus assignatum est Apostolos et universam Ecclesiam contra omnes incursus santanæ confirmandi : c. 17, n. 51, &c. Imprimis autem et maxime in fide confirmanda erat Ecclesia ; *tum* quia fidei puritatem imprimis et maxime vult satanas corrumpere—eâ enim depravatâ, extinguitur non tantum vita Ecclesiæ, sed ipsum vitæ principium : quem vinculo hæresis constrictum tenet satanas, et securus tenet, et ceterorum peccatorum vinculis longe facilius constringit ; *tum* quia Christus, orando fidem adeo speciatim et definite, plane significat confirmationem in fide fore specialiter necessariam. Novimus aliunde Ecclesiam gaudere infallibilitate passiva. Repugnat autem a Christo, ad hanc infallibilitatem conservandam, medium et instrumentum prorsus fallibile constitui. Porro Ecclesia permanenter et perpetuo infallibilis est : ergo medium ad eam perpetuo infallibilem conservandam divinitus constitutum permanens et perpetuum est. Insuper medium ejusmodi pro ævo apostolico necessarium non erat, saltem longe minus necessarium erat : ergo pro tempore post-apostolico maxime statutum est.

34. *Secundo.* Ille infallibilis est in universa Ecclesia docenda pro quo, in munere isto fungendo, infallibilitatem efficaciter rogavit Christus. Atqui pro Petro et successoribus ejus efficaciter rogavit Christus, ut docentes Ecclesiam universam nunquam errarent. Major evidens est. Minor probatur. 1°. Efficax fuit oratio Christi ; *tum* quia forma ejus plane absoluta est, neque ulla in textu vel alibi insinuatur conditio ; *tum* quia omnes orationes Christi, quæ constitutionem Ecclesiæ respiciunt, absolutæ sunt et

efficaces (Joan. xiv. 16; xvii. 20). 2°. Rogavit Christus infallibilitatem. Cujus fides deficere potest fallibilis est, cujus fides deficere non potest infallibilis est. Christus, efficaciter rogando ut non deficiat fides Petri, rogavit infallibilitatem. 3°. Rogavit pro Petro docente universam Ecclesiam. Rogavit pro eo ut firmante, seu cum firmaret, universam Ecclesiam, ut ex nexu orationis patet:—"ut non deficiat fides tua, *et* tu:" q. d. munus tibi assigno confirmandi Ecclesiam in fide, et rogavi ut, *in* ea confirmanda, firma et indeficiens sit fides tua. Firmat autem alios in fide qui auctoritate pastorali recte docet, indicans doctrinam sanam et sequendam, pravam et fugiendam. Hoc modo in fide firmabant Apostoli: hoc modo Ecclesiam ab initio usque adhuc in fide confirmarunt R. Pontifices. 4°. Oratio facta est non pro Petro solo, sed etiam pro successoribus ejus, ut patet ex dictis, n. 33.

35. ARGUMENTUM III. Factum est certissimum nullum unquam R. Pontificem universam Ecclesiam docentem errasse. Hoc ex enodatis difficultatibus in contrarium allatis patet. Sed moraliter impossibile est ut res ita se habeat, nisi dono infallibilitatis augeantur Pontifices. Plures sunt circumstantiæ quæ, præsertim conjunctæ, istam impossibilitatem plane demonstrant. 1°. Ex quo prima decreta Pontificia, quæ nunc extant, authentica scripta sunt, quot secula præterierunt! Et tamen 2°, per tot hæc longa secula nulla exorta est hæresis, nulla controversia dogmatica habita est, de qua non est audita vox R. Pontificis. Quot decreta dogmatica! Quot propositiones damnatæ! Quot controversiæ compositæ! Per tot secula, per tot varios rerum casus, cum omnia mutabilia mutarentur, imperia, hominum instituta, mores, linguæ, &c. &c., Petrum in suis successoribus semper viventem habes, semper

loquentem, quasi tubam exaltantem vocem suam (Isai. lviii. 1), non incertam sed certam vocem dantem (1 Cor. xiv. 8): et id cum 3°, ceteræ omnes sedes patriarchales, Alexandrina, &c. tam multis abhinc seculis a fide prorsus defecerunt.

36. *Objectio.* Prætermissis ceteris objectionibus (ut supra, n. 8, not.), contra hoc ultimum argumentum (n. 35) et ipsam propositionem longam seriem errorum R. Pontificum objicere solebant veteres Protestantes: illos apud BELLARM. fideliter (more suo) recensitos habes, l. 4, c. 8–14. Quosdam ex illis urgebant Gallicani quidam, sed alii hunc modum objiciendi omnino deserunt et abjiciunt. Ita BAILLY, pag. 255:—"Quid ipsos [quosdam auctores Gallicanos] juvat varios errores congerere, eosque adscribere nonnullis Pontificibus . . . ? Quid interest referre variarum quæstionum decisiones a Pontificibus latas, quas secum pugnantes arbitrantur; cum nec verum sit, nec probari possit R. Pontifices auctoritate apostolica, sive ex cathedra, definiisse, cum talia locuti sunt." Ita etiam TOURNELY, qui et ipse, pag. 184, &c., præcipuos errores objectos profert et dissolvit. Ita et alii de lapsu Honorio tributo, quæ tamen omnium ejusmodi difficultatum longe maxima esse videtur, NATALIS, diss. 2 in sec. 7; LE GRAND, de Incarnatione, d. 4, c. 4; HABERT, c. 6, § 6; &c. &c. Lapsus iste Honorii solus est de quo ullum hodie dubium moveri potest—de Liberio videatur PALMA, vol. 1, c. 45. Totum casum Honorii, præ ceteris quos vidi auctoribus, copiose et dilucide enarrat Card. ORSI, tom. 1, pag. 177, &c.

37. Ut status quæstionis magis patefiat, narrationem sequentem ex LE GRAND profero:—"Anno 633, Sergius, Constant. patriarcha, Monothelita insignis, totusque ex

fraude et mendacio factus, literas ad Honorium R. Pontificem malo dolo plenas dedit, quibus ipsi hanc induxit persuasionem, ad Ecclesiæ bonum maxime interesse, ut nec una nec duplex Christi voluntas et operatio diceretur. Extat hæc epistola actione 12 Synodi sextæ [HARDUIN, iii. 1311]. Rerum itaque circumstantias haud satis perspectas habens, Pontifex Supremus Sergium facilius audivit, ac silentium quo, ut eventus docuit, grave damnum fidei allatum est, judicavit servandum. Qua de re quatuor conscripsit epistolas, unam ad Sergium, quæ celeberrima est, et in eadem actione Concilii sexti [1319] exhibetur; alteram ad Cyrum, Alexandrinum patriarcham [Monothelitam], et tertiam ad Sophronium Jerosol. [orthodoxum]; ultima, cujus fragmenta duntaxat supersunt, ibid. act. 13 [1351], ad eundum Sergium missa. Ex ista colligitur Honorium insuper a legatis, quos Sophronius Jerosolymorum recens episcopus cum synodica epistola ad se miserat, silentii ejusdem per Sophronium observandi exegisse pollicitationem; quæ promissa Sophronius, vir studio fidei clarissimus, adeo non probavit, ut Stephanum Dorensem Episcopum, suffraganeorum suorum principem, ad Apostolicam Sedem miserit, quo Summus Pontifex de fidei periculo certior fieret, eique promptum remedium adhiberet. Ob scriptas ad Sergium litteras, Honorius a sexta Synodo [an. 681], unà cum Theodoro, Sergio, Cyro, aliisque Monothelitarum ducibus, actione 13, condemnatus est." His positis sic objicitur.

38. Honorius Papa, in literis ad Sergium datis, hæresim Monothelitarum docuit. Atqui literæ istæ ex cathedra emissæ sunt, et implicite ad universam Ecclesiam. Ergo erravit Honorius docens universam Ecclesiam ex cathedra.

39. *Resp.* primo. Nego majorem. I. Doctrinam Catholicam diserte affirmat Honorius et in prima et in secunda epistola. Unum ex secunda textum proferemus :—" Utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus : *et divinam quidem, quæ Dei sunt operantem ; et humanam quæ carnis sunt exsequentem :* non divise, neque confuse aut convertibiliter, Dei naturam in hominem, et humanam in Deum conversam edocentes : sed naturarum differentias integras confitentes. Unus enim atque idem est humilis et sublimis, æqualis Patri et minor Patre :" &c. (pag. 1354). Hæc duplicem in Christo voluntatem et operationem plane significant. Idem in prima epistola non minus clare significatur.

40. II. Honorius, in iis epistolarum locis in quibus affirmat unam voluntatem, plane ad mentem Sergii loquitur, seu potius ad verba ejus subdola et mendacia, quæ mentem veram et propositum iniquum non tam aperiebant quam occultabant. 1°. Sergius corde Monothelita fuit, et ad suam hæresim securius disseminandam, voluit ut nec una nec duæ voluntates de Christo affirmarentur. Ut, ad hunc finem assequendum, comprobationem Honorii captaret, imprimis summis laudibus effert Leonem Magnum et Concilium Chalced. Deinde dicit unam operationem (vel voluntatem), ob vocis novitatem, &c., affirmari non debere ; nec etiam duas voluntates esse affirmandas, quia, ut insinuat, qui isto modo loquendi utuntur, duas voluntates, quales in nobis, qui in peccato et cum fomite peccati nascimur, existunt, secum repugnantes significant. Et quoniam impium esset

asserere duas esse in Christo ejusmodi voluntates, censet ideo pium esse ut ab usu istorum vocabulorum omnino abstineretur. En ipsa Sergii verba in epistola ad Honorium (HARD. 1315):—"Ad Alexandriæ patriarcham scripsimus, ut . . . . de cetero nullum permitteret unam aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro . . . eo quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta sit patribus, tamen peregrina videatur, &c. . . . . Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiæ institutorum edita: insuper et consequens ei sit prædicare duas voluntates, *contrarietates* circa invicem habentes; tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, *humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati, et resistente;* et perinde *duo contraria volentes* introducantur, quod impium est:" &c.

41. 2°. Honorium, captiosa narratione Sergii deceptum et circumscriptum, nequaquam voluisse negare voluntatem in Christo vere humanam, sed tantum istas duas voluntates secum repugnantes, indirecte patet ex verbis allatis, n. 39, et directe ex sequentibus, in epistola prima ad Sergium (1319–22):—"Unam voluntatem fatemur D. N. J. Christi, *quia* profecto a divinitate assumpta est *natura, non culpa; illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata* . . . . . Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, a Salvatore *vitiata* natura, *quæ repugnaret legi mentis ejus* . . . . Nam lex alia in membris, aut voluntas diversa non fuit, vel contraria Salvatori, quia super legem natus est humanæ conditionis." Ex primis hujus loci verbis clarum est Honorium per

locutionem "unam voluntatem" significare voluntatem *humanam.* Statim enim subjungit rationem, nempe, quia natura humana quam assumpsit sine peccato fuit; et ergo in ea non potuit esse, qualis in nobis est, motus involuntarius et inordinatus inferioris partis animæ adversus superiorem, et repugnantia ista duarum voluntatum. Insuper, si divinam voluntatem voluerit, insulsitas argumenti tanta esset et adeo manifesta, ut Honorium non tam hæreticum quam mente captum proderet. Tunc enim sensus esset:—Una tantum voluntas est Christi, eaque divina, *quia* assumpsit naturam humanam, non peccato inquinatam, sed a peccato immunem: quasi in natura humana maculata tantùm inveniri possit voluntas humana!

42. Patet ergo Honorium, malam Sergii fidem fraudesque non suspicatum, bona fide respondisse et, ne cogitantem quidem de voluntate humana recta et voluntati divinæ conformi negata, solam istam vitiatam voluntatem negasse. "Unam voluntatem prædicat Christi Honorius, sed humanitatis: voluntatem alteram ab eo arcet, sed carnis. Unum operantem in duabus naturis statuit, divinitus et humanitus: hæc orthodoxa sunt, et duarum voluntatum operationumque confessioni æquiparanda." Orsi, c. 22, art. 1.

43. *Resp.* secundo. Nego minorem, n. 38. Quæ in Honorii epistolis incaute dicta sunt et, præter intentionem, Monothelitis favebant, non definiendo ex cathedra et obligatorie dicta sunt. I. Primam epistolam his verbis concludit:—"Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut et nos ea vobiscum unanimiter prædicamus: *hortantes* vos, ut unius vel geminæ novæ vocis

inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum D. J. C. Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus atque humanitus, fide orthodoxa, et unitate catholica prædicetis." Hortatur, non mandat neque ullam pœnam intentat: D. 20, n. 114. In secunda epistola hæc verba habentur:—"Non nos oportet unam vel duas operationes *definientes* prædicare."

44. II. Tantum abest ut epistolæ Honorii ad Sergium pro universa Ecclesia scriptæ sint, ut, a tempore quo datæ sunt (an. 633), usque ad Concilium sextum generale (an. 681), fere omnibus ignotæ, in scriniis ecclesiæ Constant. latuisse videantur: quod de secunda epistola, ex actis illius Concilii, manifestum est: HARD. 1351.

45. III. Ostendit ORSI (l. c. a. 2), ut literæ vel decreta Pontificis vim definitionis dogmaticæ haberent, quasdam, ea ætate, solemnitates ut plurimum observandas esse. "1°. In synodo Episcoporum Italiæ, aut saltem viciniorum provinciarum, vel in clericorum Ecclesiæ Romanæ conventu, proposita quæstio ventilabatur. 2°. Literæ Apostolicæ ad Patriarchas aut Primates aut Metropolitanos dirigebantur, ut eas ceteris per orbem Episcopis intimarent. 3°. Illud etiam plerumque in more positum erat, ut ad earum subscriptionem Episcopi adigerentur; aut saltem singulis pene verbis, ut ait Thomassinus exsertissimam potestatem et jurisdicendi principatum ostentabant, atque adeo parendi necessitatem inferebant." Istas solemnitates non esse observatas ab Honorio ostendit idem ibidem.

46. *Urgetur* 1. Damnatus fuit Honorius, a Concilio

generali sexto, ut hæreticus, propter epistolas ad Sergium datas. Ergo epistolæ illæ continent hæresim.

47. *Resp.* Distinguo antecedens: Damnatus fuit propter hæresim quam docuit et definivit, docens Ecclesiam ex cathedra: Nego: Damnatus fuit ut hæreticus ullo alio modo: 1°. Transeat: nostri enim non est defendere infallibilitatem Papæ, nisi docentis Ecclesiam ex cathedra: 2°. Subdistinguo: Damnatus est ut hæreticus, eo sensu quod hæresim in alterutra ex epistolis docuerit: Nego: Eo sensu quod cum supremus esset pastor, et datus speculator domui Israel (Ezech. iii. 17), inconsiderate se permisit a lupo Sergio deludi et circumveniri; et quia, ut ait Leo II. (HARD. 1730), "flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit." Antiquitus (et etiam hodie) aliquando vocabantur hæretici, non solum qui proprie tales fuere, sed qui hæreticis favebant —præsertim si ex officio tenerentur fidem tueri. Et revera qui ita culpabiliter agunt, peccant contra virtutem fidei.

48. *Urgetur* 2. Sergius scripsit ad Honorium ut Papam, ut supremum Ecclesiæ Doctorem. Ergo Honorius rescripsit docens ex cathedra. LUZERNE, c. 17, n. 12.

49. *Resp.* Nego consequentiam et consequens. Haud raro factum est ut Pontifex, rogatus ut decidat quæstionem, omnino abstineat a definitione, vel eam in aliud tempus differat. Rogatus est Pontifex ut decideret controversiam de auxiliis—quo exitu norunt omnes. Honorium non definisse jam probatum est: n. 43. Alias ejusdem objectiones disjectas habes a PALMA, c. 69.

Alia multa de hac quæstione habentur apud auctores

supra memoratos et alios; PERRONE, n. 783, &c. et de Incarnat, n. 482; BILLUART, de Incarnatione, d. 18, Digressio Historica; BALLERINI, c. 15, § 9; &c. &c.*

* Anno 1870 Parisiis (typogr. Victor Palmé) editum est opusculum, quod inscribitur "La Cause d' Honorius, &c." in quo continentur omnia documenta antiqua ad hanc causam pertinentia, cum aliis adjectis perutilibus. 1874.

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

PARS QUARTA:

DE NOTIS ECCLESIÆ.

CAPUT VIGESIMUM.

DE NOTIS ECCLESIÆ.

PARS PRIMA:

DE NOTIS ECCLESIÆ IN SE SPECTATIS.

Sectio Prima.—*De Nota in Genere.*

1. Nota et signum hic idem sonant. "Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire: sicut vestigio viso transisse animal, cujus vestigium est, cogitamus; et fumo viso ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita adfectionem animi ejus advertimus; et tuba sonante milites vel progredi se, vel regredi, et si quid aliud pugna postulat, oportere noverunt. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data." S. August. de Doctrina Christ. l. 2, n. 1. Nota ergo seu signum, ut sic, est, ut aiunt, quid relativum; nam ad aliquid aliud refertur, et nota est *alicujus rei*. Nota alicujus rei est id quod potest ducere (seu, ut habet August., "ex se" ducit) in cognitionem istius rei. Dixi "quod *potest* ducere;" fieri enim potest

ut, ex variis causis, re non ducat, et tamen veram vim ducendi habeat, et vera sit nota. Sic, verba sunt signa mentis ejus qui ea profert; et fieri tamen potest ut non audiantur, aut audita non intelligantur, aut intellecta non attendantur. Mirabilis ordo mundi est nota existentiæ Dei infinite potentis et sapientis; et tamen quot sunt qui Deum verum non agnoscunt?

2. Notæ dantur rerum non solum externæ et sensibiles, sed etiam internæ: talis est cogitatio, nota substantiæ spiritualis cogitantis. Sermo hic est de sola nota externa (de qua S. Aug. supra), seu quæ est ipsa extra nos, et nota est rei extra nos existentis. Ad omnem ejusmodi notam efficiendam tria necessaria sunt. 1°. Debet esse sensibilis in se vel in alia re: nihil enim extra nos omnino insensibile nos ducere potest in cognitionem alterius rei. 2°. Debet esse cognoscibilis ante rem cujus est nota. Non enim potest in cognitionem rei ducere, quod ipsum non potest cognosci nisi post rem illam cognitam. Ut reapse ducat in cognitionem rei, debet profecto et cognosci ante illam rem. 3°. Debet, quantum in se est (n. 1), aliquo modo ducere in cognitionem rei, cujus est nota.

3. Duplici modo potest nota in cognitionem rei ducere, positive et negative. Hinc prima exurgit et præcipua notæ divisio in positivam et negativam. Nota *positiva* directe et quasi affirmando rem indicat: nota *negativa* non affirmat hanc *esse* rem de qua inquiritur, sed affirmat eam *esse posse:* et vocatur negativa, quia, si absit a re aliqua, hæc absentia signum est eam non esse rem de qua inquiritur. Sic, si, exempli gratia, ponatur quatuor Ecclesiæ attributa, unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem, simul conjuncta efficere notam

Ecclesiæ veræ positivam, Ecclesia, in qua conjuncta inveniuntur, eo ipso demonstratur esse Ecclesia vera. Si ponas catholicitatem materialem (c. 8, n. 8) esse notam tantum negativam, Ecclesia quæ catholicitate gaudet, quod ad hanc notam attinet, potest esse vera; Ecclesia vero quæ ea caret eo ipso falsa esse demonstratur.

4. Ut nota igitur sit positiva, præter conditiones jam (n. 2) recensitas pro nota in genere, necessarium est ut sit propria rei, cujus est nota positiva. Si enim ei non sit propria, sed cum aliis communis, tunc ex eo quod in aliqua re invenitur, non sequitur eam esse rem de qua inquiritur. Sic, vestis decens nota est boni sacerdotis; sed, quoniam homines passim vestibus decentibus induuntur, non sequitur quemque veste decente indutum esse bonum sacerdotem.

5. Ex dictis sequitur notam positivam posse esse etiam negativam: nota autem tantùm negativa, vi termini, non potest esse positiva. Nota positiva semper negativa quoque est, quando essentialis est proprietas rei cujus est nota. Sic, si ponas calorem esse notam positivam et proprietatem essentialem ignis, absentia caloris ab aliquo loco signum est ibi non esse ignem. Si ponas catholicitatem formalem (c. 8, n. 8) esse notam Ecclesiæ positivam, est etiam nota negativa; quia, cum essentialis est proprietas, Ecclesia quæ ea caret eo ipso demonstratur non esse Ecclesia vera.

6. Si vero nota positiva non sit essentialis proprietas rei, non est nota negativa: ejus enim absentia a re non probat eam non esse rem de qua inquiritur. Sic, miraculum, mortuo aliquo invocato, patratum nota est positiva mortuum istum inter sanctos esse; sed quoniam non est essentialis proprietas sanctitatis, ut miracula ad eam testandam edan-

tur—infinitus est enim numerus sanctorum, qui nullum unquam miraculum patrarunt—miracula patrare non est nota sanctitatas negativa.

SECTIO SECUNDA.—*De Notis Ecclesiæ in Genere.*

§ 1. *De Necessitate notarum Ecclesiæ.*

7. Omnis rei, cujus sunt exemplaria falsa et adulterina, duplicem oportet esse speciem notarum; quarum prima rem istam existere demonstret, altera eam a falsis exemplaribus secernat. Opus non est ut hæ duæ notarum species sint in se et entitative diversæ; fieri enim potest ut unâ et eâdem notâ et res existens ostendatur, et ab aliis distinguatur.

8. Omnium, quos vidi, auctorum Protestanticorum nullus est, qui absolute et aperte neget aut existentiam notarum aut necessitatem: etsi in ipsis notis quæ sint statuendis plerique, ut infra, videbitur, nobiscum omnino dissentiunt. Puseyitæ et alii ex iis qui visibilitatem Ecclesiæ propugnant, necessitatem tenent notarum, quibus vera Ecclesia seu, ut alii volunt, veræ Ecclesiæ et falsæ inter se distinguantur. Evangelicales vero, tenentes Ecclesiam invisibilem, quæ vere et proprie mysticum Christi corpus est, in visibili contineri, dicunt notas dari ad indicandum, non *quæ* sit Ecclesia vera, sed *ubi* sit, nempe in cœtibus visibilibus.*

* "Where the Word and the Sacraments are duly ministered there must, in that place, be a part of Christ's body, comprised within, or rather manifesting itself under the form of, the local Christian society . . . . . The Protestant notes, though the proper subject of their appli-

PROPOSITIO. *Deus constituit notas, quarum ope Ecclesia vera ab omni Ecclesia falsa distingui possit.*

9. ARGUMENTUM I. Deus vult ut ab omnibus Ecclesia vera ab omni falsa distinguatur. Sed ad id assequendum medium necessarium sunt notæ. Ergo a Deo constitutæ sunt notæ. Prima propositio sequitur manifesto ex duabus aliis, quarum altera probatur in tractatu de Deo vel in tractatu de Incarnatione, nempe, Deum vere et sincere velle omnes homines salvari; altera vero in hoc tractatu probatur, c. 6, nempe, extra Ecclesiam veram non dari salutem. Deus ergo vult ut omnes Ecclesiam veram ingrediantur. Eam autem ingredi non possunt, qui eam discernere non possunt. Secunda propositio patet. Quænam enim ex variis Ecclesiis unice vera sit non est per se evidens: ergo debent esse quædam notæ, quibus id certo statui possit.

10. ARGUMENTUM II. Notarum existentiam et necessitatem variis modis passim significant Patres: vid. GONET, de Virtut. Theolog. d. 1, n. 238. Sufficiat hic unum textum S. AUGUSTINI celeberrimum indicare ("Contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti," n. 5), qui profertur, c. 9, n. 29:—"Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis; multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium:" &c.

cation is local churches, serve also, mediately, as notes of the true Church; they serve, as Bellarmin accurately remarks, to point out *where* it is, though not *which* it is." LITTON, pag. 366.

Objectiones quædam futiles videantur, D. 21, n. 19, &c. Quoad objectionem ex eo quod Ecclesia est objectum fidei eductam, vid. c. 4, n. 52, &c.

§2. *De Qualitate notarum Ecclesiæ.*

11. Omnis nota Ecclesiæ eas habere debet qualitates quæ necessariæ sunt ad notam in genere efficiendam: n. 2. Insuper debent esse aliquæ notæ (vel aliqua nota) vulgo hominum ita ex se faciles cognitu, ut hominum multitudo, adhibita diligentia, qualem in negotiis gravibus adhibere solent prudentes et sapientes (adjuvante quidem gratia, quæ tamen facienti quod in se est nunquam denegatur), istas notas invenire et applicare possit. Hoc sequitur ex dictis, n. 9. Necessarium tamen non est ut omnes notæ tales sint: sed sufficit tot tales esse, ut homines cujuscumque conditionis earum ope ad cognitionem Ecclesiæ pervenire possint. Et revera notæ nostræ omnes sub altero conceptu cognitu valde faciles sunt, sub altero conceptu non item. Sic, v. g. apostolicitas seu antiquitas doctrinæ in Ecclesia Catholica, et ejusdem in ceteris Ecclesiis defectus, hominibus sinceris et simplicibus factum est valde apertum; deliberationem vero de singulis doctrinis, veterum scripta inspiciendo, nonnisi doctiores instituere possunt.

Sectio Tertia.—*De Notis Ecclesiæ Protestanticis in Specie.*

12. Variæ sunt variorum sententiæ. Exceptis Puseyitis (qui tamen nequaquam definite et clare suam

mentem proferunt: PALMER, vol. 1, pag. 21), omnes quotquot vidi auctores Protestantici Anglici in his duabus notis affirmandis conveniunt, nempe 1°, puri verbi Dei prædicatione et 2°, recta sacramentorum administratione. Alii has duas notas solas admittunt, alii alias eis adjungunt: sed omnes in illis saltem affirmandis unanimes sunt—omnes dico qui de hac materia scripserunt, longe plures enim eam omnino prætermittunt. Excepto Luthero, ita quoque docuerunt veteres Protestantes extranei: BELLARM. de Ecclesia, l. 4, c. 2.

PROPOSITIO. *Prædicatio puri verbi Dei non est nota Ecclesiæ.*

13. ARGUMENTUM. Non est nota Ecclesiæ quæ non solum ante cognitam Ecclesiam cognosci non potest, sed quæ, posito principio Protestantismi fundamentali, absolute cognosci non potest. Talis est prædicatio puri verbi. Major evidens est: quomodo enim ad rem aliquam designandam nota esse potest, quæ ipsa absolute designari non potest? Minor probatur. Ut cognoscatur purum verbum prædicari apud aliquam Ecclesiam, v. g. Evangelicalem, Presbyterianam, &c., id cognosci debet *vel* ex Scriptura privato judicio, sive adjuto sive non adjuto, interpretata (scilicet, ad comparandum verbum illud prædicatum cum Scriptura, ut discernatur utrum purum sit an impurum), *vel* ex auctoritate Ecclesiæ. Medium aliud dari non potest, aliud non dant Protestantes. Primum dici non potest: in cap. enim 12 demonstratum est absolute impossibile esse, vulgo hominum præsertim, ut ista methodo verbum purum habeatur. Secundum a Protestantibus dici non

potest, nisi proprium systema prorsus abjiciendo, nostrumqui accipiendo.

14. Opus non est alteram notam, rectam sacramentorum administrationem, propositione separata refellere: *tum* quia sacramenta, si vere talia sint, in puro verbo Dei continentur; *tum* quia eodem genere argumenti ostenditur nec sacramenta nec rectam sacramentorum administrationem, posito principio Protestantico, cognosci posse. Vid. BELLARM. c. 2; VALENTIA, § 18; &c.

Videantur objectiones, D. 21, n. 30, &c.

SECTIO QUARTA.—*De Notis Ecclesiæ Catholicis in Specie.*

§1. *De Notis, quæ et quot sunt.*

15. Plures notæ Ecclesiæ a quibusdam theologis enumerantur. PICHLER, n. 5, et KICK, n. 110, dicunt BOZIUM, presbyterum Congregationis Oratorii, afferre 99 notas: BELLARMINUS affert. 15. Quatuor sunt notæ, quas omnes theologi unanimes affirmant, nempe, Unitas, Sanctitas, Catholicitas, Apostolicitas; et ceteræ omnes notæ, quæ veræ notæ sunt, ad has quatuor revocari possunt, ut fatetur BELLARM. Quatuor istæ notæ sunt omnes certæ, essentiales et intrinsecæ: sed opus non est ut tales sint in omnibus et variis modis, quibus manifestantur vel manifestari possunt.

16. Quatuor has notas (quæ in symbolo Constantinopolitano enumerantur) veras esse notas Ecclesiæ facile demonstratur. 1°. Vel enim dicendum est, quod dici non potest (n. 7), Ecclesiæ nullas esse notas, vel has esse notas—rejectis enim notis falsis (n. 13), aliæ non sunt

quæ adhibeantur. 2°. Ab universa antiquitate hæ notæ passim et perpetuo proferuntur, ut constat ex innumeris Patrum locis, qui indicati videantur in opere majori, n. 47.

§2. *De Vi probandi Notarum.*

17. In his tribus omnes theologi consentiunt—1°, has quatuor notas esse singulas veras notas; 2°, eas simul conjunctas efficere notam positivam; 3°, singulas separatim esse notas negativas. Eas conjunctim efficere notam positivam patet; alioquin enim nulla esset nota, qua Ecclesia vera *directe* indicetur; et Ecclesia non esset formaliter visibilis ut Ecclesia vera. Eas esse singulas notas negativas patet; sunt enim singulæ proprietates essentiales Ecclesiæ, et ergo ecclesia, quæ ulla ex iis careat, eo ipso falsa esse demonstratur. Sed quæritur an singulæ separatæ sint notæ positivæ. Plerique theologi hanc quæstionem vel omnino prætermittunt, vel nonnisi breviter et ex parte de ea disputant: ea paulo latius excussa videatur, D. 21, n. 49, &c.

PARS SECUNDA:

DE APPLICATIONE NOTARUM AD ECCLESIAS.

Sectio Prima.—*De Applicatione Notarum ad Ecclesias Protestanticas.*

§ 1. Unitas.

Propositio 1. *Ecclesiæ Protestanticæ conjunctim sumptæ non habent Unitatem, quæ est proprietas Ecclesiæ Christi.*

18. Argumentum. Unitas, quæ Ecclesiæ Christi proprietas est, unum significat supremum regimen, quo omnes ita uniantur, ut unum corpus et rempublicam sacram efficiant; unamque fidem perfecte et ex jure (non opus est verbum facere de cultu). Apud Ecclesias Protestanticas conjunctim neutra unitas habetur. Major in c. 5 probata est. Minor evidens est.

19. I. Ex confesso omnium, tantum abest ut habeatur ista unitas regiminis, ut eam omnes uno ore tanquam a constitutione Ecclesiæ divina prorsus alienam abjiciant. Non solum non uni et eidem regimini subjiciuntur, sed nec etiam similes regiminis formas habent. Ecclesia enim Constituta regem seu reginam pro suo capite supremo habet, ceteris omnibus ab ea dissentientibus; aliis hanc, aliis illam, aliis nullam formam regiminis agnoscentibus.

20. II. Neque unitatem fidei habent. 1°. Non habent principium unitatis fidei. Clamant quidem se omnes, mira sententiarum concordia, Scripturam pro regula et principio fidei habere. Sed Scriptura est judicio privato singulorum interpretata; quæ non est divinitus constituta regula fidei, et pro eis qui ea uti possint non unitatis sed infinitæ varietatis fidei principium est certum et feracissimum; prout demonstratum est, c. 12. Nec 2°, unitatem facti habent. Hoc adeo apertum est, ut nullum vidi auctorem qui id neget, nisi interponendo distinctionem inter fundamentalia et nonfundamentalia; quæ distinctio penitus disjecta est, c. 5.

PROPOSITIO 2. *Ecclesia Constituta non habet Unitatem, quæ est proprietas Ecclesiæ Christi.*

21. ARGUMENTUM. Posita majore syllogismi supra dati, n. 18, opus non est verbum facere de unitate regiminis in Ecclesia Constituta. Quoniam enim non aliam supremam gubernationem præter eam quæ in Rege (vel Regina) est admittit, et quia jurisdictio ecclesiastica suprema civilis potestatis nequaquam juris divini est, non habet ad summum nisi unitatem regiminis pure civilem et humanam.

22. Neque unitatem fidei habet. 1°. Unitatem juris non habet: nullum enim habet principium sacrum quo quæ sit fides sequenda, qui sint errores abjiciendi, statuatur: D. 15, n. 9, not. 2°. Unitatem facti non habet. In Ecclesia enim Constituta existunt vetera ista dissidia inter duas partes, quarum altera Ecclesia Excelsior vocatur, altera Ecclesia Inferior. Nec de meris opinionibus sed de ipsis fidei articulis dissentitur. Puseyitæ v. g.

tenent, non tanquam opinionem liberam, sed tanquam dogma fidei, episcopalem successionem esse necessariam jure divino ad veram Ecclesiam constituendam, et omnem Ecclesiam quæ illa successione caret non esse veram Ecclesiam. Haud pauca alia eodem modo tenent; quæ tamen a ceteris et ab ipsis suis Episcopis fere omnibus diserte et publice, tanquam errores pestiferi, rejecta et damnata sunt. Longum esset opus et tædii plenum, si ultra in particularia descenderem.

23. Sed quid de tot scriptis dicam nostra hac ætate editis, dogmata aperte impetentibus, quæ non solum a Puseyitis sed a plerisque ceteris Ecclesiæ Constitutæ Doctoribus ut omnino fundamentalia, ipsius religionis Christianæ fundamenta, habentur, auctores habentibus professores Oxonienses, doctores theologiæ, &c.? Quid ad hæc dicet v. g. D. PUSEY? Suntne ejusmodi auctores membra Ecclesiæ Constitutæ? Nequaquam, respondebit; hæretici sunt, rationalistæ sunt, &c. Sed eodem ipso jure quo eos ille Ecclesiâ extrudit, et ii illum extrudent. Si ii minus justo doceant (reponi potest), ille plus justo docet: si ii rationalistice doceant, ille Catholice docet; et Protestantismus magis contra Catholicismum protestatur quam contra rationalismum, qui, quo tempore ortus est Protestantismus, non adhuc extitit. Quis judicabit? Et revera nullum vidi auctorem qui affirmet Ecclesiam Constitutam eam habere perfectam unitatem fidei, quam nos probavimus (c. 5) esse attributum Ecclesiæ essentiale.

PROPOSITIO 3. *Ecclesia Constituta et Græca et Catholica conjunctim non sunt una Ecclesia.*

24. Doctrina, quæ affirmat istas tres Ecclesias unam efficere veram Ecclesiam Christi, non eodem sensu ab omnibus Protestantibus intelligitur. 1°. Puseyitæ tenent Christum quidem voluisse et præcepisse ut Ecclesia esset una in fide et cultu, et idcirco ut omnia membra secum in rebus sacris commercium haberent, eundem cultum simul frequentando, &c. Tenent vero Christum istam unitatem, etsi eam voluit, non tamen statuisse ut essentialem. 2°. Alii tenent Christum nequaquam constituisse unam *Ecclesiam*, i. e. unam rempublicam sacram, sed tantum unam *Religionem*, et ad hanc necessariam esse unitatem in fide et cultu in fundamentalibus. Hæc latius ennarata videas, D. 6, n. 56, &c.

25. ARGUMENTUM. Ex doctrina de vera et essentiali unitate Ecclesiæ, c. 5 probata, propositio nostra evidenter sequitur. Tres enim illæ Ecclesiæ non habent unum commune et supremum regimen; quod ibidem demonstravimus absolute necessarium esse ad unam Ecclesiam constituendam. Quod vero attinet ad fidem, omnibus notum est Ecclesiam Constitutam plures doctrinas tenere et profiteri, quas Ecclesiæ et Catholica et Græca pro tot hæresibus habent. Plura sunt dogmata quæ, tanquam dogmata fidei, tenentur ab Ecclesia Catholica et Græca, et quæ omnino rejiciuntur ab Ecclesia Constituta, qualia sunt sacrificium Missæ, cultus et invocatio Sanctorum, &c. &c. Ecclesia Græca respuit primatum successorum S. Petri, et processionem S. Spiritus ex Filio, dum utrumque dogma nos de fide Catholica

esse tenemus. Sed in re adeo aperta opus non est longiorem sermonem instituere. Vel enim evertenda est idea unitatis in c. 5 statuta, vel manifestum est tres istas Ecclesias unam non efficere Ecclesiam.

26. Ex his omnibus clare et invicte sequitur 1°, Ecclesiam Constitutam, seculo sexto decimo se ab Ecclesia Catholica, cujus antea pars fuit, separasse; et separatam et sejunctam manere. Sequitur 2°, eam non esse partem istius universalis Ecclesiæ pure fictæ et imaginariæ. Eadem, a pari aut a fortiori, de ceteris omnibus sectis Protestanticis dicenda sunt.

Solvuntur Objectiones.

27. *Object.* 1. contra Prop. secundam, n. 21. Ecclesia Constituta, in variis suis articulis et canonibus, obedientiam suis pastoribus præstandam mandat; schisma et hæresim omnino damnat; "ritus sive cæremonias statuendi jus, et in fidei controversiis authoritatem" sibi vindicat (Artic. 20); &c. &c. Ergo unitatem habet. PALMER, vol. 1, pag. 174, &c.

28. *Resp.* Transeat antecedens: Nego consequens et consequentiam, quæ quidem perabsurda est. 1°. Ponatur istas declarationes et mandata suum proprium effectum integre sortiri, unitatem, quæ proprietas est Ecclesiæ Christi, parere non valent. 2°. Sed tantum abest ut fructus afferant, ut, e contrario notum et manifestum sit nec juris nec facti unitatem existere. Quæstio non est quid voluerint auctores articulorum et canonum, aut quid velit ipsa quæ nunc est Ecclesia Constituta; sed quæstio est de *facto*. Quæstio non est an Ecclesia ista unitatem *velit*, *exoptet*, *mandet*, aut an media ad eam habendam

constituerit; sed an unitatem *habeat.* Quot sunt qui laudant et appetunt fortitudinem, sobrietatem, castitatem, &c.? Num ideo recte concludatur eos esse fortes, sobrios, castos, &c.? Unitatem appetit et mandat Ecclesia—sed *est*ne una? Damnat hæreses et schismata—sed quænam est secta hæretica aut schismatica, quæ non profitetur se damnare hæreses et schismata?

29. *Object.* 2, contra Prop. 3 et corrollaria, n. 26. Ea Ecclesia non est separata ab Ecclesia universali, quæ profitetur se credere in "Ecclesiam Catholicam;" quæ orat pro unitate ejus et bono; &c. Sed ita agit Ecclesia Constituta, ut ex ejus libris sacris constat. *Idem*, pag. 176; PUSEY, Eirenicon, pag. 45.

30. *Resp.* Distinguo majorem: Si non constet eam esse separatam: Transeat: Si clare constet eam esse separatam: Nego. Iterum iterumque dico hic non quæri quid velit, oret, credat, &c. Ecclesia Constituta, sed quomodo se teneant facta.

31. *Object.* 3. Ea Ecclesia non est separata ab universa Ecclesia, quæ se voluntarie non separavit. Atqui Ecclesia Constituta nullo actu voluntario se ab Ecclesia universa separavit. *Idem*, pag. 177.

32. *Resp.* 1°. Distinguo majorem: Nec directe nec indirecte: Concedo: Vel directe vel indirecte: Nego. 2°. Nego minorem simpliciter et absolute. Ecclesia illa se sejunxit voluntarie, directe et aperte. Quærit PALMER, quonam actu se sejunxit? Respondeo, actis multis et variis; omnibus actis quibus, sub Henrico VIII. Edvardo VI. et Elizabetha, fides et cultus et regimem, omnino diversa ab iis quæ tunc in universa Ecclesia existebant, statuta sunt. Et si velit adversarius, ad suam fictam Ecclesiam universalem efficiendam, Græcos cum Catholicis,

conjungere, non minus aperta et prorsus voluntaria fuit separatio in fide et cultu. Palam enim et diserte respuit Ecclesia Constituta quinque ex septem sacramentis, sacrificium Missæ, cultum sanctorum, &c. &c. quæ omnia tunc tenuimus nos et Græci. Nonne isto modo novam fidem, diversam a fide Ecclesiæ, prædicando, se ab ea separarunt Arius, Nestorius, Eutyches, &c. &c. ?

Cetera argumenta, quæ profert hic auctor, ex principiis jam datis facile dissolvuntur. Vid. PERRONE, de Locis, p. 1, n. 302, &c.

§ 2. SANCTITAS.

33. Infinitus esset labor si de sanctitate variarum sectarum quæstionem hic haberem, in iis quæ spectant ad earum origines, doctrinas, membrorum mores, &c. De sola ergo Ecclesia Constituta verbum breviter faciam.

1°. Eam non esse sanctam in origine satis patet ex historia schismatis primùm sub Henrico Rege inducti, et postea sub filia ejus, Elizabetha Regina, firmati. Nec sancti fuere istius schismatis auctores principales; nec sancta media ad illud inducendum adhibita sunt; nec fructus sanctos protulit. 2°. Defectus sanctitatis mediorum, quibus homines ad vitam sanctam duceret et in ea firmaret, patet ex eo quod tot ejusmodi media, quæ in Ecclesia Catholica adeo efficacia sunt, prorsus a se abjecit Ecclesia Constituta.

§ 3. CATHOLICITAS.

34. 1°. Nec Ecclesiam Constitutam nec ullam aliam Ecclesiam Protestanticam, per se sumptam, gaudere ca-

tholicitate facti, evidens est. 2°. Simul conjunctæ non efficiunt Ecclesiam Catholicam; non enim unam efficiunt Ecclesiam, sed plures Ecclesias: n. 18. 3°. Ob eandem rationem, neque Ecclesiam Catholicam efficiunt Ecclesiæ Constituta, Græca et Catholica: n. 24.

§ 4. Apostolicitas.

35. Nulla Ecclesia Protestantica apostolicitatem habet, quæ est essentialis proprietas Ecclesiæ Christi. Ut Ecclesia aliqua, hodie aut usque in finem mundi, apostolica sit, debet esse vel ipsa ab Ecclesiâ per Apostolos fundatâ successione perenni et continuâ derivata, ita ut illa ipsa sit Apostolorum Ecclesia immutata continuata; vel debet esse isti Ecclesiæ integra communione conjuncta. Atqui nulla Ecclesiarum Protestanticarum hanc apostolicitatem habet. Nulla enim earum est quæ in prima sua origine, seculo decimo sexto, non sibi accivit fidem et cultum et regimen omnino diversa ab iis quæ tunc temporis in ulla Ecclesia existebant; se aperte et diserte cœtum ecclesiasticum faciens prorsus alium et diversum ab omni cœtu eccleastico tunc in universo mundo existenti. Vel ergo dicendum est, contra symbolum Constantinopolitanum, Ecclesiam non esse essentialiter apostolicam, vel dicendum est omnes et singulas Ecclesias Protestanticas hoc attributo Ecclesiæ essentiali prorsus carere.

Sufficit argumentum illud generale, quod id habet utilitatis ut simul breve sit, clarum et invictum. De invaliditate ordinum in Ecclesia Constituta nimis longum esset hic tractare.

SECTIO SECUNDA.—*De Applicatione Notarum ad Ecclesiam Catholicam.*

§ 1. UNITAS.

PROPOSITIO 1. *Ecclesia Catholica est una in Regimine, Fide et Cultu.*

36. ARGUMENTUM. *Primo:* Una est in regimine. Omnes Catholici ubique terrarum tanquam dogma fidei profitentur primatum R. Pontificis, qualis in tertia hujus operis parte describitur. Nec pure speculativa est hæc fides, cui facta non respondent. Omnibus enim notum est quanto obsequio, quanta filiali reverentia, a fidelibus et a pastoribus mandata et leges Pontificis recipiuntur. Sunt sane qui non omnia præcepta servant, sicut sunt qui nec omnia præcepta Dei servant. *Secundo:* Una est in Fide. In ea enim est tribunal permanens, vivum, aditu facile, a quo omnia credenda definiantur et omnes controversiæ componantur; cujus definitionibus omnes interno etiam mentis assensu se subjicere ita tenentur ut 1°, omnium sit fides aperta, eum qui publice ullam definitionem rejicit eo ipso ab Ecclesia præcidi, et 2°, ut non solum hæc sit fides speculativa, sed facta ei *semper* respondeant; nunquam enim factum est ut, qui publice negaret aliquod dogma ab Ecclesia definitum, non haberetur a ceteris omnibus ut ab Ecclesia præcisus. *Tertio:* Una est in Cultu. Omnes enim non solum eadem sacramenta, idem sacrificium, &c., tenent et frequentant, sed sacerdotes Catholici ubivis degentes in Catholicis ecclesiis, quasi in propriis, sacra faciunt; &c. Adeo

manifesta est unitas Ecclesiæ Catholicæ, ut ex ipsis adversariis quidam minime suspecti id ultro concedant.*

Solvuntur Objectiones.

37. *Object.* 1. Concilia Conciliis adversantur, Papæ Papis. CHILLINGWORTH et alii passim.

38. *Resp.* Distinguo: In disciplina mutabili: Concedo: In doctrina definita: Nego. Ne *unum* quidem hujus repugnantiæ exemplum proferunt adversarii, aut in æternum proferent.

39. *Object.* 2. De ipsa regula fidei inter se dissentiunt Catholici, aliis eam in R. Pontifice ponentibus, aliis in Concilio generali. *Resp.* Vid. hæc objectio soluta, c. 10, n. 126.

40. *Object.* 3 ex Jansenismo late per Ecclesiam disseminato. Hanc objectionem late et magno opere urget PALMER (vol. 2, pag. 244–263). Summa objectionis hæc est. Hæresis Jansenistica, etsi duobus abhinc seculis damnata ab Ecclesia, usque adhuc in ea existit; et plures ecclesias olim infecit, nempe, ecclesias Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Lusitaniæ, Hollandiæ, Angliæ; plures in istis regionibus Episcopi et presbyteri Jansenistici suum locum tenuerunt et membra Ecclesiæ manserunt; item multi laici Jansenis-

* "But here, as in other matters, this justice must be done to the Roman Catholics, that they have at least been consistent in their error. Their system is intelligible and harmonious; its symmetry is perfect, and its reasonableness would be unanswerable, if it were based upon a true foundation." ARNOLD, "Fragment on the Church," Append. 2, pag. 193; vid. et WHATELY, "on Bacon," pag. 33; MACAULAY, "Ranke's Popes," passim.

tici in Ecclesia manserunt. Unde sic objicitur. Ecclesia quæ in communione sua eos quos pro hæreticis habet tenet, etiam Episcopos et presbyteros sua munera sacra propria exercentes, non gaudet unitate quam sibi vindicat Ecclesia Catholica. Atqui illa ipsa Ecclesia Catholica ita in sinu suo tenuit Jansenistas, quos pro hæreticis habuit et habet.

41. *Resp.* Distinguo majorem: Hæreticos occultos; Nego: Publicos: Concedo. Distinguo minorem similiter: Ecclesiæ membra manebant Jansenistæ occulti: Transeat (c. 2, n. 30, &c.): Publici: Nego. 1°. Alia est hæresis Jansenistica, alii sunt ipsi Jansenistæ. Hæresis Jansenistica (nempe, quæ affirmat quinque Jansenii propositiones vel alias hæreses cognatas) ab Ecclesia damnata et omnino abjecta est, neque ullomodo puritatem fidei ejus maculavit; ut manifestum est ex assensu quem definitionibus Pontificiis præstiterunt Episcopi ceterique fideles, sed etiam, ut jam videbitur, n. 42, ipsi Jansenistæ, saltem ore tenus. Ex hac ergo parte tota corruit objectio.

42. 2°. Dixi "quæ affirmat quinque propositiones," &c. In eis enim proprie consistit hæresis Jansenistica: statim vero atque a Pontifice damnatæ sunt, clamarunt Jansenistæ eas recte damnari, sed in libro Jansenii non contineri, et negabant infallibilitatem Ecclesiæ in ejusmodi facto dogmatico definiendo. Jansenistas, multos saltem, nequaquam sinceros fuisse in rejiciendis quinque propositionibus, ex pluribus eorum scriptis constat (vid. inter alia Constit. "Unigenitus" Clementis XI.): sed qui occulte tantum istas propositiones tenuerunt, occulti erant hæretici. Quod vero attinet ad negationem infallibilitatis Ecclesiæ in facto dogmatico definiendo, quoniam doctrina hæc non erat

expresse damnata, et a quibusdam Catholicis auctoribus tenebatur, in ea affirmanda non erant hæretici proprie dicti, sed temerarii, &c.

43. 3°. Qui ex Jansenistis publici erant hæretici, eo ipso extra Ecclesiam positi sunt; neque eorum hæresi magis infecta est Ecclesia quam hæresi ipsius PALMERI inficitur. Neque obstat quosdam vel etiam multos eorum non fuisse sententia speciali excommunicatos aut a muneribus suis abmotos. Ipso jure excommunicati sunt: in his vero et illis casibus Pontifices a speciali sententia ferenda se continuerunt; *tum* quia ea necessaria non fuit; *tum* quia in quibusdam casibus majora mala timenda erant, in aliis vero facta vel ignota fuere Pontifici, vel canonice probari non potuerunt—ea enim fuit hujus hæresis indoles specialis, ut sese, quantum fieri potuit, celaret: D. 17, n. 105, not. Multa sunt nota et moraliter certa, quæ tamen legitimo testimonio probari non possunt.

44. *Urgetur.* Id saltem controversiâ Jansenisticâ evertitur quod affirmant Catholici scriptores, nempe, apud eos controversias omnes certitudine infallibili immediate componi ["Such the infallible certainty with which all controversies are immediately terminated among them"]. *Idem*, pag. 254.

45. *Resp.* 1°. Nullus unquam Catholicus affirmavit *omnes* controversias *immediate* componi; sed affirmamus nos habere tribunal quo omnes controversiæ (theologicæ, ut hic supponitur) decidi possunt infallibiliter, et, si id postulet bonum Ecclesiæ (v. g. puritas fidei), decidentur—non quidem immediate et per modum inspirationis, sed post debitam deliberationem.

46. 2°. Tantum abest ut id quod dicimus de nostro

judice controversiarum istâ controversiâ evertatur, ut eâ mirifice illustretur et firmetur. Ex quo enim damnatæ sunt quinque propositiones, omnes Catholici eas respuerunt. Ex quo vero effugium Jansenistarum (n. 42) damnatum est ab Alexandro VII., similiter omnes Catholici tenuerunt propositiones illas in libro Jansenii contineri. Nulla amplius, ne minima quidem, inter *Catholicos* mota est controversia de alterutra quæstione, An propositiones sint hæreticæ? An contineantur in libro Jansenii? Jansenistæ quidem morem non gesserunt, et seipsos Catholicos vocabant, et pro Catholicis se haberi volebant. Ita quidem, et eodem modo olim egerunt Manichæi, seipsis non Ecclesiæ nocentes. Si hic illic occultus Jansenista larvam gerat Catholicam, id non magis quam alia genera hypocrisis impedire potest Ecclesia.

47. Objectionem quam tanto apparatu profert PALMER ex encyclica GREGORII XVI. penitus disjectam videas apud PERRONE, n. 254. Mala *totius orbis Christiani*, quæ in ista encyclica deflet Pontifex, vult omnia esse mala in ipsa Ecclesia; cum sint mala quæ contra eam, et ad eam demoliendam, ab hostibus ejusdem inferuntur.

48. *Object.* 4. ex dissidiis quæ inter scholas Catholicas existunt, præsertim inter Thomistas et Scotistas, de gratia, de sacramentis, &c. Non minora sunt ista dissidia iis quæ inter Protestantes existunt. Ita multi.

49. *Resp.* "Tres sunt differentiæ inter nos et sectarios. 1°. Catholici doctores non dissident in articulis fidei, sed tantum in opinionibus adhuc relictis scholasticæ disputationi. Contra, Sectarii pugnant inter se in articulis fidei. 2°. Catholici disceptantes simul sunt parati se submittere judicio Ecclesiæ, et ejus definitioni acquiescere, quamprimum secuturæ: et hinc tantum discordant sub

conditione, si Ecclesia aliter non definierit. Unde 3°, inter Catholicos dissidentes non est pertinacia; sine hac autem nemo fit hæreticus. Sectarii vero sua placita absolute et cum pertinacia sustinent, quod alium Judicem non admittant præter S. Scripturam, suo proprio sensu et privato spiritu intellectam, quam tamen quælibet pars pro se claram jactitat." KICK, n. 114.

§ 2. SANCTITAS.

PROPOSITIO 2. *Ecclesia Catholica est sancta.*

50. ARGUMENTUM. Hoc argumentum rite et integre explicatum volumen haud exiguæ molis occuparet. Non possum nisi quædam capita breviter tangere. *Primo:* Sancta est in doctrina, ut constat ex innumeris probatis libris theologicis dogmaticis, moralibus, asceticis et aliis, qui tot veritatibus, præscriptis et monitis abundant, quibus mens cœlesti lumine collustratur et a rebus et desideriis terrenis abstrahitur et ad superna attollitur. In his adeo steriles sunt extranei, ut quos habent libros ejusmodi haud paucos ex nostris abstulerunt.

51. *Secundo:* Ex variis mediis, quæ ad vitia extirpanda et sanctitatem comparandam et firmandam adhibet Ecclesia, unum tantùm et alterum memorare possum. 1°. Primum et efficacissimum medium est Confessio sacramentalis et quidem frequens. Scio quosdam adversarios fanaticos, quæcumque ignorant blasphemantes, non solum negare quod de usu confessionis affirmamus, sed eum in summam invidiam apud suos inducere velle. Sed ex fructibus ejus cognoscendus est. Quæstio hic est de *facto*, An revera usus Confessionis, prout adhibetur in Ecclesia Catholica,

tot tantosque fructus sanctos efferat? Hujus quæstionis, sicut aliarum facti quæstionum, solutio, si haberi possit, ex testimonio idoneo habenda est. Estne testimonium ejusmodi? Ita plane, et abundantissimum et invictissimum. Ubicunque enim in toto orbe existunt ecclesiæ Catholicæ ibi existit usus Confessionis, in Hibernia, in Anglia, in Scotia, in Gallia, in omni regione Europæ, in America, &c. Habes ergo testimonium omnium Catholicorum qui in istis regionibus frequentant Confessionem, omnium sacerdotum qui ibidem audiunt confessiones. Quanta nubes testium, quasi totum mundum obducens! omnium regionum et linguarum, virorum et feminarum, omnis ætatis, omnis status et conditionis vitæ, sacerdotum et laicorum, monachorum et monialium, doctorum et indoctorum, divitum et pauperum, oppidanorum et rusticorum, matrimonio junctorum et matrimonio solutorum, militum et togatorum, sanorum et infirmorum, &c. &c. Testimonio isto universali, unanimi, permanenti et perpetuo, affirmante saluberrimos Confessionis, frequentis præsertim, fructus, quodnam majus dari potest? Ut alibi (D. 10, n. 44) obiter dicta repetam, "ut factum certissimum norunt millia millium Catholicorum, qui ubique terrarum Confessionem rite frequentant, non aliud esse ad vitia extirpanda et præcavenda medium efficacius. Norunt qui olim diu peccatis turpissimis toti dediti erant, et qui jam a multis annis vitam duxerunt puram, non sine frequenti Confessione et Communione fieri et stare potuisse mirabilem hanc mutationem. Norunt hæc sacerdotes Confessarii, norunt fideles; et in iis ergo signum habent clarissimum a Deo esse institutum ejusmodi." Jure dixit S. Pius V. (apud S. A. Liguori, Praxis Confessarii, n. 1), "Habeantur idonei Confessarii, ecce

omnium Christianorum omnimoda reformatio." Tanta a quibusdam Protestantibus in hac nostra Hibernia agnoscitur efficacia Confessionis, ut famulos Catholicos non conducant nisi ea lege ut frequentent Confessionem.

52. 2°. Secundum medium est mortificatio carnis, maxime per jejunium. De hoc vid. D. 22, n. 60.

53. *Tertio :* Sanctitatis membrorum triplex est gradus: D. 8, n. 3. De sanctitate primi et secundi generis satis insinuatum est, supra, n. 51, &c. Eorum qui sanctitatem heroicam assecuti sunt exempla habentur insigniora in vitis sanctorum, qui, non solum singulis seculis sed singulis etiam generationibus, gloria et virtutum et miraculorum fulserunt.

54. Non aliæ contra sanctitatem Ecclesiæ objectiones communiter proferuntur, præter mendacia ista impudica et calumnias spurcas, quas ne quidem dignas esse judico quæ hic etiam memorentur, nedum solvantur.

§ 3. Catholicitas.

55. Ecclesiam, quæ sola est semperque fuit nomine Catholica, re absolute Catholicam esse, moraliter quidem non physice, in dubium vocari non potest. Eam catholicitate relativa gaudere, etiam cum omnibus aliis Ecclesiis Christiani nominis conjunctim sumptis comparatam, ab adversariis conceditur. Secundum Macaulay ("Essay on Ranke"), Catholici numero sunt saltem 150,000,000, dum ceteræ omnes sectæ Christianæ numero vix sunt 120,000,000. Secundum computationem recens in libello periodico insigni, "Civilta Cattolica," editam, Catholici numero majores sunt singulis religionibus, cujuscumque

nominis, nunc in mundo existentibus. Computatio ista ita se habet:—

Catholici,	in Europa	147,194,000	207,891,000.
	in Asia et Oceanica	9,666,000	
	in Africa	4,071,000	
	in America	46,970,000	
Orientales non Catholici		70,000,000	136,000,000.
Protestantes,		66,000,000	
Judæi			4,000,000.
Islamitæ,			100,000,000.
Brahminitæ			60,000,000.
Buddhitæ			180,000,000.
Confucianitæ, &c.			152,000,000.
Omnes numeris, ut aiunt, paribus			840,000,000.

Videatur libellus hebdomadalis, "Correspondance de Rome," n. 357 (17 Jun. 1865).

§ 4. Apostolicitas.

Propositio 3. *Ecclesia Catholica est omnino Apostolica.*

56. Argumentum. *Primo:* apostolicitatem ministerii habet. Ad hanc apostolicitatem absolute necessaria est successio haud interrupta et ordinis et jurisdictionis ab ipsis Apostolis : c. 9. Utramque habet Ecclesia Catholica. 1°. Habet (a) successionem ordinis. Quoniam controversia hic est cum membris Ecclesiæ Constitutæ solis, seu potius cum illis ejus membris qui successionem istam omnino necessariam esse tenent, opus non est verbum addere. Cum enim tenent se ordinationem validam habere, et cum ordines suos ab Ecclesia Catholica sola habent, coguntur ergo concedere in illa Ecclesia esse successionem

ordinis. Et hoc quidem ultro concedunt omnes isti. Habet (b) successionem jurisdictionis: quod argumento præscriptionis facile et breviter probatur. Ea enim Ecclesia successionem jurisdictionis habet, quæ ab Ecclesia quam fundarunt Apostoli nullo unquam tempore usque adhuc defecit: talis est Ecclesia Catholica. Si enim ab alia Ecclesia antiquiore defecisset, illius defectionis, Ecclesiæ præsertim tam amplæ et late diffusæ, documenta essent plura et clara; sicut documenta sunt defectionis Arianorum, Nestorianorum, Photianorum, &c. Sed ne unum quidem in universa antiquitate documentum ejusmodi invenitur. Hanc partem quoque concedunt adversarii præsentes, neque eam ab ullo eorum negatam vidi.

57. 2°. Utraque pars probatur apostolica successione Romanæ Sedis. Etsi enim hodie non extant documenta historica, quibus de uno et altero, in istis temporibus antiquissimis, omne dubium *directe* tolleretur, an revera extiterint Pontifices, vel quo ordine aut quamdiu sederint, &c., nullum est factum historicum successione Romana a Petro usque certius: D. 19, n. 7, &c. Formalem vero fuisse hanc successionem eodem argumento præscriptionis constat.

58. *Secundo:* apostolicitatem doctrinæ habet Ecclesia Catholica. Hoc duplici via demonstrari potest, via examinis et via præscriptionis: D. 21, n. 64. Priori modo demonstratur a theologis in variis tractatibus, in quibus varia dogmata fidei ex Scriptura et Traditione probantur: quemadmodum in hoc opere demonstratur v. g. primatus S. Petri et successorum ejus. Alterius modi demonstrationis principia habes, D. 19, n. 208, &c., quæ hic facile accommodari possunt. Si enim ulla sint dog-

mata Ecclesiæ non apostolica, in his ab ætate apostolica mutata est fides. Atqui nulla mutatio facta est. Omnes aliæ mutationes in fide, etiam a sectis exiguis factæ, 1°, notas habent origines, nec 2°, sine reclamationibus et tumultibus factæ sunt. Nec mutationis in fide Ecclesiæ, nec reclamationum quæ exinde certissime factæ fuissent, extat ullum in universa antiquitate vestigium. Ergo nulla talis mutatio facta est.

Argumentum aliud cum solutione objectionum vid. in opere majori.

APPENDIX.

Excerpta quædam ex Constitutione dogmatica prima de Ecclesia Christi, editâ in sessione quarta Sacrosancti Œcumenici Concilii Vaticani : die 18 *Julii anni* 1874.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Sacro approbante Concilio, ad perpetuam rei memoriam.

Pastor æternus et episcopus animarum Nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui crediturі erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius etPater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre; ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem sæculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, *beatum Petrum cæteris Apostolis præponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum,* super cujus fortitudinem æter

num exstrueretur templum, et Ecclesiæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret (S. Leo M. serm. IV al. III, cap. 2, in die Natalis sui). Et quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, *in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit*, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

De Apostolici primatus in beato Petro institutione.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam *immediate et directe* beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. . . . . Huic tam manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum præ ceteris Apostolis, *sive seorsum singulis, sive omnibus simul,* vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eumdem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi, ut ipsius Ecclesiæ ministro, delatum fuisse. . . . .

CAPUT II.

De perpetuitate primatus Beati Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam

salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. . . . . .

Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis, et inhærentes tum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est sanctam apostolicam Sedem, &c. [ut supra, c. 17, n. 2.] . . . . .

Docemus proinde et declaramus Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias *ordinariæ* potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quæ *vere episcopalis* est, *immediatam* esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam *simul omnes*, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimem Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesiæ Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. . . .

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio, libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis do-

ceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, *qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impedire posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam,* ita ut contendant quæ ab apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.

Et quoniam divino apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem *supremum* fidelium (Pii PP. VI Breve, "Super soliditate, d. 28 Nov. 1786"), et in *omnibus* causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri (Concil. œcum. Lugdun. II). Sedis vero apostolicæ, *cujus auctoritate major non est,* judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio (Ep. Nicolai I ad Michaelem imperatorem). Quare a recto veritatis tramite aberrant qui affirmant licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifici superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem *plenam et supremam* potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero *totam plenitudinem* hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse *ordinariam et immediatam* sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis infallibili magisterio.

Ipso autem apostolico primatu, quem Romanus Pontifex, tanquam Petri principis Apostolorum successor, in univer-

sam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi hæc sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. . . . . .

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex, per eos ab erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa ætate, qua salutifera apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus prærogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis catholicæ exaltationem, et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus, et *divinitus revelatum dogma* esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, *ea infallibilitate* pollere, qua divinus Redemptor *Ecclesiam suam* in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones *ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ*, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit.

INDEX.

TRACTATUS DE ECCLESIA CHRISTI.

Pars Prima: De Ecclesia in sua universitate, seu ut quo toto, spectata.

		Pag.
Caput I.	*Notiones præviæ de Ecclesia*, ...	1
Caput II.	*De Membris Ecclesiæ*, ...	12
	An soli perfecti aut justi sint membra Ecclesiæ ? .	ib.
	An omnes et soli prædestinati ?	21
	An hæretici aut schismatici ?	24
	An filii hæreticorum infantes, valide baptizati ? .	28
	An non baptizati possint esse membra Ecclesiæ ? .	29
Caput III.	*De Indefectibilitate Ecclesiæ*, ...	32
	Status quæstionis explicatur, ...	ib.
	Prop. Ecclesia est quoad omnia et singula sua attributa indefectibilis, ...	36
Caput IV.	*De Visibilitate Ecclesiæ*, ...	47
	Status quæstionis explicatur, ...	ib.
	Prop. Ecclesia est eminenter et perpetuo visibilis, .	51
Caput V.	*De Unitate Ecclesiæ in se spectatæ*, ...	73
	Status controversiæ explicatur, ...	ib.
	Prop. 1. Ecclesia est essentialiter una in regimine, .	85

Pag.

Prop. 2. Ecclesia est essentialiter una in fide, unitate totali et perfecta, ... 103

Prop. 3. Unitas fidei Ecclesiæ unitas juris est, . 109

Caput VI. *De Unitate Ecclesiæ quoad individuos*, . . . 134

Prop. 1. Hæretici publici sunt ipso facto extra Ecclesiam, ... ib.

Prop. 2. Nunquam licita est separatio ab Ecclesia, . 136

Prop. 3. Voluntarie extra Ecclesiam decedentibus nulla datur salus, ... 145

Caput VII. *De Sanctitate Ecclesiæ*, ... 152

Prop. Ecclesia est essentialiter sancta in multis membris vere sanctis, ... 153

Caput VIII. *De Catholicitate Ecclesiæ*, ... 158

Definitiones et Divisiones, ... ib.

Doctrina Catholica: Theologorum sententiæ, . . 161

Prop. Ecclesia essentialiter catholica est, catholicitate formali, simultanea, permanenti, ... 165

Caput IX. *De Apostolicitate Ecclesiæ*, ... 174

Sectio Introductoria, ... ib.

Prop. 1. Perpetuo esse debent in Ecclesia pastores, qui jure divino a ceteris fidelibus distincti sunt, . 179

Prop. 2. Nemo jurisdictionem habere potest, nisi illam ab eo acceperit, qui ipse successione continua hanc a fonte apostolico derivavit, . . . 183

Prop. 3. Societas hæreticalis eo ipso caret apostolicitate ministerii, ... 187

Caput X. *De Infallibilitate Ecclesiæ*, ... 195

Sectio Introductoria, ... ib.

Prop. Ecclesia, in dogmatibus omnibus et singulis a se vel creditis vel definitis, omnino et absolute et perpetuo infallibilis est, ... 202

PARS SECUNDA: DE REGULA FIDEI ET ECCLESIA DOCENTE.

Pag.

CAPUT XI. *De Traditione,* 275
Sectio Introductoria, ... ib.
Prop. Præter S. Scripturam, ut regulam fidei Christianæ remotam, et Traditionem constituit Deus, . 278

CAPUT XII. *De Proxima regula fidei Protestantium, seu de eorum judice controversiarum,* 308
Sectio Introductoria: systemata Protestantium: doctrina Catholica, ... ib.
Prop. 1. Judicium privatum, sive per se sive adminiculis extrinsecis adjutum, non est interpres Scripturarum, ad fidem ab iis comparandam, divinitus constitutus, ... 314
Prop. 2. S. Scriptura auxilio supernaturali singulis impertito interpretata, non est regula fidei proxima, ... 321

CAPUT XIII. *De proxima regula fidei Catholica, seu de Ecclesia docente,* 344
Prop. Solâ viâ auctoritatis, seu ex solo magisterio Ecclesiæ, fides habenda est, ... 345

CAPUT XIV. *De Ecclesia regente,* 372
Prop. 1. Ecclesia potestate legislativa jure divino gaudet, ... ib.
Prop. 2. Ecclesia potestate judiciali jure divino gaudet, ... 374
Prop. 3. Ecclesia potestate coactiva jure divino gaudet, ... 375
Prop. 4. Ecclesia in munere suo docendi et regendi exercendo omnino suprema et sui juris est, . . . 376

CAPUT XV. *De Subjecto auctoritatis Ecclesiæ,* . . . 388
De conciliis generalibus, ... 389
Prop. Infallibilia sunt concilia generalia . . . 395

Pag.

Caput XVI. *De Objecto auctoritatis Ecclesiæ*, . . . 401
I. De veritatibus theologicis, ... 402
Prop. Ecclesia in quacumque censura theologica (infra censuram hæreseos) ferenda infallibilis est, . . 408
II. De legibus et judiciis moralibus, . . . 412
III. De legibus disciplinæ, ... 414
IV. De factis dogmaticis et moralibus, . . . 415
(1). De vero Pontifice statuendo, . . . 417
(2). De œcumenicitate Concilii definienda, . . 418
(3). De quibusdam formis verborum statuendis, . ib.
(4). De sensu librorum dogmatico et morali, . 419
Prop. Ecclesia, definiens doctrinam pravam alicui libro inesse infallibilis est, ... 423
(5). De educatione, ... 426
Prop. 1. Ecclesia jure divino auctoritatem habet definiendi utrum systema aliquod educationis bonum sit an malum, tutum an periculosum, . ib.
Prop. 2. In omnes locos educationis, etiam secularis, Ecclesia jure divino eatenus auctoritatem habet, ut ea omnia constituere possit, quæ necessaria sint ad custodiam puritatis fidei et morum discipulorum Catholicorum, ... ib.
(6). De societatibus secretis seu occultis, . . 429
(7). De Sanctorum canonizatione, . . . 434
(8). De approbatione ordinum religiosorum, . 436
V. De philosophia, ... 438
Annotationes quædam de definitionibus et decretis Ecclesiæ dogmaticis, ... 441

Pars Tertia: De Summo Pontifice.

Caput XVII. *De primatu S. Petri*, ... 454
Prop. Christus constituit S. Petrum supremum totius Ecclesiæ moderatorem et caput, ... 457
Objectiones contra argumenta, ... 485
Objectiones contra propositionem, . . . 501

PAG.

CAPUT XVIII. *De primatu Romani Pontificis,* . . . 518
Prop. Romanus Pontifex, S. Petri successor, totius Ecclesiæ moderator est et caput, . . . 522

CAPUT XIX. *De Muneribus et dotibus Romani primatus,* . 551
De R. Pontifice centro unitatis, ... 554
De summa R. Pontificis jurisdictione in universam Ecclesiam et omnes Episcopos, ... 556
Prop. R. Pontifex jurisdictione superior est omnibus Episcopis conjunctim, sive dispersis sive in Concilio generali congregatis, ... 558
De jurisdictione R. Pontificis immediata, . . 560
De infallibilitate R. Pontificis, ... 561
Prop. R. Pontifex, universam Ecclesiam obligatorie docens, infallibilis est, ... 562

PARS QUARTA : DE NOTIS ECCLESIÆ.

CAPUT XX. PARS PRIMA. *De Notis Ecclesiæ in se spectatis.*
De nota in genere, ... 577
De notis Ecclesiæ in genere, ... 580
Prop. Deus constituit notas, quarum ope Ecclesia vera ab omni Ecclesia falsa distingui possit, . 581
De notis Ecclesiæ Protestanticis in specie, . . 582
Prop. Prædicatio puri verbi Dei non est nota Ecclesiæ, 583
De notis Ecclesiæ Catholicæ in specie, . . . 584
PARS SECUNDA : *De applicatione notarum ad Ecclesias. De applicatione notarum ad Ecclesias Protestanticas.*
Prop. 1. Ecclesiæ Protestanticæ conjunctim sumptæ non habent unitatem, quæ est proprietas Ecclesiæ Christi, ... 586
Prop. 2. Ecclesia Constituta non habet unitatem, quæ est proprietas Ecclesiæ Christi, ... 587
Prop. 3. Ecclesia Constituta et Græca et Catholica conjunctim non sunt una Ecclesia, . . . 589
Sanctitas : Catholicitas : Apostolicitas, . . 592

PAG.

De applicatione notarum ad Ecclesiam Catholicam.
Prop. 1. Ecclesia Catholica est una in regimine fide et cultu, ... 594
Prop. 2. Ecclesia Catholica est sancta, ... 599
Catholicitas, ... 601
Prop. 3. Ecclesia Catholica est omnino apostolica, . 602
APPENDIX. Excerpta quædam ex constitutione dogmatica prima de Ecclesia Christi, sess. 4, Concilii Vaticani, ... 605

FINIS.

260
M76
Murray, Patrick
AUTHOR
Tractatus de Ecclesia Christi
TITLE

Exemplaria perpauca operis majoris (3 vol., pp. 2,500) adhuc venalia supersunt: £2 2s.

Item exemplaria aliqua vol. 2 et 3 (4 fasciculi) ejusdem operis, continentia omnia argumenta quæ in hoc compendio a c. 7 ad finem tractantur: ambo conjuncta, 8s.